P. VIRGILII MARONIS

OPERA OMNIA.

VOL. IV.

P. VIRGILII MARONIS
OPERA OMNIA

EX EDITIONE HEYNIANA

CUM NOTIS ET INTERPRETATIONE

IN USUM DELPHINI

VARIIS LECTIONIBUS

NOTIS VARIORUM

EXCURSIBUS HEYNIANIS

RECENSU EDITIONUM ET CODICUM

ET

INDICE LOCUPLETISSIMO

ACCURATE RECENSITA.

VOLUMEN QUARTUM.

LONDINI:

CURANTE ET IMPRIMENTE A. J. VALPY, A. M.

1819.

GEORGICON

LIBER I.

Georgicon] De Georgicis complures scripta memoriæ prodiderunt, quorum indicem expromit Ursinus in Virgilio collatione Græcorum illustrato p. 82. et seqq. *Emmeness.*

1. *Quid faciat lætas segetes, quo sidere terram*] Neminem esse opinor, mediocriter Græcis litteris eruditum, qui nesciat, librum illum Hesiodicum de cultura agri, ἔργα καὶ ἡμέραι inscribi. Eam igitur inscriptionem, quin expresserit hoc versu Virgilius, dubitandum non est. *Ursinus.*

Quid faciat lætas segetes] Fertiles, fœcundas, id est, quæ res terras pingues efficiat. segetem enim modo pro terra posuit: sic alibi, *Horrescit strictis seges ensibus.* Pingues autem efficit terras (ut paulo post dicturus est) cinis, intermissio arandi, incensio stipularum, stercoratio. Unde etiam *lætas* ait. Nam fimus, qui per agros jacitur, vulgo *lætamen* vocatur. Sane *Quid faciat* non interrogat, sed pollicetur. *Servius.*

Quid faciat lætas segetes] Prædivisione, quam Græci προδιαίρεσιν vocant, quid quoque libro præcipiat, significat. Hic enim rationem arvorum, cultibus agrestibus necessariam, ex siderum observatione, relaturum se promittit: secundo demonstraturum, quemadmodum vitibus ulmi maritentur, et quæ cum his olearum cura agi debeat: tertio, armentorum, pecorumque rationem; quarto apum, indicaturum. *Probus.*

Lætas segetes] Cicero De Orat. l. III. *Gemmare vites, luxuriem esse in herbis, lætas segetes, etiam rustici dicunt.* ita noster infra, vs. 69. *lætas fruges* dixit: et vs. 101. *lætissima farra:* item vs. 325. *læta sata*, quæ IV. 371. *pinguia culta:* Homerus Il. M. πίονα ἔργα. Hinc et Servius *lætamen*, fimum bovis exponit, quod agros *lætos*, id est, pingues atque uberes efficiat. Ita et idem Æn. III. *læta armenta* interpretatur *pinguia:* quod in animalibus, in quibus sensus cognosci non possit, lætitiam habitudo corporis et εὐσαρκία ostendat; non mens, ut in hominibus. Plinius: *Glans fagea sues hilares facit.* His forte non abhorret, quod Cic. ait de Nat. D. *Solis accessum terram lætificare:* item, *Indum agros aqua lætificare.* Aliud sunt *læti dii*, id est secundi: quibus contrarii sunt *tristes*, id est irati: de quo ad Prolog. Amphitr. Plaut. *Taubmann.*

Quo sidere terram] Quo tempore: ex syderibus enim tempora colliguntur. Et sciendum quatuor primis versibus, textum sequentium quatuor librorum per ordinem contineri. Sane sydus proprie est quod in se plures continet stellas, sed a poëtis confuse ponitur. *Servius.*

Terram Vertere] Περιφραστικῶς arare. *Idem.*

Terram Vertere] Ita. vs. 118. *versare terram* dixit, id est, arare. et vs. 65. *solum invertere:* et Georg. III.

——*campum fractis invertere glebis.*

Hinc et Patavini itemque Tarvisini hodieque vomerem dicuntur *versare* nominare. *Taubmann.*

2 *Mæcenas*] Sunt qui *Mœcenas*, alii *Mecœnas*, nonnulli *Mecenas* plane sine ullo diphthongo. Sed rectius ex Rom. cod. per *æ* diphthongum primam, per *e* simplex secundam scribendam esse syllabam, testes luculenti sunt Pierius et Dausquius. Græce Μαικήνας. Immo præter veterum et recentiorum scriptorum fidem, idem affirmant saxa et monumenta, quæ et nunc Romæ exstant in hortis Colotianis: PERMISSU C. MAECENATIS. Consule præterea Lambinum, et Torrentium ad Horat. od. I. 1. et Sat. I. 1. qui ex familia Cilneorum oriundum hunc eruditorum patronum clare disputat. *Emmen.*

Ulmisque adjungere vites] Subauditur, *Quo sidere.* et hoc secundum Italiæ situm locutus est: in qua vites altius elevantur. sic alibi, *Non eadem arboribus pendet vindemia nostris.* Hoc autem rustici *maritare* dicunt. *Serv.*

Ulmisque adjungere vites] Quod rei rusticæ scriptores *maritare* appellant, ut Colum. IV. 22. *Qui possint vel sua maritare statumina, vel si qua sunt vidua in propinquo propaginibus vestire.* Sic Horat. in laud. vitæ rust. epod. II.

—— *Aut adulta vitium propagine*
Altas maritat populos.

Quas autem maritas arbores habeat vitis exponit Plin. XXVII. 23, nempe, *ulmum, populum, &c.* et XIV. 1. *Vites in Campano agro populis nubunt: maritasque complexæ, &c.* De *ulmis* crebro poëtæ. Noster Ecl. II. 70.

Semiputata tibi frondosa vitis in ulmo est.

Et Ge. II. 221.

Illa tibi lætis intexit vitibus ulmos.

Et vs. 361. *Vites tabulata* dicuntur facere *in ulmis.* Horat. Epist. I. 16.

—— *An amicta vitibus ulmo.*

Sic Catull. in carm. nupt. 63. *ulmum* indigitat *maritum:*

At si forte eadem est ulmo conjuncta marito:

Inde *vitis* dicitur *vidua*, quæ his arborum sustentaculis est destituta, ut apud Catull. loco citato et *abores viduæ*, quando vitem non amplectuntur. Juven. VIII. 68.

Stratus humi palmes viduas desiderat ulmos.

Horat. od. IV. 5.

Et vitem viduas ducit ad arbores.

Emmeness.

3 *Quæ cura boum, qui cultus habendo Sit pecori*] Aut in sequenti epexegesis est; hoc ut sit, *Qui cultus habendo sit pecori:* quod est, quæ cura boum. Aut certe κατ' ἐξοχὴν ait boves, et postea intulit cætera pecora: ut majus animal separaret a minoribus: sicut de hominibus facit; dicens, *Reliquias Danaum, atque immitis Achilli.* Servius.

Quæ cura boum, qui cultus] *Qui* in Romano codice, in Longobardico, in Mediceo, et aliquot aliis antiquis legitur, in nonnullis, *quis.* Pierius.

Habendo] Dum habentur, ut alibi, *Sed picis in morem ad digitos lentescit habendo:* dativum ergo pro genitivo posuit, nam habendorum pecorum facit, sicut apium parcarum. Et *cultum*, hic habitudinem corporis significat, alias ornatum. Sallustius, *Cultu corporis ornata egregio.* et, Jugurth. *cultu quam maxime miserabili Romam venit.* alias ad animum refertur, ut: *queis neque mos, neque cultus erat.* Sallust. *Indocti incultique vitam, sicuti peregrinantes transiere.* Servius.

4 *Sit pecori, atque apibus quanta experientia.*] Antiquiores omnes codices, quos viderim, Romanus quippe, Oblongus Vaticanæ bibliothecæ, Mediceus et plerique alii versum hunc absque conjunctione *atque* ponunt: ut eo modo legatur absque synalæpha, quo etiam versus ille: *Orchades, et radii, et amara pausia Bacca.* et, *Ter sunt conati imponere Pelio Ossam.* et, *Stant et juniperi, et castaneæ hirsutæ,* Ita in iis codicibus scriptum est: *Sit pecori apibus quanta experientia parcis.*

Tametsi nonnulli sunt ex eruditis, qui loco hoc, tolli *atque* minime velint, ne, ipso statim operis initio, versus incipiant (quod ajunt) elanguescere. Sed enim hos mihi futuros æquiores puto, quum animadverterint, Virgilium dictionem hanc ipsam *pecori* absque synalæpha sæpius posuisse: ut in Bucolicis: *Et succus pecori, et lac subducitur agnis.* In hoc ipso opere: *Arcebis gravido pecori, armentaque pasces.* Quibus fere omnibus locis, in codice Longobardico, addita est *que* tantum particula, ut hoc loco legitur, *Sit pecorique.* Quod qui legerunt, quum encliticæ non esse locum animadverterent, compositam conjunctionem illam inculcarunt; neque tamen hoc ita dixerim, ut prohibere velim, ne unusquisque suo satis ingenio faciat. *Pierius.*

Quanta] Quam magna. *Servius.*

Habendo pecori] Hoc est, ut habeatur pecus. *Idem.*

Experientia] Id est, usu nata doctrina. Hoc est ἡ πεῖρα, vel notitia. *Id.*

Parcis] Servatricibus frugi, quæ mella custodiunt. *Idem.*

Apibus parcis] Sunt qui legunt *parvis*, sed rectius *parcis.* Aristot hist. anim. IX. 40. φειδωμένας. et Plin. XI. 19. *præparcas.* Mart. XIV. 222. *Huic sibi parca laborat apis.* Emmeness.

5 *Hinc canere incipiam*] Pro dehinc, vel deinceps; non ergo ab apibus, sed quid faciat lætas segetes. *Servius.*

Vos, o clarissima mundi Lumina, Liber et alma Ceres] Stoici dicunt non esse nisi unum deum, et unam eandemque esse potestatem, quæ pro ratione officiorum nostrorum, variis nominibus appellatur. Unde eundem Solem, eundem Liberum, eundem Apollinem vocant. Item Lunam, eandem Dianam, eandem Cererem, eandem Junonem, eandem Proserpinam dicunt: secundum quos, pro Sole et Luna, Liberum et Cererem invocavit. *Idem.*

Lumina] Numina fuit, sed emendavit ipse; quia postea ait: *Et vos agrestum præsentia numina Fauni.* Idem.

Vos, o clarissima mundi Lumina, labentem cælo quæ ducitis annum, Liber et alma Ceres] In Oblongo antiquo codice *qui* legitur, scilicet *Liber et alma Ceres.* Quamvis non imperitos esse plerosque scio, qui Solem et Lunam, de quibus ait Virgilius, *Vos, o clarissima Lumina, labentem cælo quæ ducitis annum*, sejungunt a duobus Diis qui subsequuntur, *Liber et alma Ceres:* in qua lectione præjectum esse punctum volunt; quod ideo crediderim ab eis assertum, quia forsan apud Varronem observaverint, de Diis his factam separatim mentionem. Apud quem ex duodecim agricolarum Diis, Juppiter et Tellus invocantur primo: Secundo, Sol et Luna: Tertio, Ceres et Liber. Sed enim qui apud Orpheum legerint, ἥλιον ὃν διόνυσον ἐπίκλησιν καλέουσιν, et apud Euripidem, et Aristotelem, eundem Solem et Bacchum esse; id quod et Eusebius et Macrobius, et plerique alii, qui saxum hoc volvere conati sunt, tradidere: dum Dionysium, eundem et Bacchum et Liberum nuncupant: igneam Solis vim, quæ fructus maturat, interpretantes, facile persuasum habere poterunt, intellectum a Virgilio, ut, Liber et alma Ceres ea sint clarissima mundi lumina labentem cælo quæ annum ducunt. Sed ut ad rem nostram revertamur, codices alii *quæ* legunt: scilicet, *lumina.* Pierius.

Mundi Lumina] *Mundus* hic pro cælo; quomodo veteres sæpe usi. Ennius apud Macrob. VI. 2. *Mundus cæli vastus constitit silentio.* Lucret. l. v. —— *mundi magnum et versatile templum.* Macrob. I. 11. *Mundus proprie cælum dicitur, &c.* Arnobius, *Vertigo mundi, &c.* Apulejus de Deo Socrat. *Suspicientes in hoc perfectissimo mundi* (ut ait Ennius) *clypeo.* Qua quidem notione et *Orbis* apud Horat. od. III. 3.

Si fractus illabatur orbis,
Impavidum ferient ruinæ.

Notat et Joseph. Scaliger apud Manil. innumeris locis *Mundum* accipi pro cælo, item pro Deo ipso: adeoque sexfariam ab eodem Poëta usurpari, quotfariam et *κόσμος* a Græcis. *Taubmann.*

Clarissima Lumina] Id est Sol et Luna, quæ describit ex suis adjunctis et effectis: quod sint *clarissima lumina:* quodque motu suo tempora definiant. Etiam Ptolemæus et Trismegistus φωστῆρας et φῶτα appellant. Notant autem viri docti, nostrum prudentius hic invocare Numina earum rerum propria, quas tractare minetur, quam Hesiodum suas Musas. *Idem.*

6 *Labentem*] Currentem, vel cito transeuntem. *Servius.*

Labentem annum] Verbum *labi* in re hac quasi proprium. Æn. II. 14.

—— *Tot jam labentibus annis.*

Æn. I.

—— *veniet lustris labentibus ætas.*

Æn. III.

Sidera cuncta notat tacito labentia cælo.

Ita Cic. de Univers. *Sidera, quæ vaga et mutabili ratione labuntur.* Taubm.

Quæ ducitis annum] Quorum cursu tempora computantur. Nam per Lunam, mensis: per Solem, annus ostenditur. Vel certe deducitis per duodecim sidera, aut ducitis, pro finitis; ut, *noctem custodia ducit:* et alibi, *hic noctem ludo ducunt.* Servius.

Ducitis annum] Eleganter. Glossa: *Ducatus*, ἡγεμονία. Manil. l. v.

—— *cælique ducatum, &c.*

ut quidam leg. quæ vox et apud Sueton. est. *ducatus latronum* ἀρχὴ λῃστῶν. Hinc et Ciceroni *Sol moderator et dux temporum, et princeps reliquorum luminum* dicitur. Etiam Plinius II. 6. *Sol*, inquit, *non temporum modo terrarumque, sed siderum etiam ipsorum cælique rector. Hunc mundi esse totius animum ac mentem, hunc principale Naturæ regimen ac numen credere decet.* Et *Luna* ab Horat. Carm. Secul. *Siderum regina* appellatur. Ea forma, credo, Æn. II. 802. dicitur et *Lucifer diem ducere:* et Ge. III. *astra noctem.* Etiam Arato ἠέλιος ἐνιαυτὸν ἄγειν dicitur. *Taubmann.*

7 *Liber et alma Ceres*] Probus, Macrobius, et hos secuti, *Clarissima Lumina* Liberum et Cererem appositivè hic dici autumant. Et pertendit Macrobius I. 18. 19. et 21. Saturnal. Apollinem et Bacchum eundem esse. Alludit et Lucanus lib. IV.

Parnassus ——

Mons Phœbo Bromioque sacer, cui numine misto
Delphica Thebanæ referunt trieterica Bacchæ.

Ita fuerit *Liber* quidem Sol, et *Ceres* Luna. Eruditi tamen plures hæc distinguenda censent. Cum et Varro Solem et Lunam, Liberum item et Cererem distincte invocet, itidem de Re Rustica scripturus. Namque Sol quidem et Luna, id est Calor et Humor, alterna temperie omnia generant: tempora item et vices operum rusticorum distinguunt. *Liber* autem et *Ceres* ab agricolis unice coluntur: quod esculenta potulentaque mortalibus maxime sint necessaria, quorum illi inventores crediti. Lucret. lib. V. V. N. Ecl. v. 79. *Idem.*

Liber et alma Ceres] M. Varro, de cultura agri scripturus, initio libri primi 12. Deos invocat: Jovem et Tellurem, Solem et Lunam, Cererem et Liberum, Robigum et Floram, Minervam et Venerem, Lympham et Bonum Eventum. Hunc igitur locum quin expresserit Virgilius, dubitari non potest. Nam quæ Probus, et eum secutus Macrobius et Servius in eo versu explicando attulerunt, mihi quidem non satis apta videntur. *Ursinus.*

Alma Ceres] Alma, ab alendo: Ceres a creando dicta. Quamvis Sabini Cererem, panem appellent, Liberum, Lebasium. dictum autem, quia Græce λείβῃ dicitur res divina: vel simul Li-

berum, et Cererem posuit, quia eis templa simul posita sunt, et ludi simul eduntur. *Servius.*

Alma Ceres] Id est sancta, sive pulchra: vel certe, alens; ab *alendo.* Eleganter vetus illud et plenum bonæ frugis Glossarium; *Alma*, κλυτὴ, ἁγνὴ, ὡραία, θρέπτειρα. Unde, *Almities*, habitus almarum rerum: Glossario, αὔξησις ἀρχῆς Charisio εὐπρέπεια. *Almitus*, ἀνατροφὴ, ἀναγωγή. *Almites*, κάλλος ἀνατροφῆς. Hinc et *altus* significat θρέπτον, τρόφιμον. De quis Scalig. ad Festum, quæ antiquitatis caussa hic dicta sunto. *Taubm.*

Ceres] Quæ est ipsa *Terra*, dicta quasi *Geres*, a gerendis frugibus: a Græcis etiam δημήτηρ nominata, quasi γημήτηρ. De qua Cic. De N. Deor. et alii. Obiter tamen notetur, quod idem Cic. ibid. lib. III. refert: *Cum frugem, Cererem; Vinum, Liberum dicimus, genere nos quidem sermonis utimur usitato, sed ecquem tam amentem esse putas, qui illud, quo vescatur, deum credat esse?* Idem.

Vestro si munere] Quoniam sine cibo et potione vivere non possumus. vel munere, beneficio; ut, *munere victor amici. Si* autem hic pro, *siquidem.* Nam *si* modo confirmantis est. Terentius, *Non si rediret pater ei veniam daret?* Servius.

Vestro si munere tellus] Eadem sententia non admodum dissimilibus verbis usus est Lucret. l. v.

Namque Ceres fertur fruges, Liberque liquoris
Vitigeni laticem mortalibus instituisse.

Vetus autem liber A. Colotii, pro *munere* habet *numine;* sed non placet. *Ursinus.*

8 *Chaoniam pingui glandem mutavit arista*] Epiroticam. Quæ cur Chaonia dicta sit, in tertio Æneidos plenius habes; et hic Epiroticam a loco, in quo abundant glandes, quibus antea homines vescebantur, vel quod ibi quercus Jovi Dodoneo sacrata, quæ hominibus responsa reddebat: ex hac cum fuisset excisa, columbæ, quæ vaticinabantur, volasse dicuntur. Et modo speciem pro genere posuit. non enim aut in Epiro tantum glandes fuerunt: aut de solo Acheloo homines potare consueverant. *Pingui* autem *arista*, modo pro frumento posuit: et affectate ait *pinguem aristam*, cum proprie *arista* ab *ariditate* sit dicta: *glandem* vero *mutavit arista*, ita ait, ut *togam paludamento mutavit.* Servius.

Chaoniam glandem] Q. d. uberem et opimam, cujusmodi glandariis abundat *Chaonia*, id est Epirus: quæ regio Græciæ finitima, ad ortum Acheloo fluvio ab Achaica discreta, &c. vide Æn. III. 335. *Chaoniamque omnem Trojano a Chaone dixit.* Nunc *Albania* dicitur. In eadem et civitas fuit *Dodona;* ad quam nemus Iovis totum querneum. Unde *quercus Dodonea*, quæ et *Chaonia*, infra, vs. 150. *Taubm.*

Glandem mutavit arista] Elegans usus verbi *mutare.* Sallust. *Nemo nisi victor pacem bello mutavit.* Horat. Od. I. 16.

——*nunc ego mitibus*
Mutare quæro tristia.——

Ibidem Od. 29. *Libros Panætii mutare loricis Iberis*, id est, Philosophiæ studio omisso, militiam sequi. Id. Epist. I. 7.

—— *nec*
Otia divitiis Arabum liberrima muto.

Et notum est, Græcos etiam verbo ἀλλάττειν sic uti. Sensus loci est: Vestro beneficio *tellus*, id est, homines telluris incolæ, qui βαλανοφάγοι, et frugibus tantum (ut Columella vocat) *roburneis*, variarum arborum antiquitus vescebantur, relictis illis, nunc *pingui arista*, id est, nutritio et pinguefaciente frumento utatur fruaturque. De quo Ovidius Fastor. I. sub finem: —— *per quas* (Cererem et Terram) *correcta vetustas,*

Quernaque glans victa est utiliore cibo.

Idem.

9 *Poculaque inventis Acheloia miscuit uvis*] Achelous Terræ fuisse filius dicitur, ut solet de his dici, quorum per

antiquitatem latent parentes. Hic cum de Melpomene, vel, ut quidam dicunt, de Calliope, Syrenas habens filias, amisisset, et mœrore conficeretur, auxilium matris oravit, ut sibi seni luctus remedium præstaret, quæ miserans filium, patefactis antris intra se obruit; cui postea ut perennem famam nominis daret, in Ætolica regione fluvium ejusdem vocabuli nasci fecit; quem nonnulli de Pindo, monte Thessaliæ, oriri adserunt. Circa hunc Staphylus, Œnei pastor, cum animadverteret ex capris unam esse pinguissimam, intellexit id pabuli libertate fieri; secutus itaque eandem, cum vidisset uvis vesci, admiratus et novitatem, et dulcedinem, decerptum fructum protulit regi, qui cum liquorem expressisset, a suo nomine vocavit œnon, ab inventore Staphylem. Sed Hercules cum propter uxorem Dejaniram cum Acheloo contenderet, cornu ejus unum fregit, quod Græce *κέρας* dicitur. Sed hic Acheloum non præter rationem dixit: nam sicut Orpheus docet, et Aristophanes comicus, et Ephorus historicus tradunt; Acheloum generaliter propter antiquitatem fluminis, omnem aquam veteres vocabant. Ergo quia specialiter Achelous Græciæ fluvius est, aut species est pro genere: aut secundum antiquitatem est locutus. *Servius.*

Pocula Acheloia] Id est potum aquæ. Etsi enim *Achelous* proprium nomen fluvii est in Ætolia, docet tamen Eustath. Il. B. ut omnem editiorem montem *Idam* dici; ita quamvis aquam, *Acheloum*. Exemplis rem illustrant Fulv. Ursinus, et H. Turnebus XXIX. 25. et lib. XXX. c. ult. Caussamque e vetere Scriptore hic affert, quod Achelous primus omnium fluviorum e terra eruperit: ut Poëtæ memores antiquitatis, ob id pro aqua usurparint. Videatur et Macrobius Sat. V. 18. Primæ etiam vineæ ad ripas Acheloi fuisse memorantur. *Taubmann.*

Pocula Acheloia] Fluvius revera est duobus fluens alveis. Sed ita Fabula 31. Hygini de Acheloo: *Achelous fluvius in omnes figuras se immutabat. Hic cum Hercule propter Dejaniræ conjugium cum pugnaret, in taurum se convertit, cui Hercules cornu detraxit, quod cornu Hesperidibus donavit. Quod Deæ pomis repleruut, et cornu copiæ appellarunt.* Achelous *εἰκασθεὶς ταύρῳ* ab Apollod. l. II. Et inde Hercules a Theocr. Idyll. XVII. 10. *Ταυροφόνος* dicitur. Cornu avulsum fractumque colligit Achelous. Ovid. Heroid. ep. IX. 139.

Cornua flens legit ripis Achelous in udis,
Truncaque limosa tempora mersit aqua.

Sic Heroid. ep. XVI. 265.

Ut ferus Alcides Acheloia cornua fregit
Dum petit amplexus, Deianira, tuos.

Pluribus hanc fabulam describit Ovid. Met. IX. 79. et seqq. *Emmeness.*

Uvis] Id est vino. Antea enim aut aquam aut meracum vinum bibebant. Propert. II. 22.

Ah pereat quicunque meracas repperit uvas,
Corrupitque bonas nectare primus aquas!

Jam quis *τῆς τοῦ οἴνου κράσεως* inventor sit; utrum Melampus et Nigripes, an Staphylus; aut etiam Amphitryo, qui ante tempora Iliaca Athenis regnavit; incertum est. Videatur eruditissimus Casaub. ad Athen. II. 6. et IV. 27. *Taubmann.*

10 *Et vos agrestum præsentia numina Fauni*] Id est, propitia: ut, *Nec tam præsentes alibi cognoscere divos.* Quorum præsentia favor est. Et bene de diversis rebus dicturus, diversa invocat numina. Hoc enim et in sacris fieri solebat, ut post specialia ad eam rem, de qua agebatur, invocata numina, omnes dii vel deæ confuse invocarentur. *Servius.*

Præsentia numina Fauni] *Præsentia*,

m dicuntur usque ad ea tem-
puibus fuit Faunus, qui dictus
ando, visa esse numina. Qui-
unos putant dictos ab eo quod
s faveant. Cincius et Cassius
b Evandro Faunum deum ap-
m; ideoque ædes sacras, Fau-
imo appellatas, postea fana
et ex eo, qui futura præci-
Fanaticos dici. *Idem.*
mnique pedem] Cum unus Fau-
cur pluraliter posuit?...sese.
rro ad Ciceronem ita ait: *Dii*
um ita, ut Faunus et Fauna
...ex versibus quos vocant
os, in silvestribus locis solitos
ara, atque inde Faunos dictos.

simul Faunique pedem] *Ferte*,
ul venite: aut date carmini
illitatem, quod utique pedibus
tur: ut sit, *Ferte pedem*, metri-
estate rationem. *Idem.*
pedem] Sic Virgil. Æn. II. 756.
domum, si forte pedem, si forte
ulisset,
fero. ——
et inferre pedem, est, in-
referre pedem est ejus con-
. *Adferre pedem*, venire. *Con-*
dem, simul congredi. *Efferre*
est exire. Hos dicendi modos
: Hadr. Card. *Emmeness.*
isque puellæ] Dryades a quer-
quod jam supra dictum est.

isque o, cui prima frementem
num magno, &c.] Antiquissimi
udit aquam plerique habue-
Quoniam Neptunus et flumi-
t fontibus, et omnibus aquis
ut ipse docet: aut *præceps*
immerserit Eurus; sed melius
Propter armenta. In Corn.
in authentico *aquam*, ipsius
num. Fabula talis est: Cum
us et Minerva de Athenarum
contenderent, placuit diis ut
nine civitas appellaretur, qui
melius mortalibus obtulisset.
Tunc Neptunus percusso littore
equum animal bellis aptum produxit:
Minerva, jacta hasta, olivam creavit:
quæ res est melior comprobata, et
pacis insigne. Ut autem modo Nep-
tunum invocet: causa ejus muneris
facit, quia de equis est dicturus in
tertio: alioquin incongruum est, si
de agricultura locuturus, numen in-
vocet maris. Equum autem a Nep-
tuno progenitum alii Scythium, alii
Schironem, alii Arionem dicunt fuisse
nominatum. Et ideo dicitur equum
invenisse: quia velox est ejus numen,
et mobile, sicut mare. Unde etiam
Castor et Pollux, quia eorum velo-
cissimæ stellæ sunt, equos in tutela
habere dicuntur. Sane hunc equum
cujuscunque nominis, alii apud Arca-
diam, alii in Thessalia editum dicunt;
in quo etiam, montem altissimum os-
tendunt, ubi primum equus visus sit;
in tantum ut ob hanc caussam a Thes-
salis Neptuno equestre certamen me-
morent institutum: unde ut apud
Græcos ἵππιος ποσειδῶν, a nobis eques-
ter Neptunus. Alii hanc eandem de
equo opinionem varie adserunt: nam
primum equum, et mox pullum equi-
num matre editum tradunt; quidam
marem magis pullum initio editum
volunt. Nonnulli Saturno, cum suos
devoraret, pro Neptuno, equum ob-
latum devorandum tradunt: unde
Illyricos quotannis ritu sacrorum e-
quum solere aquis immergere: hoc
autem ideo quod Saturnus humoris
totius, et frigoris deus sit. *Servius.*

Prima] Multi pro olim accipiunt,
ut, *Prima quod ad Trojam pro charis*
gesserat Argis. Alii prima ideo quod
post Scythium, Arionem genuit. Non-
nulli vero ob hoc, *cui prima fremen-*
tem fudit aquam legunt, quod veteres
murmura aquæ, fremitum dicebant:
Ennius, *Ager oppletus imbrium fremitu.*
Et denuo, *ratibusque fremebat imber*
Neptuni. Virgil. Æn. XI. *Vicinæque*
fremunt ripæ crepitantibus undis. Ergo
prima aut proprium, quia et Pegaso

fontem in Bœotia icta ejus ungula fudit; aut *prima tellus*, id est littus. ut, *primaque vetant consistere terra*. Idem.

Prima tellus] Id est Attica. Athenienses enim se primos homines prædicabant: indeque et cicadas ex auro capillis implexas gestabant: ut hoc argumento se terra genitos indicarent. Videatur J. Parrhasius, *De Rebus per Epistolam Quæsitis*. Turnebus tamen VII. 9. absolute de terra hoc accipit, cui primatus originis tribuatur. Vide et N. Æn. IV. 166. *Taubmann.*

Prima tellus] Non placet Magno Gronovio Parrhasii sententia, qui *prima* vult significare idem ac *primum*. I. 7. Ab eo discedere, nisi qui lolio victitat, potest nemo. De Neptuno largitore equorum Pausan. l. VII. qui eum ἵππων δοτῆρα nominat. Contentionem Neptuni et Minervæ narrat Hyginus Fab. 164. Sed Neptunum inferiorem non *equum* misisse, at mari voluisse mergere terram Atticam. *Emmeness.*

13 *Tellus percussa tridenti*] Lucan l. VI. *Primus ab æquorea percussis cuspide saxis Thessalicus sonipes, bellis feralibus omen, Exiliit, &c.* Alii fabulantur aliter. Hinc Neptunus, *equestris* dictus, ἵππιος et ἱππηγέτης. Cur autem τριωνύχῳ δορὶ, (ut Lycophron loquitur) id est tridente fuscina (ut Scalig. interpretatur), inducatur, unde et *Tridentifer* Nasoni dictus; fieri putant, vel propter triplicem aquarum naturam; liquidam, fœcundam, et potabilem: vel propter tria aquarum genera, marinam, fluvialem, et stagnantem: vel propter triplicem ejus potestatem; æquoris scil. tollendi, placandi, et servandi: vel etiam, ut tres orbis terrarum partes indicarent, quam ambit Oceanus. Vide Fulgent. in Mytholog. *Taubmann.*

14 *Et cultor nemorum, cui pinguia Ceæ*] Aristæum invocat, id est, Apollinis et Cyrenes filium: quem Hesiodus dicit Apollinem pastoralem. Hic (ut etiam Sallustius docet) post laniatum a canibus Actæonem filium, Thebas reliquit: et Ceam insulam tenuit primo, adhuc hominibus vacuam: post, ea relicta, cum Dædalo ad Sardiniam transitum fecit. Huic opinioni Pindarus refragatur, qui eum ait de Cea insula in Arcadiam migrasse, ibique vitam coluisse. Nam apud Arcadas pro Jove colitur; quod primus ostenderit, qualiter apes debeant reparari: ut ait Poëta de hoc ipso Aristæo, *Tempus et Arcadii memoranda inventa magistri Pandere*. *Cultor* autem pro incola. Cea vero insula in Ægeo mari. *Servius.*

Et cultor nemorum] De Aristæo Just. XIII. 7. *Aristæum in Arcadia late regnasse, eumque primum et apium et mellis usum, et lactis ad coagula hominibus tradidisse.* Et Schol. ad Apollon. Rhod. argon. II. 500. Ἀρισταῖος δὲ ἐν τῇ Κέῳ εὑρὼν τὰ μελισσουργικὰ πρῶτος, καὶ τὴν τοῦ ἐλαίου κατεργασίαν, καὶ καταλεσάμενος τοὺς ἐτησίας, ζεὺς Ἀρισταῖος ἐκλήθη, καὶ Ἀπόλλων ἀγρεὺς καὶ νόμιος. Multa de hoc inventore mellis, olei, &c. Oppianus Cyneget. IV. 265. et seqq. ad quem locum vide Rittersh. p. 145. *Emmeness.*

Cui pinguia Ceæ] Nonnulli scribunt *Cææ* per *æ* diphthongum, sed per *e* longum *Ceæ*, ut in Romano codice habetur, scribendum. *Pierius.*

Ceæ] *Cea*, quæ Plinio IV. 12. et *Ceos* dicitur, maris Ægæi insula, atque una ex Strophadibus: dicta et *Tetrapolis*, quod urbes habeat quaternas, Strabone auctore. Eam Aristæus post laniatum a canibus Actæonem filium, relictis Thebis, occupavit. Simonidis et Bacchylidæ Cl. Poëtarum alumna. Lambinus, ad illud Horat. od. II. 1. *Ceæ retractes munera næniæ*, per *e* scribendum docet. *Taubmann.*

15 *Tondent*] Pascendo decerpunt. Græci frequentant κείρουσι λήϊα. *Idem.*

Dumeta] Frutices. *Servius.*

16 *Ipse nemus linquens patrium, Pan*

ovium custos] Pindarus, Pana ex Penelope filium dicit, unde multi *patrium* pro *paternum* accipiunt, eo quod Pan non Arcas sit, sed Ithacesius, ut a patre, non a patria, vox hæc videatur detorta; quia in Arcadia genitus. *Idem.*

Saltusque Lycæi] Montis Arcadiæ. *Idem.*

17 *Pan ovium custos*] Ideo Lyceus Pan ovium custos, quod lupos ab ovium gregibus depellat. *Idem.*

Si tibi] Si quidem tibi. Mænala autem mons Arcadiæ: dictus ἀπὸ τῶν μήλων, id est ab ovibus, quibus plenus est. *Idem.*

18 *Adsis*] Verbum solemne. Æn. I. *Adsit lætitiæ Bacchus dator.* Tibull. I. 1. *Adsitis divi.* III. el. ult. *Candide Liber ades.* ita II. 1. *Bacche veni.* vide Brisson. Formul. l. 1. *Taubmann.*

Tegææ] Vocativus est, a derivatione Tegæi oppidi Arcadiæ, et Tegeus tribrachus est: Tegæus Pæan tertius. *Servius.*

Favens] Pro volens et per hoc propitius, *Favere* enim veteres etiam velle dixerunt. Ennius, *Matronæ mœros complent spectare favenies.* nonnunquam *favere* et pro tacere ponitur, ut idem Ennius, *ore faventes:* et Virgilius in quinto Æn. *Ore favete omnes.* Idem.

Oleæque Minerva Inventrix] Eo tempore quo adversum Neptunum de nomine civitatis contendit, quod jam supra dictum est. cui fabulæ hoc additur, quod postquam Minerva inventa olea Neptunum vicerit; indigne ferens Alisotheus Neptuni filius oleas cœpit excidere; cui, dum hoc facit, ferrum de manubrio decidit, et ei caput amputavit. Neptunus vero dolens filii sui obitum, Martem homicidii cœpit arguere: inde effectum est ut Mars et Neptunus de hac re judicium apud Athenas experirentur; unde locus ubi Judices sederunt Arejos pagos; Judices Atheniensium, Areopagitæ appellantur. *Servius.*

Oleæque Minerva Inventrix] Olea, in Epigram. Græcis Παλλάδος φυτὸν dicitur: et *procuratio oliveti Minervæ est*, ut ait Varro. Et docet Eustath. Il. P. oleam primum in arce Attica visam esse. Vide Turneb. Commen. in de Leg. *Taubmann.*

19 *Uncique puer monstrator aratri*] Alii Triptolemum, alii Osyrim volunt: quod magis verum est, ut dicit Propertius, vel Tibullus. Nam Triptolemus frumenta divisit. Quod munus ei Ceres dedit propter humanitatem patris Icari; qui eam, cum Proserpinam captam in conjugium a Plutone quæreret, in Attica suscepit hospitio. Alii talem de hoc Triptolemo fabulam tradunt: Ceres cum Proserpinam filiam quæreret ad Eleusinum regem devenit, cujus uxor Cyntinia puerum Triptolemum pepererat, seque nutricem pueri amore ducta simulavit reginæ; sed nutrix recepta cum vellet alumnum suum immortalem reddere, interdiu cum lacte divino alebat, noctu in ignem clam obruebat. Itaque præterquam solebant mortales, crescebat. Id sic fieri cum pater admiraretur, nocturno tempore observavit, cum Ceres vellet puerum in cinere et in igne abscondere: Pater exclamavit, illa irata Eleusinum exanimavit. Triptolemo alumno suo æternum beneficium dedit. Nam ad fruges portandas currum draconibus junxit; deditque ei, quibus ille vectus orbem terrarum frugibus obseruit; quem postquam domum rediit cum Cephalus rex interficere voluisset, per cognita jussa Cereris Triptolemo regnum tradidit; qui accepto regno oppidum constituit, et ex patris nomine Eleusinium nominavit, Cererique sacra primus instituit, quæ θεσμοφόρια Græce dicuntur. Varro de scenicis originibus, vel in Scauro: 'Triptole-

mum dicit Nigidius sphæræ barbaricæ sub virginis signo aratorem, quem Orona Ægyptii vocant; quod Oron, Osyridis filium, ab hoc educatum dicunt.' Ergo Osyris significatur, ut Philostephanus περὶ εὑρημάτων, vel Epimenides, qui postea Buzyges dictus est secundum Aristotelem. *Serv.*

Monstrator aratri] Alii Osiridem aratri inventorem faciunt: ut Servius, et Tibullus I. 8.

Primus aratra manu sollerti fecit Osiris,
Et teneram ferro sollicitavit humum, &c.

Alii Triptolemum: quod verius censent eruditi quidam; cum non sit verisimile, Ægyptium numen præ Attico invocasse Poëtam: quando, in gratiam Augusti, Antoniique invidiam, ista alibi exsecretur, (Æn. III.) et Romani Ægyptia sacra tunc nondum recepissent. Videatur Germ. Valens Pimpontius. *Taubmann.*

20 *Et teneram ab radice ferens, Silvane, c.*] Silvanus deus est silvarum. Hic amavit puerum *Cyparissum* nomine, qui habebat mansuetissimam cervam. Hanc cum Silvanus nescius occidisset, puer est extinctus dolore: quem amator deus in cupressum arborem ejus nominis vertit, quam pro solatio portare dicitur. Sane in Bucolicis alium illi habitum dedit, *Venit et agresti capitis Sylvanus honore.* Quidam Silvanum primum instituisse plantationes dicunt, ideo *tenera ab radice* Poëtam dixisse. An *ab radice tenera,* quia cæsa cupressus dicitur non renasci; idem invalida, an ab radice tenens. *Servius.*

21 *Diique deæque omnes*] Post specialem invocationem, transit ad generalitatem: ne quod numen prætereat. More Pontificum, per quos ritu veteri in omnibus sacris post speciales deos, quos ad ipsum sacrum quod fiebat, necesse erat invocari, generaliter omnia numina invocabantur. *Idem.*

Dique deæque omnes] Dei quip cientes adjuvant. Hoc Poëta fugit, ideo numina rustica in quorum nomina tradit Varro *Jupiter, Tellus, Sol, Luna, Ceres,* *Robigus, Flora, Minerva, Venus,* *pha, et Bonus Eventus.* Quid si digitamenta, ἱερατικὰ nempe discimus ex glossis Philoxeni.

Studium quibus arva tueri] N hæc numinum in Indigitament veniuntur, id est, in libris pon libus: qui et nomina deorum, tionem ipsorum numinum conti quæ etiam Varro dicit. Na supra diximus) nomina numinil officiis constat imposita. Verb sa, ut ab occatione, deus O dicatur: a sarritione, deus Sa a stercoratione, Sterciliniu: tione, Sator. Fabius Pictor ho enumerat, quos invocat Flam crum Cereale faciens Telluri reri, Vervactorem, Reparator porcitorem, Insitorem, Obara Occatorem, Sarritorem, Subru torem, Messorem, Convectore ditorem, Promitorem. *Servius.*

Arva tueri] Propert. l. III.

Dique deæque omnes quibus es
per agros.

Vidi etiam Romæ basim marm in qua Græcis litteris incisum

ΝΟΜΙΟΙϹ ΘΕΟΙϹ
ΙΟΥΛΙΟϹ
ΜΑΙΟΡ
ΑΝΤΟΝΙΝΟϹ.

Ursinus.

Tueri] Pro tuendi, aut tuen *Servius.*

22 *Quique novas alitis*] Id e nes, qui hoc potestis. *Idem.*

Nonnullo semine] Id est ali hoc dicit, Qui a nobis jacta vestris seminibus alitis. Sem tem dicit deorum cæli tem pluvias, teporem. Vel *Non mine* ab hominibus scilicet jac *quippe solo natura subest.* Seu *Idem.*

Quique novis alitis non ullo semine fruges] In Rom. cod. perperam est *non ullo de semine*, quod alibi *nullo de semine* habetur: ut sui quoque Genii statuantur iis, quæ sponte sua veniunt, quarumque semina nobis sunt incognita. Nam de iis, quæ seruntur, statim subdit: *Quique satis largum cælo demittitis imbrem*. Servius *nonnullo* agnoscit, et pro *aliquo* interpretatur. Utra cui lectio magis placet, non laboro. *Pierius*.

23 *Satis*] Segetibus: ut, *Sata læta, boumque labores*. *Largo* autem *cælo demittitis imbrem;* per hæc aquam et terram significari vult. *Servius*.

Imbrem] Quem Orpheus δάκρυον Διὸς vocat. Et bene dixit *largum:* cum *imber* sit *agmen aquarum largius e concretis effusum nubibus*, ut Apul. loquitur. *Taubmann*.

24 *Tuque adeo, quem mox quæ sint habitura deorum Concilia, incertum est*] *Adeo* hic præcipue: quidam *adeo* abundare putant antiqua figura, ut, *omne adeo genus in terris*. Et jam adulatur Augusto, quem inter deos invocat. Nec totum tamen dandum est adulationi, sed et veritati. nam cum omnes Imperatores post mortem sint inter deos relati, Augustus vivus divinos honores emeruit. quod etiam Horat. testatur dicens, *Præsenti tibi maturos largimur honores: Jurandasque tuum per nomen ponimus aras*. Unde male quidam culpant Virgilium, dicentes eum aviditate laudandi citum interitum Augusto optasse: cum ad rem, quæ tunc fiebat, respexerit. *Mox*, possumus tamen pro *post* accipere: Horatius, *Mox datura Progeniem vitiosiorem*. Id est postea. Potest et *mox* ad vitæ humanæ brevitatem referri. Nam ipse ait in decimo Æn. *Rhœbe diu (res si qua diu mortalibus ulla est) Viximus*. Sane sciendum mire eum laudasse, quod ait, *Quem mox quæ sint habitura deorum Concilia, incertum est*. Id est, nondum scimus quis deus esse velis. nam deum fieri, maximum est: in potestate autem habere, *quis* deus velis fieri, plus esse quam maximum constat. *Servius*.

Quem mox quæ sint habitura deorum Concilia] Veteres plerique codices, *consilia* per *s* scribunt. Grammatici distinguunt: et hoc significatu malunt *concilia*. Neque vero prætereundum videtur, quod loco hoc, *mox* pro *cito* positum, ait Gnifo, Carisio teste. Quod alii paulo post volunt, ut Terentius: *Nam ut mox revertare*. Pierius.

Quem mox quæ sint habitura deorum Concilia, incertum est] Id est, tui hoc arbitrii, quali deorum consessui, collegiove adscribi velis. Hunc locum pertractat Salmas. Hist. Aug. edit. Hack. p. 138. 139. Quod dicat *mox* non obscurum adulationis est specimen, præcipue si pro *postea*, ut recte Servius illam significationem observat. Hoc videtur annuere velle: utar verbis Maronis, quæ in fine hujus libri:

Jam pridem nobis cœli te regia, Cæsar,
Invidet.

Sed responsum accommodatum habet, quod in ore est adulatoribus Horat. od. I. 2.

Serus in cælum redeas, diuque
Lætus intersis populo Quirini:
Neve te nostris vitiis iniquum
Ocyor aura Tollat &c.

Et Martial. epigr. VIII. 39.

Esse velis, oro, serus conviva Tonantis. Emmeness.

25 *Urbisne invisere, Cæsar*] Utrum velis terrarum, an maris, an cæli imperium possidere. *Servius*.

Urbisne] Agell. XIII. 19. *urbis* hic dictum esse ait, pro *urbes*. Amplector; nam, *urbis curam invisere*, parum placet. Atqui, *urbes invisere*, satis Latine. *Cerda*.

26 *Et te maximus orbis*] Utrumne te pro Jove coli velis. *Servius*.

27 *Auctorem frugum*] Qui frugibus

et cæteris rebus originem præstes. *Idem.*

Tempestatumque potentem] Aut bonarum tempestatum: ut, *Unde hæc tam clara repente tempestas?* Aut *tempestatum* ait *temporum*: sicut ubique Sallustius. *Idem.*

Auctorem frugum tempestatumque potentem] Sic interpungit H. Stephanus in editione sua: *Auctorem frugum, tempestatumque potentem.* Nec male adeo. *Potentem*, id est, arbitrum, dominum, præsidem. Horat. od. I. 3.

Sic te diva potens Cypri.

Quæ notio, vel in uno Tacito apparet, Ann. IV. 44. *Maris potens.* XI. 31. *An ipse imperii potens?* Hist. IV. 84. *Jovem, ut rerum omnium potentem.* Emmeness.

28 *Materna myrto*] Quæ in honorem est Veneris, a qua Augustus originem ducit per Cajum Cæsarem. *Servius.*

29 *An deus i. v. m.*] Id est, an pro Neptuno coli te velis: et *immensi maris*, cujus mensura non potest comprehendi. *Venias* autem aliqui pro *sis* accipiunt, ac si Græce diceret *οὖσα*, sive *ὑπάρχουσα*; *ire* veteres pro *esse* dicebant. *Idem.*

30 *Numina sola colant*] *Sola*, magna, præcipua, id est, supra alios deos marinos, quasi melior sit futurus, et Neptuno, et cæteris diis marinis. *Idem.*

Thule] Insula est Oceani inter septentrionalem et occidentalem plagam, ultra Britanniam, juxta Orchadas et Hiberniam; in hac Thule cum Sol in Cancro est, dies continuus sine noctibus esse dicitur. Præterea miracula de hac insula feruntur; sicut apud Græcos Ctesias et Diogenes, apud Latinos Sammonicus dicit. *Idem.*

Tibi serviat ultima Thule] Sane nomen hoc per *θ* et *ου* diphthongum scribitur: nonnunquam tamen priore vocali ex diphthongo dispuncta, *Thyle* scriptum invenies: ut habetur in Rom. cod. De hac adverte Strabonis verba, male a quibusdam interpretata, ita legi debere: 'Hanc siquidem super omnes fama vulgatas, magis atque magis ad septentrionem expositam locant.' *Pierius.*

Ultima Thule] Strabo l. IV. in dubium vocat Pytheæ fidem, memorantis talem exstare insulam: Cujus testimonium de hac insula, quæ *βορειοτάτη τῶν Βρεττανικῶν* dicitur, legas apud eundem geographum lib. II. Mela etiam mentionem infert III. 6. *Thule Belgarum littori opposita est, Grajis et nostris celebrata carminibus.* Plura addit de solis ortu et occasu. Vide Morellum ad l. v. Silvar. Stat. p. 580. et 581. Juven. II. 112.

De conducendo loquitur jam Rhetore Thule.

et illic Scholiast. *Emmeness.*

31 *Tethys emat omnibus undis*] Tethys est uxor Oceani, nympharum mater. Quod autem ait *emat*, ad antiquum nuptiarum pertinet ritum, quo se maritus et uxor invicem emebant, sicut habemus in jure. Tribus enim modis apud veteres nuptiæ fiebant: usu; si verbi gratia, mulier anno uno cum viro, licet sine legibus, fuisset: farre; cum per Pontif. Max. et Dialem Flaminem per fruges et molam salsam conjungebantur, unde confarreatio appellabatur; ex quibus nuptiis patrimi et matrimi nascebantur: coëmptione vero atque in manum conventione; cum illa in filiæ locum, maritus in patris veniebat; ut si quis prior fuisset defunctus locum hereditatis justum alteri faceret: et bene, *Serviat*, quia quandocunque in manum convenerat, omnia protinus, quæ doti dicebantur, marito serviebant. Hanc Tethyn, Cic. in Timæo, *Salaciam dicit*; generum vero pro marito positum multi accipiunt, juxta Saffo, quæ in lib. qui inscribitur Epithalamia ait, *χαῖρε νύμφα, χαῖρε τίμιε γαμβρὲ πολλὰ*· ἀντὶ τοῦ νυμφίε. sic et Pind. ἐν τοῖς Ἰσθμίοις. *Servius.*

Emat] *Emere* antiqui dicebant pro

accipere, auctore Festo. Glossarium: *Abemit*, id est ab eo accepit, ἔλαβεν. sic *surremit*, sursum emit, id est suscepit. Quæ significatio J. Scoppæ hic unice convenire videtur. At Servius, aliique plures, hoc ad antiquum nuptiarum ritum pertinere judicant, quo se maritus et uxor invicem coëmebant. Quæ coëmptio certis solemnitatibus peragebatur: virque uxorem interrogabat, *An mulier sibi materfamilias esse vellet?* illa respondebat, *Velle.* Item mulier interrogabat, *Utrum vir sibi paterfamilias esse vellet:* ille respondebat, *velle.* itaque mulier in viri manum conveniebat: et vocabantur hæ *nuptiæ Per coëmptionem:* et erat mulier materfamilias viro, loco filiæ: ut annotat Serv. Æn. IV. 214. et meminit Cicero I. Topicorum. Tribus enim modis uxor habebatur; *Usu, Farre, et Coëmptione.* Vide Lipsium, ad lib. IV. Taciti: item Cujacium, Brissonium, et alios. Sed et Non. in *Nubentes*, de tribus assibus, quos ad maritum venientes ferebant. *Taubm.*

32 *Tardis sidus t. m. a.*] Id est, æstivis. Vel quia optat ut diu vivat; vel quia Virgo et Libra δυσαναφορὰ, id est tarde orientia dicuntur. Et *tardis*, an quia aureo sæculo longiores dies dicuntur fuisse; an post multos tardosque menses, ut deus fiat; an id, *Aut incipient magni procedere menses*, per hunc *magni*. Servius.

An ne novum tardis sidus te mensibus addas] Sunt aliquot antiqui codices, in quibus *atque novum* legitur: ut in Oblongo Vaticanæ bibliothecæ. Sed longe melius *an ne*. Quia posita quæstione, sit ne terris imperaturus, an Deus immensi veniat maris: quærit demum an tertiam mundi sedem, quippe cælum, sit habiturus. Duos vero signat in cælo locos Cæsaris apotheosi destinatos, ut nostro illuceat orbi, si quippe sedem, aut ad polum arcticum, aut ad æquinoctialem statuerit. Minime vero vult eum antarcticum incolere: quem polum sub pedibus Styx atra videt, manesque profundi. *Pierius.*

Tardis mensibus] Id est æstivis. quos *tardos* vocat, ob horas, quibus Romani utebantur, καιρικὰς sive Civiles: quæ Junio et Julio mensibus tardissimæ adeoque longissimæ erant: unde et Martial. XII. 1. *æstivam horam* pro longa dixit, ut contra Plautus Pseudulo, sc. ult. *hibernam* pro brevi. Vide Cæl. Rhodig. XII. 9. et Fr. Polletum de foro R. sed et Palladium. *Taubmann.*

33 *Qua locus Erigonen i. C. s.*] Ægyptii duodecim esse asserunt signa. Chaldæi vero undecim. Nam scorpium et libram unum signum accipiunt. Chelæ enim scorpii libram faciunt. Iidem Chaldæi volunt æquales esse partes in omnibus signis; sed pro qualitate sui, aliud signum XX. aliud XL. habere: cum Ægyptii tricenas esse partes in omnibus velint. Modo ergo secundum Chaldæos locutus est, dicens posse eum habere locum inter scorpium et virginem. nam Erigone ipsa est virgo. Sciendum deinde est voluisse majores in his signis esse deorum domicilia: ut Solis est Leo: Lunæ vero Cancer. Ceterorum vero quinque planetarum bina sunt signa: prout se ratio siderum sequitur. Nam primus circulus a terra, Lunæ est; secundus Mercurii; tertius Veneris; quartus Solis; quintus Martis, sextus Jovis; Saturni ultimus. Sed remotis Sole et Luna, quorum sunt domicilia Leo et Cancer; hi quinque ordine quo eorum sunt circuli, bina possident signa, unum a sequentibus, et unum a superioribus: ut Mercurii sint Virgo et Gemini: Veneris, Libra et Taurus: Martis, Scorpius et Aries: Jovis, Sagittarius et Pisces: Saturni, Capricornus et Aquarius. Unde per hæc loca siderum, Augustum et fortem propter Scorpium, id est, Martis domicilium: et justum propter Libram: et prudentem propter vicinam Virginem, id est, Mercurii domicilium fore

significat. Vel certe ideo inter Scorpionis brachia, quæ sunt Libra, et Erigonem, quæ est Virgo; quia Libra æquitas, Virgo Justitia. Sane hæc Erigone Icari filia fuit, tantæ pietatis in patrem, ut cum eum vidisset mortuum, omni se luctu ac mœrore conficeret; ob quam rem misericordia deorum inter signa locum virginis, sub Justitiæ vocabulo, jussa est obtinere. Chelas autem sequentes ideo ait, quia, sicut dictum est, ipsæ sunt Libra. Bene autem Augusto inter Virginem et Scorpium, id est, inter justitiam et virtutem, locum tribuit: (nam Chelæ, Scorpii brachia sunt; quæ sexaginta partes in cœlo sunt:) ut solum fore significet. *Servius.*

Chelasque sequentes] Χηλαὶ, forfices Cancrorum, itemque ungula bisulca et bipartita instar forficis Cancrinæ: cujusmodi Scorpio cœlesti affinguntur, quæ Noster hic *brachia* Scorpii indigitat. Etiam Ovid. Met. XV. 42. *Concava brachia cancri* dixit. Hæ autem *Chelæ Scorpii* Libram faciebant: et pro Libra sæpius ponuntur. Manil. lib. II. *Scorpios in Libra consumit brachia.*——Sciendum enim Veteres mathematicos Libram ignorasse, atque undecim tantum Signa adseruisse: et Scorpium in sexaginta partes digessisse, ut duorum Dodecatemoriorum spacium occuparet: unde et *Duplex* Germanico dicitur: *Scorpios hinc duplex, quam cætera, possidet orbem, Sidera, per Chelas geminato sidere fulgens.* Ita Ovid. Met. II. f. 2. *Est locus, in geminos ubi brachia concavat arcus Scorpius, et cauda flexisque utrinque lacertis, Porrigit in spacium signorum membra duorum.* Videatur Hyginus II. 27. Fortasse hinc et μέγα θηρίον Arato, et Lucano l. VI. *magnus* nuncupatur. Ponit igitur Augustum inter Virginem et Scorpium, inter quæ nunc *Libræ* seu *jugi* signum collocatur. *Taubm.*

34 *Panditur ipse tibi*] Ordo est, *Qua locus ipse tibi panditur. Tibi* autem, in tuum honorem et gratiam. *Ipse autem*, ultro, sua sponte. *Ipse tibi.* Hic distinguitur, nisi dixeris, *Ipse tibi jam brachia contrahit ardens Scorpius*, bene optantis, ne verba maledictum comprehendisse videantur. *Servius.*

Jam brachia c. a. S.] Ideo Augusto merito juxta Scorpium locum adsignat, quia sidus hoc supra Romam positum creditur. Varro tamen ait se legisse Empedocli cuidam Syracusano a quadam potestate divina mortalem aspectum detersum; eumque inter cætera tres portas vidisse, tresque vias: unam ad signum Scorpionis, qua Hercules ad deos isse diceretur: alteram per limitem, qui est inter Leonem et Cancrum: tertiam esse inter Aquarium et Pisces. Argute itaque eam viam et sedem tribuit Augusto forti Imperatori, quam habuit deus fortis. *Idem.*

Ardens Scorpios] *Ardens* ad illud refertur, quia Martis est domicilium: nam Scorpii tempus frigidum est, quippe cujus November mensis est. Vel *Ardens* ad virus ejus, vel ad cupiditatem Augusti recipiendi. *Idem.*

Ardens] Quia Scorpii οἰκοδεσπότης Mars est, qui calidissimus. *Taubm.*

35 *Justa plus parte*] Secundum Chaldæos, qui Scorpium dicunt spatium duorum signorum tenere. Ergo et loci spatio te invitat. *Servius.*

Jam brachia contrahit ardens Scorpios, et cæli justa plus parte relinquit] Nonnulli *Scorpius.* Sed in Rom. cod. *Scorpios* scriptum est per *os*, voce Græcanica. Nam et in vocabulis græcis hujusmodi desinentiam veteres adamasse ostensum sæpius. Sane vero Probus Valerius, hic *scorpios* agnoscit: dum in artium Institutis, hoc ipso loco teste, corripi in nonnullis nominibus *os* in recto probat. In Rom. cod. *reliquit* est, tempore præterito, quasi olim numen illuc præsenserit accessurum. Sed melius præsens, ut contrahit. *Pierius.*

Cæli justa plus parte relinquit] Tibi relinquit locum Libræ. Unde Poëta

satis vetus: *Et libram, quam Cæsar habet.* Ac censet Jos. Scaliger alludi ad natalem Cæsaris Augusti principio Libræ, IX. Calend. Octobres, quem vide *Ad Manilium*, mihi pag. 162. et 165. et 133. Item in *de Emendat. temp.* lib. V. pag. 415. Novv. Editt. Servius putat, per hæc loca siderum significari Augustum et *Fortem* esse, propter Scorpium (Martis domicilium); et *Justum* (propter Libram); et *Prudentem*, propter vicinam Virginem (id est, Mercurii domicilium). vide Servium. *Taubmann.*

36 *Quicquid eris*] Ordo est, Quicquid eris, da facilem cursum. Cætera enim per parenthesin dicta sunt. *Servius.*

Nec sperent Tartara regem] *Nec sperent* dixit, quasi beneficium de quocunque venerit. *Idem.*

Nam te nec sperent Tartara regem] In Romano *sperant*. In Longobardico *jam te*. Quæ scilicet, jam decretum sit, te apud superos futurum. Sed vulgata lectio, *Nam te nec sperent*, in longe pluribus habetur exemplaribus. *Pierius.*

Nam te nec sperent Tartara] Rejicitur quarta divinitatis species, quasi Augusti numen adeo sit excellens, ut superis potius, quam inferis accenseri mereatur. quantumvis Elysii regnum immodicis Græcorum laudibus efferatur: adeoque ab ipsa Proserpina huic adspectabili cælo prælatum fuisse prædicetur. Jam de *Tartaro* et *Campis Elysiis* quid attinet hic dicere, cum de iis pleni sint libri fere omnes? Vide mihi tamen vel Æn. VI. et Platonem in Gorgia. *Taubmann.*

37 *Nec tibi regnandi veniat, &c.*] Allegoricôs dicit illum nec debere mori velle, nec posse. *Dira* autem pro magna, vel vehemens. *Servius.*

38 *Quamvis Elysios m. G. c.*] Licet præferantur inferi a Græcis Poëtis. *Idem.*

Quamvis Elysios m. G. c.] In Mediceo cod., in Longobardico, et quibusdam aliis, *Elyseos* per *e* in pene ultima scriptum est. Ut ex αἰθέριος, *æthereus:* quæ mutatio Jonum more placuit majoribus nostris. Nunc autem *ætherius*, per *i* scribitur a plerisque, et ab omnibus *Elysios* eadem vocali. *Pierius.*

39 *Nec repetita sequi curet*] Ceres cum raptam a Plutone Proserpinam filiam diu quæsisset: tandem aliquando eam esse apud inferos comperit: pro qua re cum Jovis implorasset auxilium; ille respondit posse eam reverti si nil apud inferos gustavisset. Illa autem jam Punici mali in Elysio grana gustaverat: quam rem Ascalaphus Stygis filius prodidit. Unde Proserpina ad superos remeare non potuit. Hinc ait Lucanus, *Quæ te detineant Ætnæa dapes.* Quam necessitatem modo Virgilius Proserpinæ tribuit voluntati. Sane Ceres a Jove postea meruisse dicitur, ut Proserpina sex esset cum matre mensibus, sex cum marito: quod ideo fingitur, quia Proserpina ipsa est quæ et Luna, quæ toto anno sex mensibus crescit, sex deficit: scilicet per singulos menses quindenis diebus: ut crescens apud superos, deficiens apud inferos esse videatur: *Nec sequi curet Proserpina matrem*, ad admirationem Elysiorum posuit, quod matri prælati sunt. *Servius.*

Nec repetita sequi] De eadem Lucanus lib. VI. *Cælum matremque perosa Persephone*, id est Proserpina sive Libera, Jovis et Cereris filia a Plutone rapta. Notetur autem, Poëtam hic tribuere Proserpinæ voluntati, quod alii necessitati cum inferis manendi. Vide Servium. Raptum vero istum luculenter descripsit Ovid. Fast. IV. et Met. V. fab. 5. item Cicero IV. Verrina: sed omnium luculentissime Claudianus tribus libris. Porro ita Martial. XII. 52. de Sempronia: *Tu melior* (scil. Helena) *quæ deserto raptore redisti.*

Illa virum voluit nec repetita sequi. Taubmann.

40 *Da facilem cursum*] Meo scilicet poëmati. *Servius.*

Atque audacibus a. c.] Verecunde suas vires extenuat, et commendat operis difficultatem dicendo *Audacibus*. Idem.

41 *Ignarosque viæ mecum miseratus agrestes Ingredere*] Aut mecum viæ (id est rationis) aut artis ignaros miseratus rusticos juva; aut mecum ignaros intelligas: aut rusticis ignaris fave mecum, id est, quibus etiam ego his scriptis plurimum collaturus sum: aut mecum ignaros agricolas miserare: aut eis mecum fave. *Idem.*

42 *Et votis jam nunc assuesce vocari*] Id est, vivus adhuc. Nam (ut diximus) Augustus vivus divinos honores meruit. *Idem.*

Et votis jam nunc assuesce vocari] Inter mortales dum moraris, vota tibi, tanquam Deo, o Auguste, patiaris nuncupari ab agricolis. *Jam nunc*, id est, continuo, nulla interjecta mora. Elegans usus harum particularum pro *statim*. Plaut. in prol. Menæch. vs. 47. *Ne mox erretis, jam nunc prædico prius.* Phædr. IV. 20. *Quem volo refelli jam nunc responso meo.* Ter. Andr. I. 2. 144. *Eamus jam nunc.* Plura Hadr. Card. *Emmeness.*

43 *Vere novo gelidus canis cum montibus humor Liquitur*] *Novum* multa significat, nam et recens aliquid novum dicitur, ut ipse ait, *Lac mihi non æstate novum*, id est, recens: novum dicitur et magnum, ut *Pollio et ipse facit nova carmina;* modo autem Novum Ver ideo ait, quia anni initium mensis est Martius. Et sciendum decem tantum menses fuisse apud majores. Martium autem anni principium habere voluerunt, propter Martem, suæ gentis auctorem, quod multis firmatur auctoribus. Nigidius in sphæra Græcanica, novum annum æquinoctium Vernale memorat. Varro epistolicarum quæstionum, *Inter mensem Februarium, qui tunc esset extremus, et inter calendas Martias, quæ tunc erant primæ.* Atta, *annum novum voluerunt esse primum mensem Martium.* Et alibi, *Majores Martium primum habuerunt.* Aprilis vero dictus est, quasi terras tepore aperiens. Majus a Maja: Junius a Junone: quamquam alii a majoribus et junioribus hos duos menses velint esse nominatos. Nam antea populus Rom. in centurias juniorum et seniorum divisus fuerat. Reliqui jam a numero nominabantur, Quintilis, Sextilis, September, October, November, December, et hi erant tantum decem menses. Duo vero, propter rationem signorum anni, intercalabantur, qui postea a Jano et a Februo nominati sunt. Februus autem est Ditis pater: cui eo mense sacrificabatur. Quintilis et Sextilis mutati sunt postea in honorem Julii Cæsaris et Augusti. Unde sunt Julius et Augustus. Sic Ovidius in Fastis.

Ergo, *Vere novo*, et anni initio accipiamus, et prima parte Veris. Nam anni quatuor sunt tempora divisa in ternos menses: qui ipsorum temporum talem faciunt discretionem: ut priore mense Ver novum dicatur: secundo adultum: tertio, præceps. Sicut etiam Sallustius dicit, *ubique nova æstas, adulta, præceps.* Sic Autumnus novus, adultus, præceps. Item Hyems nova, adulta, præceps vel extrema. Unde est, *Extremæ sub casum hyemis.* Sane sciendum Xenophontem scripsisse unum librum Œconomicum: cujus pars ultima agriculturam continet: de qua parte, multa ad suum hoc opus Virgilius transtulit; sicut etiam de Georgicis Magonis Afri, Catonis, Varronis, Ciceronis quoque libro tertio Œconomicorum, qui agriculturam continent. Nam primus præcepta habet, quemadmodum debeat materfamilias domi agere: secundus, quemadmodum foris paterfamilias. Illud quoque sciendum est, in his libris non esse obscuritatem in quæstionibus, sicut in Æneide, nisi

in paucis admodum locis. Sed in hoc tantum esse difficultatem, ut res positas intelligamus: id est τὸ κείμενον; sicut hac prima quoque ejus præcepta significant. Nam hoc dicit agrum fertilem, id est pinguem et herbosum, bis debere arari: semel verno tempore, ut et herbæ adhuc teneræ et sine semine avellantur: et æstatis calore, ut superfluus humor siccetur, vel glebarum putrefiat durities: et semel Autumnali arandum cum seminibus. Agrum vero tenuem et sterilem Autumnali tantum tempore arandum: ne si etiam Verno araveris, exiguus ejus humor siccetur æstate. *Servius.*

Vere novo, &c.] Narratio, et princeps quidem præceptum est, de primæ arationis tempore: quod Ver novum statuit: fuitque illa tempestate (ut semel hic dicam) Veris initium ex a. d. VII. Id. Febr. quemadmodum Æstatis ex a. d. VII. Id. Maji. Autumni ex a. d. VII. Id. Sextilis. Hiemis ex a. d. IV. Id. Novembr. Varrone auctore, I. 28. De re rust. Est autem Veris hic primi descriptio rustica ex adjunctis, quod Ver signate novum vocat. Nam anni quattuor sunt tempora, divisa in ternos menses: et ipsorum temporum talis est discretio, ut primo mense Veris dicatur *Ver Novum* (Plinio *primum*, Ciceroni *ineuns*); secundo *adultum* (aliis, *ver medium*); tertio *præceps* (Ciceroni *extremum*, Cæsari *præcipitans*, Ammiano *senescens*). Ita et *Æstas* dicitur *Nova*, *adulta*, et *præceps*: ita *Auctumnus*, itaque *Hiems*. Quin et de die sic censendum. Ita R. Festus Avienus,

—— *tempore noctis adultæ:*

Quod Germanicus,

—— *nocte suprema:*

Cicero, *præcipitante nocte*. Simili modo et Græci mensem in tres decadas dividunt: ut prima sit μηνὸς ἱσταμένου, secunda μεσοῦντος, tertia φθίνοντος. *Taubmannus.*

Canis montibus] Albis ex nive. *Serv.*

Canis montibus] Quod proprie competit capillis, qui cani sunt. Hic de nivibus, sic vice versa nives pro canitie. Horat. od. IV. 13.

—— *Te quia rugæ*
Turpant, et capitis nives.

Idem de pratis od. I. 4.

Nec prata canis albicant pruinis.

Stat. Theb. l. I.

Canis alturibus.

pro albis. *Emmeness.*

44 *Liquitur*] *Liquor* cum nomen est, *Li* brevis est: cum ad verbum venerit, producitur: ut liquor, liqueris, liquitur: nam mutavit naturam: sicut humus, *hu*, brevis est: humanus producitur. Item itur, *i* producitur: iturus corripitur. *Liquitur* autem, *defluit*, *resolvitur*. Servius.

Liquitur] Hoc verbum familiare Maroni. Sic Ge. II. 187.

—— *Summis liquuntur rupibus amnes.*

Id est, dissolvuntur: et Æn. III. 28.

—— *Atro liquuntur sanguine guttæ.*

Sic *mella liquentia*, *vina liquentia*. Emmeness.

Et zephyro putris se gleba resolvit] Quo tempore Favonii flatu arva laxantur, quæ fuerant præclusa frigoribus. Ipse alibi, *Rura gelu tunc claudit hyems*. *Putres* autem glebas, *solubiles*, quas tepor efficit et aratrum. *Servius.*

Zephyro] Latinum est vocabulum, Favonius. Plin. XVIII. 34. *Ipse leniter pluvius, tamen est siccior Favonius, ex adverso ejus ab æquinoctiali occasu, Zephyrus Græcis nominatus*. Gell. II. 22. *Favonius, qui Græce vocatur Ζέφυρος*. Ut Favonius a fovendo vel a favendo, sic Ζέφυρος, quasi ζωηφόρος, ut Voss. in Etym. Plauto in Mercat. V. 2. 35. *Ventus*, dicitur *serenus*, *faciens tranquillitatem*. Vel ut Colum. II. 21. *Favonius habetur eximius, qui lenis, æqualisque æstivis mensibus perflat. Veneris prænuntius appellatur*. ut venuste Lucret. l. V.

It Ver, et Venus, et Veneris prænuntius ante
Pennatus graditur Zephyrus vestigia propter.

Terram, hiemis frigore clausam, laxare solet, ut Lucretius l. I.

Nam simul ac species patefacta est verna diei;
Et reserata viget genitalis aura Favoni.

Et Statius Theb. l. IV. in princip.

Tertius horrentem Zephyris laxaverat annum
Phœbus.

Idem Noster Ge. II. 330. Occidentalem vero cardinem retinet Ζέφυρος. ut Vegetius IV. 38. ad quem locum vide Stewechium. Veris et Favonii, sive Zephyri, sæpe simul fit mentio. Horat. od. II. 4.

Solvitur acris hyems grata vice veris et Favoni. Emmeness.

Putris gleba] Ut *putre* idem, quod *solutum* esse apud Pers. sat. V. Sic, *terra putris*, quæ soluta est; nam cum aramus (teste Turnebo XVIII. 27.) id præcipue agimus, ut terra rigida solutior reddatur. Noster Ge. II. 204.

Et cui putre solum (namque hoc imitamur arando).

Et Æn. XI. 875.

Quadrupedumque putrem cursu quatit ungula campum.

Colum. II. 2. *Putre solum* idem quod *pingue* affirmat. Statius Theb. l. VIII.

—— *Niveoque rigant sola putria nimbo.*

Sed vide Bernart. ad Theb. Statii l. IV. in edit. Crucei p. 174. *Emm.*

45 *Depresso incipiat jam tum mihi taurus aratro Ingemere*] Aliud pendet ex alio: nam altius impressum aratrum boves cogit in gemitum: quod genus arationis, pingui convenit terræ: nam e contrario paulo post de infœcunda terra dicturus est; *Tenui sat erit suspendere sulco.* *Mihi* autem, aut vacat: Cicero, *Qui mihi accubantes in conviviis:* aut *Mihi*, id est, rustico, amanti terras. Et *Taurum* bovem fortissimum accipimus: nam tauri difficile ad aratra junguntur. *Servius.*

Jam tum] Id est, ex eo temporis puncto. Ciceronianum est. ut Hadr. Card. Cic. pro A. Licinio. *Ita se jam tum gessisse pro cive iis temporibus.* et sexcenta alia. *Emmeness.*

46 *Ingemere*] Lucr. l. V.

—— *ni vis humana resistat,*
Vitai caussa valido consueta bidenti
Ingemere, et terram pressis proscindere aratris.

C. Tacitus de moribus Germ. *Ingemere agris, illaborare domibus, suas alienasque fortunas spe metuque versare.* Taubmann.

Attritus splendescere vomer] Lucretius, *Occulto decrescit vomer in arvo:* quod evenire frequenti aratione novimus, ut et splendidior fiat et teratur. Cato in oratione ad filium, *Vir bonus est, M. fili, colendi peritus, cujus ferramenta splendent.* Dicimus autem et hic vomer, et hic vomis: sed ab utroque, hujus vomeris facit. *Servius.*

Sulco attritus splendescere vomer] Quod fit frequenti aratione. Ovid. Amorum I. 8.

Æra nitent usu ——

Lucret. l. I.

—— *uncus aratri*
Ferreus occulte decrescit vomer in arvis. Taubmann.

47 *Illa seges demum*] *Seges* modo terra, ut, *nec pecori opportuna seges.* *Demum*, novissime, vere, specialiter. *Servius.*

Votis respondet] Immane est, quod ait *Votis.* Nam plerumque plus optamus, quam speramus posse contingere. *Idem.*

Respondet] Aut satis faciet, aut consentiet: ut, *Dictis respondent cætera matris.* Idem.

Avari] Id est, quamvis avari, et plus est quam si dixisset, parci. Nigidius, *Quia qui parcior est, suo contentus est, quod avarus non facit.* Serv.

Votis agricolæ respondet] Desidc-

rium rustici avidum, ipso eventu proventuque æquat impletque. Contra inferius vs. 226.

—— *sed illos*

Exspectata seges vanis elusit avenis.

Ovid. Met.

—— *arvaque jussit*

Fallere depositum.

Horat. Epist. I. 7.

Spem mentita seges.

Taubmann.

48 *Bis quæ solem, bis frigora sensit*] Quæ bis et dierum calorem, et noctium senserit frigora. Per quod duplicem ostendit arationem, Vernalem et Autumnalem. nec enim ad tempora æstatis vel hyemis referre possumus, quod ait, *Bis solem, bis frigora:* quia non sunt in Italia in uno anno duæ æstates, et duæ hyemes: sicut geometræ dicunt esse in quadam parte Indiæ, in insula Taprobane: aut sicut quidam dicunt, ideo bis, ut semel cum fructibus, semel vacua, solem et frigus perpessa accipiamus. *Servius.*

Bis quæ solem, bis frigora sensit] Theophrasto, *solem sentire* est ἡλιωθῆναι: *Frigora sentire*, χειμασθῆναι. Ubertatem frugum proventuram maximam a novalibus, altero quæ anno cessant, et altero conseruntur, exserit Probus. De quarta aratione interpretatur Floridus Sabinus lect. subcis. II. 14. Recte quidem; nam secundum vulgarem agri colendi rationem, prima aratio instituebatur vere, quæ proscissio, secunda hanc excipiebat, quæ iteratio, et post eam tertia, quæ tertiatio dicebatur. Et triplici hac aratione defuncti, satis terram exercitam existimabant. De his vide Varr. I. 29. Sed quarta aratio erat maximi momenti: non satis autem distincte arationis describit tempora. Accommodatior videtur explanatio Salmasii, quam videas in exercit. Plin. p. 725. et seqq. ubi arationes accuratius delineatas habes quatuor. *Prima aratio hiberna, sicut ultima, quæ sationi adjuncta erat. His duabus hibernis arationibus bis frigora sentiebat arvum, et bis solem verna et æstiva. Sic quatuor arationibus subactum intelligendum est illud solum, quod bis frigora, et bis calorem perpessurum est. Locum illum Virgilii ita ut explicavimus interpretatos esse veteres agricolationis prudentes Plinius monstrat his verbis* XVIII. 20. *Quarto seri sulco Virgilius existimatur voluisse, cum dixit optimam esse segetem, quæ bis solem, bis frigora sensisset.* Emmeness.

49 *Immensæ*] Infinitæ. *Servius.*

Ruperunt horrea] Plus est, quam si diceret, impleverunt; hoc est, ut non habeat ubi reponat. *Idem.*

Ruperunt horrea messes] Sidon. I. 6. *Frugibus rupta congestis horrea.* Et Manilius l. III. *Vincentemque horrea messem.* Cerda.

50 *At prius ignotum ferro quam scindimus æquor*] Id est, ante quam faciamus vervactum. Si autem non *immensum*, sed *ignotum* legeris, nobis ignotum significat. *Æquor* autem modo terram accipe, ab æqualitate dictam, ut, *Præcipitemque Daren ardens agit æquore toto.* Unde et maria, æquora dicunt. *Servius.*

51 *Ventos*] Quia diversis locis diversi prævalent venti. Et hoc dicit, Debes scire, ager cui vento subjaceat. *Idem.*

Varium cæli prædiscere morem] Id est, aëris. Lucretius, *in hoc cælo qui dicitur aër.* Et hoc dicit, Debes etiam cæli qualitatem nosse; utrum pluviis gaudeat, an tepore, vel frigore. *Idem.*

Varium cæli prædiscere morem] Prudentis est agricolæ, ad utilissimum hoc monitum aures arrigere, imo animum adjungere, quod a plerisque omnibus rei rusticæ scriptoribus in singulis fere paginis etiam atque etiam commendatur. Nisi enim et aëris explorata sit qualitas, ventorum vis, et cœli temperies post luculentam sementem messem non faciet

agricola, impensæ, spei, et labori respondentem. Cato de r. r. c. 1. *Uti bonum cælum habeat, loco salubri, &c.* Varro I. 2. et 3. *Primum inquit, non modo est ars, sed etiam necessaria, ac magna: eaque est scientia, quæ docet, quæ sint in quoque agro serunda, et faciunda, quæque terra maximos perpetuo reddat fructus.* et c. 4. *Ejus principia sunt eadem, quæ mundi esse Ennius scribit, aqua, terra, anima, et sol. Hæc enim cognoscenda prius, quam semina, quod initium fructuum oritur.* Sic et in sequentibus cap. Ex quibus perspicuum, colonum ὀρθῶς γεωργήσειν, qui φύσιν τῆς γῆς, naturam terræ, habet pulchre cognitam, ut Xenoph. œcon. Plurimus in hoc præcepto adstruendo est Theophrastus. Nec Plinii auctoritas desideratur, cujus hæc sunt verba XVII. 4. *Quibusdam locis afflatus maris noxii, in plurimis iidem utiles, &c.* Sic XVIII. 21. Columella etiam in præfat. quid officii sit illius, qui se perfectum profitetur agrorum cultorem, docet, et sexcentis locis aliis. *Emmeness.*

Cæli morem] Notanda locutio. Columel. in præfat. *cæli mores* dixit; sicut et Plin. XIV. 1. *Ad cæli mores, solique ingenia.* Et XVII. 2. *Ad soli naturam, ad loci ingenium, ad cæli cujusque mores dirigenda solertia est.* Sic enim legendum in Plinio, non, *minores*, quod hic *morem cæli.* Columel. I. 1. dixit: *qualitatem cæli statumque.* Et Arnob. l. VII. cæli *statum, habitum.* Extremam vocem Plin. XVII. 4. *Siccata regio mutavit cæli habitum.* Ante istos Theophrast. caus. II. 4. ἀέρος διαθέσεις, ibid. κράσεις ἀέρος. Quo etiam usus Strabo l. VI. ἀέρων τε, καὶ κράσεων. et statim ἐυκρασία ἀέρων. *Cerda.*

Cæli morem] Id est, naturam, ut Stat. Silv. l. III.

Quos tibi currenti præceps ferat Adria mores.

Tam late patet, quam ἦθος Græce, ut Gevartius ad locum citatum. *Emm.*

52 *Patrios cultusque, habitusque locorum*] Duas res dicit. Sciendum est, ager et quemadmodum a majoribus cultus sit, et quid melius ferre consueverit. nam *habitus* locorum, possibilitates vel naturas accipiamus: quas Græci τὰς ἕξεις dicunt. Alii *patrios*, naturales exponunt. *Servius.*

Ac patrios cultusque habitusque locorum] In Oblongo Vaticanæ bibliothecæ codice *cultus habitusque* legitur: particula *que* semel tantum posita in Longobardico, quæ post *cultus* adscripta erat, abrasa est. Vetera exemplaria reliqua *cultusque habitusque* legunt, et particula illa utrique vocabulo adjecta, versui decorem et gravitatem mihi addere videtur. *Pierius.*

53 *Et quid quæque ferat regio*] Non omnis tellus omnia fert. Vel ut Noster Ge. II. 109.

Nec vero terræ ferre omnes omnia possunt.

Verum est illud, quod Plin. XVIII. 18. affirmat: *In omni quidem parte culturæ, sed in hac quidem, maxime valet oraculum illud. Quid quæque regio patiatur.* Colum. I. 4. Maronem *verissimum vatem* ideo appellat, et tanquam oraculum laudat præceptum Maronis, quod tribus versibus 51. 52. et 53. continetur. *Emmeness.*

Quid quæque recuset] In nonnullis antiquis codicibus legere est: *quid ferre recuset.* Quod ego crediderim ex paraphrasi desumptum. *Pierius.*

54 *Hic segetes, illic veniunt felicius uvæ*] Antiquos admodum codices vidi, in quibus versus hoc numero legitur, *Hic segetes veniunt, uvæ felicius illic.* Sed enim vulgata lectio magis aures implet, et longe suavior videtur. *Idem.*

Hic segetes, illic veniunt felicius uvæ] Q. Varronis de r. r. I. 7. *Non enim eadem omnia in eodem agro recte possunt, nam ut alius est ad vitem appositus, alius ad frumentum, sic de cæteris alius ad aliam rem.* Attendendum igitur

ad id, quod spondet soli natura, et quibus ferendis frugibus terra optime sit idonea, ut Salmas. in Plin. exercit. ad hunc sensum Maronis. p. 178. *Emmeness.*

Veniunt] Crescunt. ut, *Et pulchro veniens in corpore virtus;* vel proveniunt. *Servius.*

55 *Arborei fœtus alibi*] Id est poma. Et arboreum aliqui duobus modis accipiunt. Aliter enim in Æneide de telo, *ingens arboreum.* Cornificius, ut *folia quæ frugibus arboreis tegmina gignuntur.* Idem.

Atque injussa virescunt Gramina] Bene *injussa:* nam frumenta studio jussa nascuntur. Unde est, *Atque imperat arvis.* Et nunc hic unum alibi deest, ut fiat, *Atque alibi injussa virescunt gramina.* Idem.

Arborei fœtus] Pro eo Ovid. Met. I. 104. *Arbuteos fœtus.* Emmeness.

Atque injussa virescunt Gramina] In Longobardico codice abrasa est dictio *injussa.* Ejusque loco repositum *invisa.* Sed *injussa* omnino lectio castior est: quam et Servius agnoscit. *Pierius.*

56 *Nonne vides*] Aut Mæcenati dicit, aut rustico, et argumentatur; quasi hoc dicens, Si una provincia ferre non potest omnia, quanto magis unus ager? *Servius.*

Ut Tmolus] Mons Ciliciæ, in quo nascitur crocum præcipue: nam loca commemorat, ubi plus provenit et melius aliquid. Nam crocum et in Africa nascitur, sed non tale, nec tantum, quantum, vel quale in Cilicia. Sed Tmolus est mons etiam Lydiæ, circa oppidum Sardis, qui diversis floribus abundat, unde multi de Tmolo croceos odores similes croco accipiunt; alii non dixisse eum crocum apud Tmolum nasci; sed vinum Tmoleticum crocei odoris: nam et crocum in Cilicia apud Corycum nasci Sallustius meminit. *Idem.*

Croceos ut Tmolus odores] Tmolum, montem esse Ciliciæ, quo colore sustineat Servius, non video. Cilicio croco primam nobilitatem deberi docet. Plin. XXI. 6. Sed Idem XV. 29. hunc montem ponit in Lydia: *Celebratur maxime Sardibus in latere Tmoli montis, qui ante Timolus appellabatur.* Hujus montis meminit Ovid. Met. II. 151.

Tmolus in adscensu: clivoque extentus utroque,
Sardibus hinc, illinc parvis finitur Hypæpis.

Columell. III. 8. *Tmolon et Corycion florere croco.* Emmeness.

57 *India mittit ebur*] Et in Africa fuerunt elephanti, sed majores in India. Hinc est quod ait Terentius, *Elephantis quem Indicis præfecerat,* id est maximis. Et *India mittit,* quasi pendit. *Servius.*

India mittit ebur] Propter dentes elephantis insidiæ parantur, qui solum ebur sunt, ut Plin. VIII. 3. et 8. Inde Catullus carm. LXV.

Pulvinar vero Divæ geniale locatur
Sedibus in mediis, Indo quod dente politum.

Et Ovid. Met. VIII. 288.

—— *Dentes æquantur dentibus Indis.*

Id est, ebore. Quemadmodum optimi elephanti sunt Indici, ut Servius ex Terentio: sic *ebur Indicum* pro optimæ notæ Noster Æn. XI. 67. Horat. od. I. 31. *Ebur Indicum.* Emmeness.

Molles sua tura Sabæi] *Sabæi* populi sunt juxta Syriam et Arabiam: dicti Sabæi ἀπὸ τοῦ σέβεσθαι, quod apud eos tus nascitur, quo deos placamus. *Molles* autem ideo ait, vel quod sub aëre clementiore sunt: (nam, ut ait Lucanus, *Quidquid ad Eoos tractus mundique teporem Labitur, emollit gentes clementia cœli*) aut certe quia Alexander Macedo dicitur obscœnos omnes ab exercitu suo segregatos, illic condidisse. Sane *tus* modo sine aspiratione dicimus: nam antiqui thus dicebant, ἀπὸ τῶν θεῶν, quod diis placuit: vel ἀπὸ θύω, quod est sacrifico tura enim a tundendo dicta esse voluerunt, a glebis tun-

sis: cum quibus dicitur fluens de arboribus coalescere. Alii Sabæos Arabas dicunt, colonos Ægyptiorum ex effœminatis collectos, ac de Arabia illuc deductos; vel ideo molles, quod fœmineos cultus vestesque gerunt. *Servius.*

Molles sua tura Sabæi] *Tus* quasi a tundendo sine adspiratione non pauci scribunt, qui codicum antiquorum fiducia freti, pro sua stant parte acriter. Vide Achill. Statium ad Tibull. p. 413. Nec auctoritate destituti sunt, qui *thus* per *th* ἀπὸ τοῦ θύειν scribendum contendunt. Consule Pierium in Æn. I. 421. Dausq. in orth. Voss. in etymol. *Sabæi turis* tanquam præstantissimi sæpius Noster meminit: Ge. II. 117.

—— *Solis est turea virga Sabæis.*

Æn. I. 420.

—— *Centumque Sabæo*
Ture calent aræ.

A Saba, cujus incolæ Sabæi. De horum regione vide Salmas. exercit. Plin. p. 499. Apud hos teste Strabone l. XVI. nascitur Σμύρνα, Λίβανος, Κιννάμωμον. Idem docet Theophr. IX. 4. Inde Arabia Dioscoridi dicitur λιβανοφόρος. Propter myrrham, tus et cynamomum: hanc regionem aggressus est Alexander, ut Arrianus l. VII. Turis usum in sacris nemo ignorat, quod tribus digitis sumptum in acerra, conjiciebatur in ignem. Unde Ovid. Fast. II. 573.

Et digitis tria thura tribus sub limine ponit.

Huc pertinet illud, quod de Leonida traditur, Alexandrum discipulum insimulante, quod sine parcimonia tura aris ingereret. Qui postea Arabia potitus, ture onustam navem misit ei, exhortatus, ut large Deos adoraret. Meretur veniam error poëtarum, qui de prima notitia canunt, ignorantes divina oracula. Quando ad Romanos pervenerit, docet Ovid. Fast. I. 341. Sed vide Arnob. lib. VII. adversus gentes. *Emmeness.*

58 *At Chalybes nudi ferrum*] Subauditur ubique *mittunt. Chalybes* populi sunt apud quos nascitur ferrum. Unde abusive dicitur chalybs, ipsa materies: ut, *Vulnificusque chalybs. Nudi* autem, aut apud quos arbores non sunt: aut vere nudi, propter ferri cædendi studium. Nam legimus, *Brontesque Steropesque et nudus membra Pyragmon.* Servius.

At Chalybes nudi ferrum] Gens in Ponto, quæ ferrum reperisse dicitur, ut Philargyrius. Quare Æschylus in Prometheo eos appellat σιδηροτέκτονας. et Apoll. Rhod. arg. II. 374.

—— μετὰ δὲ σμυγερώτατοι ἀνδρῶν
Τρηχείαν χάλυβες καὶ αἰπειρέα γαῖαν ἔχουσιν
Ἐργατίναι. τοὶ δ᾽ ἀμφὶ σιδήρεα ἔργα μέλονται.

Mela ponit *Chalybes* proximos Paphlagoniæ I. 19. *Chalybes proximi urbium clarissimas habent Amison et Sinopen, Cynici Diogenis patriam.* De his etiam passim legas Strab. l. XIV. *Emmeness.*

Virosaque pontus Castorea] Fibri, canes sunt Pontici: quorum testes apti sunt medicaminibus, propter quos ubi se requiri senserunt, eos secant. De his Cicero, *Redimunt se ea parte corporis propter quam maxime expetuntur.* Juvenalis, *Qui se Eunuchum ipse facit, cupiens evadere damno Testiculorum.* Castores autem a castrando dicti sunt. *Virosa* autem aut fortia, aut certe venenata. Nam licet sint multis remedio, tamen prægnantes eorum odore, abjiciunt et egerunt partum. Et virosa dicta ab eo quod est virus. Alii fortia accipiunt, a viribus. *Servius.*

Virosa Castorea] *Virosa castorea* vocat hic τὰ βρομώδη. *Virus* pro malo odore et fætore posuerunt veteres. Lucilius: *Anseris herbilis virus.* Inde *virosum* fætidum, et virus redolens. ut in Plin. exercit. p. 361. *Castor* sive fiber ζῶον est ἀμφίβιον ut Dioscor. II. 23. et Plin. XXXII. 3. *Amputat*

sibi testiculos, urgente necessitate, ab hoc se peti gnarus. Castoreum id vocant medici. Vide Plin. VIII. 20. Ad quod alludit Juven. XII. 34.

—— *Imitatus castora, qui se*
Eunuchum ipse facit, cupiens evadere damno
Testiculorum: adeo medicatum intelligit inguen. Emmeness.

59 *Eliadum palmas Epiros equarum*] Hypallage est: nam hæc dicit, Epirus creat equas optimas, quæ apud Elidem palmas merentur in Jovis Olympici curuli certamine. Sane Epiros Græce profertur: unde etiam *e* habet accentum. Nam si Latinum esset, Epirus, Epiri, *Pi* haberet, quia longa est. Nec mireris equas currere: nam, ut dicit Plinius, *velociores sunt masculis ideo, quod in cursu urinam faciunt.* Servius.

Eliadum palmas Epiros equarum] In Longobardico et plerisque aliis codicibus, *Epirus* per *us* legitur, Latina terminatione. In Romano *Epiros* per *os*, ut Græce: et ita legendum Servius censet. Præterea, cur *equarum* potius fæminino genere, quam *equorum* masculino dixerit, quærit Probus. Sed in reddenda ratione, quid sibi velit, difficulter intelligas, adeo omnia ejus scripta mutilata sunt: licet vero dicat corpora præcipue matrum legenda, ex quibus sobolem tollas: non satis ad sententiam facit. Quare legas apud Plinium de equis, Scythas per bella fæminis uti malle, quod urinam cursu non impedito reddunt: ad quos respexisse crediderim Virgilium, quum hic præsertim de cursu et velocitate loqui videatur. *Pierius.*

Eliadum palmas Epiros equarum] Nobilis equus dicitur Juvenali VIII. 57.

—— *Facili cui plurima palma*
Fervet, et exsultat rauco victoria Circo.

Qualem Horat. de art. poët. vs. 84. indigitat.

—— *Equum certamine primum.*

Talium equorum proventu est nobilitata præ cæteris regionibus Epiros, quæ ideo a Marone Ge. II. 121. *Patria equorum* appellatur. Cui accedit Statius Achilleid. III. 24.

—— *Frenat celeres Epiros alumnos.*

Notandus est Græcæ terminationis nominativus ut vs. 35. *Scorpios.* Ovidio hic Græcus nominativus est perfamiliaris, Met. VIII. 283. *Herbida Epiros.* vs. 299. *Meleagros.* Sæpe in epist. Heroid. *Meandros, Cerberos, &c.* *Equarum* cur Poëta mentionem inferat, non *equorum*, non de nihilo. Præter Probi et Plinii sententiam, Turnebi interpretatio rejicienda non est III. 14. annuentis imitationem esse Græcam, qui, pro *equos*, *equas* sæpe appellant. Idem videtur factitasse Ovidius Met. II. 690.

Nobiliumque gregem custos servabat equarum.

Errant, qui deteriores putant maribus equas feminas in contentionibus et ludis publicis: quod Ælianus testatur falsum esse, hist. anim. II. 36. *αἱ ἵπποι εἰς ἁρματηλασίαν ἐπιτηδειότεραι εἶναι πιστεύονται.* Idem VI. 48. Darium usum fuisse *equa*, non *equo*, docet, propter velocitatem. Hinc Horat. od. II. 16.

—— *Tibi tollit hinnitum*
Apta quadrigis equa.

Plura de his, et quidem de nominibus equarum, Romula, Gemmula, &c. Schefferus de r. vehic. I. 12. *Emmen.*

60 *Continuo has leges*] Jugiter, in æternum, ad perpetuum: sicut sequentia indicant. nam dicturus est, *Æternaque fœdera.* Servius.

62 *Deucalion vacuum lapides jactavit in orbem*] Jam transit ad fabulam: et poëtice dicit, Ista tum primum statuta, quæ ab initio mundi constat fuisse. *Idem.*

Deucalion vacuum lapides jactavit in orbem] Hanc fabulam Servius Ecl. VI. 41. tradit. Eandem tradit Ovid. Met. I. 390. et seqq. Apollod. in biblioth. Hygin. I. f. 123. *Emmeness.*

63 *Unde homines nati durum genus*] Expressit *τὸ αἴτιον*, id est causativum. Nam et Græce populi *λαοὶ* dicuntur a

lapidibus. λᾶες enim lapides dicuntur. *Servius.*

Ergo age, terræ Pingue solum] Jam redit ad caussam. *Idem.*

64 *Primis extemplo a mensibus anni*] Hoc est, quod dixit, *Vere novo:* extemplo, induxit, et reposuit. *Idem.*

66 *Pulverulenta coquat maturis solibus æstas*] Quæ glebas solvit in pulverem. Et reddit caussam cur hoc debeat fieri. *Maturis* autem *solibus*, id est, vehementer fervidis, magnis. Ipsius manu adjectum, *maturis solibus.* Idem.

Pulverulenta coquat maturis solibus æstas] In Romano codice legere est, *maturis frugibus.* Servius *solibus* agnoscit, cum aliis plerisque codicibus antiquis. *Pierius.*

67 *At si*] In Longobardico *Et*, sed *at* melius. *Idem.*

Sub ipsum Arcturum] Id est autumnali tempore, quo Arcturus oritur. Et sciendum quod *sub* præpositio, quando tempus significat, accusativo gaudet: ut hoc loco *Sub arcturum*, id est circa arcturum. Item, *Aut ubi sub lucem densa inter nubila sese.* Et, *Sub noctem cura recursat.* Et item, *Sub lucem exportant calathis.* Hoc autem est tum cum jam pluere compertum. Arcturus enim pluviarum et tempestatum sydus est. Arcturus autem idem Arctofylax, quia post Ursæ caudam locatus sit. Item Bootes, quod boves cum plaustro agat: alii Arcadem fuisse filium Calistonis et Jovis dicunt: qui cum matrem in figuram ursæ ira Junonis transfiguratam vellet occidere, ambo a Jove in cælum esse translatos; ille Arcturus; illa Helice dicta. Alii Icarum hunc volunt esse: qui a pastoribus, quos vino tunc primum reperto, ebrios fecerat, veluti dato veneno, occisus est. Oritur autem idem Arcturus ante XV. Cal. Octobr. atque exinde pluviæ incipiunt, quod ipse aperuit, dicendo: *Hic sterilem exiguus ne deserat humor arenam.* Arcturum autem pluviarum et tempestatum esse auctorem et Plautus ostendit in Rudente, cum eundem ipsum dicentem facit: *Increpui hybernum, et fluctus movi maritimos. Vehemens sum exoriens: cum occido, vehementior.* Ipsius manu adjecti sunt deletis duobus, quorum alter totus legi potuit, *Illic, officiant segetes ne frugibus illis;* ex altero hoc tantum, *ne deserat humor arenam.* Serv.

68 *Tenui suspendere*, pro tenuiter suspendere. *Idem.*

69 *Illic*] In terra scilicet pingui. *Idem.*

Officiant. noceant, obstent. *Idem.*

Herbæ] Quæ internatæ segetem lædunt. *Hic*, in sterili, et tenui, et infœcunda. Quia si pressius aratur terra tenuior, humor ad inferiora desidet, et sapor .... bunt: et hoc est quod supra diximus, omnia præcepta quæ commemorat, ad illud pertinent quod ait, *Quid faciat lætas segetes.* Idem.

70 *Sterilem*] Pro ociosum, ut interdum lentus, cessans, ut, *segnisque secundo defluit amne.* Idem.

Arenam] Aridam terram, quæ est sicut arena. *Idem.*

71 *Alternis*] Id est alternatim. *Idem*, scilicet agricola. *Idem.*

Tonsas novales] Agros messos. Dicimus autem et has novales, et hæc novalia. Proprie *novales* sunt primum arva proscissa, et primum segetem ferentia. *Idem.*

72 *Patiere*] Patieris. *Idem.*

Situ durescere campum] Segnem, cessantem. Et *situ*, pro otio, ut redeat in vires priores. Sane sciendum et Ciceronem in Dialogis, et cæteros philosophos tractare, non quid debeat fieri, sed quid potissimum fieri. quam rem nunc Virgilius sequitur. Nam cum dicat multa remedia agrorum recreandorum, ponit præ omnibus intermissionem. Unde eam rem frequenter iterat. *Idem.*

73 *Aut ibi flava seres mutato sidere farra*] Si te terrarum cogit angustia, et non habes, ubi intermisso agro

rursus seras: ibi frumenta seras, unde legumina sustulisti. Aut si tibi est opus frumento, stercora sparge, et cinerem: vel incende stipulas. *Idem.*

Aut ibi flava seres mutato sidere farra] In Romano codice *mutato semine* legitur. Sed *sidere* agnoscit Servius, quum tamen nulla sit caussa, cur *semine* sit expungendum: quum statim Virgilius ea connumeret semina, quibus far inde succedere sit ex fertilitate; et quæ contra, seminata prius, campum adurant. Sed enim reliqui codices omnino *sidere* legunt. *Pierius.*

Sidere] Modo anno. *Servius.*

74 *Lætum legumen*] Fertile. Et *lætus*, prout res fuerit accipimus: ut *lætus homo*, id est, *hilaris*. *lætum pecus*, id est, *pingue*. *lætum legumen*, ut diximus, *fertile*: et sic in reliquis. *Idem.*

Siliqua] Id est, theca leguminis, vel folliculo, intra quem legumina nascuntur. *Idem.*

Quassante] Id est, quassa. Quæ sonat cum quassatur. Cæcilius, *Si quassante capite tristes incedunt.* Plautus, *Capitibus quassantibus.* Idem.

Legumen] *Legumen* dicitur quod *manu legitur*, nec sectionem requirit. Frumenta vero sunt omnia quæ ex se emittunt aristas. Nam quod supra ait *farra*, frumenta accipimus: species enim est pro genere. *Far* enim proprie genus est frumenti optimi. Dicitur *frumentum a frumine, quod est gulæ prominens pars.* Idem.

Unde prius lætum siliqua quassante legumen] Quamvis Servius *lætum* agnoscit: vide tamen an recte in Romano codice *lectum* legatur. Ut ibi serenda farra dicat, unde prius legumen legeris. Verbum vero *sustuleris*, *viciæ* tantum et *lupino* serviat. *Pierius.*

75 *Aut tenues fœtus viciæ*] Mire ait *tenues;* nam vicia vix ad triplicem pervenit fructum, cum alia legumina proventum habeant fœlicissimum et fertilem. *Fœtus* vero hic . . . vel fructus ut inseritur vero fœtum. . . *Serv.*

Aut tenues fœtus viciæ] *Viciam* autem, a vinciendo dici autumat Varro de r. r. I. 31. Alii a vincendo ut *vice* pro *victoria*, et herba *vicia* pro *victorialis*. Sed de his Voss. in etym. Glossæ vett. meminerunt hujus leguminis βίκια, χόρτος, *vicia*. A Græca igitur voce juxta doctiorum sententiam, originem trahit. Inter illa legumina, quæ juvant agros, et stercorationis vim habent, *vicia* et *lupini* numerantur, ut Colum. II. 14. *Saserna* putat *stercorari et juvari agros lupino, faba, vicia, ervo, lente, cicercula, piso.* His addo verba Salmasii, quæ exstant in Plinian. exercitat. p. 733. *Legumina quoque νεὸν ποιεῖν Theophrasto dicuntur, quæ satione sua recreant agrum, ac reparant effœtum l.* IV. *de Causis, c.* 9. *de leguminibus.* Emmen.

Tristisque lupini] Amari: cum in gustu sit amarum triste. nam incoctus amarus est. Ennius. *Neque ille triste quæritat sinapi.* Nonnulli proprie calamos lupinorum, alas dici putant, ut Ælius, *Alæ ex lupino, surculi sine foliis.* Cato in Originibus, *Alæ ex lupino lugium*. . . .Tamen Varro de lingua Latina, alam culmum fabæ dicit. . . . *Servius.*

Tristisque lupini] *Tristes*, id est, amari, ut hunc locum interpretatur Macrobius saturn. VI. 5. In ea notione occurrit apud Nostrum Ge. II. 126.

Media fert tristes succos, tardumque saporem.

Ovid. de Ponto III. 1. 23.

Tristia per vacuos horrent absinthia campos.

Et 8. 15.

Tristia deformes pariunt absinthia campi.

Sic Lucret. *Liquor tristis absinthii.* ἀπὸ τῆς λύπης, *quia,* teste Isidoro XVII. 4. *vultum gustantis amaritudine contristant.* Recte docet Plinius XVIII. 14. et XVII. 9. *Pinguescere hoc satu arva et vineas.* Idem Colum. II. 16. *Jam vero, ut ego reor, si deficiatur*

omnibus rebus agricola, lupini certe expeditissimum præsidium non deesse; quod cum exili loco circa idus Septembris sparserit et inaraverit, idque tempestive vomere vel ligione succiderit, vim optimæ stercorationis exhibebit. Vide et Varr. de r. r. I. 23. Ex lupinis nummi conficiebantur, *aurum*, nempe, *comicum*, cujus usus fuit in comœdiis, ut id constat ex Plauti Pœnul. III. 2. Ag. *Agite, inspicite: aurum est.* Co. *Profecto, spectatores, Comicum: Macerato hoc pingues fiunt auro in barbaria boves.* Inde facile capimus Horatii mentem, et triti illius proverbii, quod ep. I. 7. 23.

Nec tamen ignorat, quid distent æra lupinis.

Id est, quid discriminis sit inter probæ monetæ numos, et adulterinos. Ubi nonnulli male legunt *erva*, pro *æra*. Vide Turnebum I. 15. et X. 7. Lupinos aliaque legumina inter missilia, et donativa, cum caritas esset annonæ, admetiebantur, vel spargebant ædiles aliive magistratus, quibus auram popularem aucupari stabat animus, quare Horat. II. 3. 182.

In cicere atque faba, bona tu perdasque lupinis,
Lætus ut in circo spatiere.

Folliculo lupini occlusum fuisse os parricidarum, notat Turneb. XIII. 18. Lupinos etiam fuisse cibum pauperum et præcipue cynicorum discimus ex Luciano in vitarum auctione et dialog. mortuorum, nec non ex Petronii satyrico. *Emmeness.*

77 *Urit enim lini campum seges*] Bene excerpsit hæc tria, linum, avenas, papaver: et dicit post hæc, frumenta serenda non esse. nam licet manu legantur, et sint inter legumina, viribus tamen frumentis exæquantur. Cœlius libro tertio seri avenam ostendit; sed videtur Poëta velut interrogatus, cur linum et quæ sequuntur dicit non seri debere; respondisse, urit enim: quia *enim* causalis conjunctio est. *Ser*[illegible]

Urit enim lini camp[illegible] *Idem*

asserit Plin. XVII. 9. *Virgilius et lini segetem exuri, et arena, et papavere arbitratur.* Colum. II. 14. nominat *virus lini* ob fervidam naturam. *Emm.*

78 *Lethæo perfusa papavera somno*] Plena oblivionis. Nam Ceres, Jove admonente, dicitur cibo papaveris, orbitatis oblita, (et re vera papaver gignit soporem) cum jam Proserpinam raptam a Plutone ex inferno recipere non potuisset. *Servius.*

Lethæo perfusa papavera somno] A flumine infernali Lethe, cujus aquæ oblivionem inducere putantur, de quo Maro Æn. VI. 714.

—— *Lethæi ad fluminis undam*
Securos latices, et longa oblivia potant.

Lethæus somnus hic pro *arctissimo somno* ponitur, qui ab usu papaveris proficiscitur, unde Noster Ge. IV. 545. *Lethæa papavera.* et Æn. IV. 486. *Soporiferum papaver.* Horat. epod. XIV.

Pocula Lethæos ut si ducentia somnos
Arente fauce traxerim.

Colum. l. X.

Profugos vinctura papavera somnos.

Papavera manu tenens pingitur Ceres, quæ per ea recuperasse somnum creditur, quem ejus oculi per dies vel menses non viderant ob raptam filiam Proserpinam. *Emmeness.*

79 *Alternis facilis labor*] Redit rursus ad præceptum, quod scit esse præcipuum, id est, ad intermissionem. *Servius.*

Alternis] Intermissis: subaudi *agris. Idem.*

Facilis] Utilis. *Idem.*

80 *Ne*] Pro non. *Idem.*

Saturare] Recreare et reparare. *Idem.*

Pingui fimo] Vel humido, vel fertili. *Idem.*

Sola] Terras. *Idem.*

Ne saturare fimo pingui pudeat sola] Verum est de fimo præceptum Theophrasti II. 8. ὅτι κόπρος οὔτε πᾶσιν ὁμοίως, οὐθ' ἡ αὐτὴ πᾶσιν ἁρμόττει. Sed omnia tamen arva stercoratione juvanda sunt, si luculentos ex agris

fructus sperare velimus. Cato c. 5. monet *villici esse officium, studere ut magnum semper habeat sterquilinium.* Varro de r. r. I. 38. de usu et discrimine fimi. Palladius I. 33. et accuratissime omnium Colum. II. 15. *Emmeness.*

81 *Effœtos per agros*] Continua fertilitate lassatos: sicut etiam frequenti partu effœta dicitur mulier. *Servius.*

Effœtos agros] Theophr. ἀτυρηρίαν καὶ μὴ δυναμένην φέρειν γῆν, solum vocat defatigatum et effœtum: in quam partem videtur Aristot. l. B. de Animo, ἀτόρηνον accepisse. *Germanus.*

Cinerem immundum] Ad discretionem illius, quo utuntur puellæ: de quibus cineribus in Bucolicis, *Fer cineres Amarylli foras.* Servius.

Cinerem immundum] Cineribus pro fimo usos fuisse veteres, constat ex Plin. XVII. 9. *Transpadanis cineris usus adeo placet, ut anteponant fimo jumentorum: quod quia levissimum est, ob id exurunt.* Columell. II. 15. *Quin etiam satis profuit cineris usus et favillæ.* Emmeness.

82 *Mutatis fœtibus*] Ut omni anno proferant, sed diversa: nam eadem ferre semper non possunt, nisi intermittant. *Servius.*

Requiescunt fœtibus] In Rom. codice *requiescent fœtibus,* futuro tempore scriptum, in aliis, præsenti. *Pierius.*

Requiescunt fœtibus arva] Non etiam roborantur: quod intermissio efficit arationis: quam rem rursus repetit dicendo,

83 *Nec nulla interea est inaratæ gratia terræ*] Id est, maxima. Nam Liptotes figura est, id est, maxima et præcipua: ut, *Munera nec sperno.* *Servius.*

Inaratæ] Non satæ: unde est illud, *Alternis idem tonsas cessare novales.* Alii *inaratæ* accipiunt, quæ est pabulo pecoribus. *Idem.*

84 *Incendere profuit agros*] Non agros, sed ea quæ in agris sunt: id est, stipulas vel quisquilias: hoc est, purgamenta terrarum, et alia inutilia concremare. Nam ut videmus, si in agris qui incendendi sunt, desint stipulæ; aliunde illuc nutrimenta portantur incendii. Alii non *sæpe profuit,* sed *sæpe incendere* accipiunt. *Idem.*

85 *Atque levem stipulam crepitantibus urere flammis*] Ἔκβασις Poëtica, vel superflua verbi repetitio. Nam stipula per se levitatem significat: unde *levem stipulam* vocamus. *Crepitantibus* vero, sonantibus. *Idem.*

Incendere profuit agros, Atque levem stipulam, &c.] Pleonasmi vim habet *levem stipulam,* quo etiam utitur Ovid. Met. I. 492.

Utque leves stipulæ demptis adolentur
aristis.

Fimus ex stipula cremata συρματίτις Græce nominatur Theophrast. VII. 5. Stipulæ incensæ mirum in modum conducunt stercorandis agris. Nihil hac frugifera combustione antiquius. Locum habet et hac tempestate in plaga septentrionali, ubi semina combustarum silvarum cineribus mandantur. *Si tamen hominum commento ignis adhibitus multiplex præstat auxilium, quid adscribendum est ætherio solis calori?* ut recte Macrobius saturn. I. 18. ad hunc locum. Passim quidem complures agros et stipulas incensas memorant, ut Plin. XVIII. 30. *Sunt, qui accendant in arvo et stipulas, magno Virgilii præconio. Summa autem ejus ratio, ut herbarum semen exurant.* Horat. ep. II. 2. 186.

Silvestrem flammis et ferro mitiget
agrum.

Lucan. IX. 182.

Sic, ubi depastis submittere gramina
campis,
Et renovare parans hybernas Appulus
herbas,
Igne fovet terras, simul et Garganus,
et arva
Vulturis, et calidi lucent buceta Ma-
tini.

Sil. Ital. l. XVII.

Cum Calabros urunt ad pinguia pabula saltus.

Sed horum nemo rationes incensi agri tam luculente persequitur, quam Noster. *Hisce duobus, et etiam sequentibus, dicendi genus inest, quod nusquam alibi deprehendes; in quo, nec præceps brevitas, nec infrunita copia, nec jejuna siccitas, nec lætitia pinguis.* ut Macrob. saturn. v. 1. *Emmeness.*

86 *Sive inde occultas vires*] *Inde*, id est, ex igni: *occultas* autem, arcana quadam ratione celatas. In hoc autem sensu sequitur Heracliti opinionem, qui dicit omnia ex igne procreari: quem nunc terris alimenta præbere commemorat. *Servius.*

88 *Vitium*] Quod fœcunditatem impedit. *Idem.*

Exudat inutilis humor] Nove locutus est. Nam non ipse humor, sed terra desudat; unde *exudat* pro exudatur accipimus: potest ergo exudare, et quod emittitur, et quod emittit, accipi. *Idem.*

Exsudat] Post *x* littera *s* bene. Ut veteres pene omnes codices habent. *Pierius.*

89 *Cæca relaxat Spiramenta*] Breves cavernas, per quas sudor emanat, quæ tenuitate sui non possunt videri: ergo occulta et latentia. *Novas*, quæ ante non fuerant. *Servius.*

Relaxat] Aperit. *Idem.*

90 *Qua*] Pro quæ. *Idem.*

91 *Durat*] Activum est hic. Dicimus enim et *duro* et *duror*: *duro* neutraliter, et *dureo*. *Idem.*

Hiantis] Apertas et patentes. *Idem.*

92 *Ne tenues pluviæ*] Aut lentæ et penetrabiles: aut epitheton est aquarum. Aquæ enim naturaliter tenues sunt. sic alibi, *Aut in aquas tenues delapsus abibit.* Alii *tenues*, inutiles, jejunæ, macræ, quibus contrarium pingues, ut est, *tenuis ubi argilla.* Idem.

Rapidi solis] Ad verbum Mimnermus apud Strabon. l. I. ὠκέος ἠελίοιο. Quæ verba etiam sunt in epigrammate Leonidæ l. III. Tul. in Lucul. *Ille sol, qui tanta incitatione fertur, ut celeritas ejus quanta sit, ne cogitari quidem possit, tamen nobis stare videtur.* Virg. ipse Ge. II.

—— *Cum rapidus sol*
Nondum hyemem contingit equis.

Cerda.

93 *Acrior*] Pro acris, ut *jam senior.* *Servius.*

Aut Boreæ penetrabile frigus] Quod omnia penetrat. *Idem.*

Penetrabile frigus] Active, quod facile penetrat. ita Æn. X. *penetrabile telum.* ita Lucret. lib. I. *penetrabilem ignem*, et pari forma *manabile frigus* dixit. *Taubmann.*

Adurat] *Adurat* et ad solem et ad frigus pertinet: nam uno sermone duo diversa conclusit, quæ tamen unum effectum habent. nam et frigoris finis, est caloris initium: et summus calor, frigoris est principium. Unde quasi unus effectus est et frigoris et caloris: hoc est quod Græci dicunt ἀκρότητος ἰσότητες. *Servius.*

Frigus adurat] Et ad Solem et ad frigus pertinet. Qua autem ratione *frigus urere* dicatur, docet Arist. Meteor. lib. IV. Contra quem tamen *Hieron. Magius* in Miscellan. I. 7. ambitiose disputat: quæ videas in Thesauro Critico Gruteri, Tom. II. p. 1299. Ita Lucret. lib. IV. *Urebant montana nives.* Justinus de Scythis: *continuis frigoribus uruntur, &c.* Tacitus Annal. lib. XIII. *Ambusti multorum artus vi frigoris, &c.* Cicero Tuscul. II. *pernoctant venatores in nive: in montibus se uri patiuntur.* Certe et Græcis *αἶθρος frigus* est *matutinum*, ab *αἴθω uro.* Unde et Suidas *αἶθρον* exponit *καῦμα*: ut Festus *pruinam* a *perurendo*, quod teneritudinem rerum nascentium perurat: ut et Pimpontius notavit. Vide et Brodæi Miscell. II. 8. *Taubmann.*

94 *Multum adeo*] Ordo, multum adeo juvat arva. *Servius.*

Rastris] Et *hos rastros* dicimus, et

hæc rastra. legimus enim, *At istos rastros interea depone,* in Terentio: item, *Rastraque et incurvi sævum rubuere ligones.* Et *rastra* dicta, quod *terram radant.* Idem.

Glebas inertes] Pigras, nihil creantes. Et transit ad aliud præceptum. *Idem.*

Glebas qui frangit] Occationis descriptio, quæ Græcis βωλοκοπία: quibus et glebarum illa inversio, id est, *repastinatio* βωλοστροφία dicitur. *Taub.*

95 *Vimineasque trahit crates*] Ad agrorum scilicet exæquationem, quam rustici Hyrpicem vocant. *Servius.*

Juvat] Vel adjuvat, vel quasi delectat. Et hic transit ad aliud præceptum. *Idem.*

96 *Flava Ceres*] *Flava* dicitur propter aristarum colorem in maturitate. *Idem.*

Flava Ceres] Propter aristarum maturitatem. Hom. ξανθὴ Δημήτηρ: eademque alibi et σταχυοστέφανος et σταχυοπλόκαμος dicta. *Taubmann.*

Alto Olympo] Aut poëtice dictum de cælo, illi favere Cererem, aut vere altam segetem esse, non paleis tantum inanem, sed gravem frumento; nam ideo *flava Ceres:* et Ceres nomen est quod in polysyllabis in nominativo singulari producit ultimam, cum in obliquis corripiat. *Servius.*

Alto] De alto. *Idem.*

Nequicquam] Id est, Non sine caussa. Nam semper duæ negativæ unam confirmativam faciunt. Unde male quidam locum illum legunt in Terent. *Pater adest, cave ne te tristem sentiat.* Si enim hoc est, dicit, vide ut te tristem esse sentiat. quod procedere minime potest; sed ita legendum est, *Cave te tristem esse sentiat.* Nam et *ne,* et *cave* prohibentis est. *Idem.*

Spectat] Respicit. *Idem.*

Neque illum nequicquam spectat Ceres] Periphrasis ubertatis, ex caussa efficiente, quæ putabatur Ceres. Credebat enim Vetustas, Numinis blandiorem aspectum, tristioremve aut aversum, bonam malamve caussari fortunam. Hinc formulæ illæ, *Deus nos respexit,* id est, opem tulit. Plautus Rud. v. 2. *Dii me homines que respiciunt.* Terent. Andr. iv. 1. *Et me, et te, nisi quid Dii respiciunt, perdidi.* Inde et Romæ colebatur *Fortuna* cognomine *Respiciens.* Vide Briss. in Form. lib. i. et Lips. Antiq. Lect. ii. 19. *Taubmann.*

97 *Et qui, proscisso quæ s. æ. t.*] Propria voce usus est; cum enim primo agri arantur, quando duri sunt, *proscindi* dicuntur; cum iterantur, *obfringi;* cum tertiantur, *lirari.* Serv.

Quæ suscitat æquore terga] Id est, vertit terram, quam araverat. Et proprie *suscitat,* quia jacent inexerciti; *terga* autem superficiem, ut Homerus, νῶτα θαλάσσης. *Servius.*

Terga] Νῶτα: imitatione Græcorum, id est, supinas glebas. Pind. Pyth. Od. 4.

—— ἀναβωλακίας δ' ὀργυιὰν σχίζε
νῶτον γᾶς ——

Id est, *Findebat tergum terræ sursum glebas attollentis ad profunditatem orgyæ.* quod notat Pimpont. *Taubm.*

98 *Rursus in obliquom verso perrumpit aratro*] Scilicet autumnali tempore, quo jam cum seminibus aratur. Nam hoc præcipit, ut cum denuo aramus, tunc per obliquum aratra ducamus. nemo enim uno tempore bis arat. *Servius.*

Rursus in obliquom] De hac aratione Plin. xviii. 19. *omne arvum rectis sulcis, mox et obliquis subigi debet.* Ibid. *Id demum recte subactum erit, ubi non intelligatur, utro vomer ierit.* At vero Servius hoc de auctumnali aratione intelligit, qua jam seminibus aratur. *Nemo enim,* inquit, *bis arat.* Taubm.

Perrumpit] Sic veterum bona pars codicum. Sed in Mediceo, nota illa quæ *pro* significabat, abrasa est: et *p* littera atramento inferne recisa, jam *perrumpit* facit. Sunt etiam exemplaria, quæ *oblicum* per *c* scribunt; exemplo jam antiquato, licet ad hanc

diem populi in Italia sint, qui *q* litteram nondum admisere. *Pierius.*

99 *Exercetque frequens*] Quidam *exercet* pro *tractat* accipiunt; ut, *Ferrum exercebant vasto Cyclopes in antro. Frequens* autem pro *frequenter.* Serv.

Exercetque tellurem] Horat. Epod. II. *Exercet rura bobus.* Taubmann.

Atque imperat arvis] Id est, ut tantum ferant, quantum ipse desiderat. Et hoc est, quod ait supra, *Illa seges demum votis respondet avari Agricolæ.* Alii ne liberius ferant, quæ volunt, sed quod fuerit satum tradant. *Serv.*

Imperat arvis] Ut tantum ferant, quantum ipse desiderat. Sic Colum. l. III. *imperare vitibus* dixit. V. N. ad vs. 55. *Taubmann.*

100 *Humida solstitia, atque hyemes orate serenas Agricolæ*] Bene ad votum se transtulit, neque enim rusticus aliud potest hic facere nisi optare: nam duo sunt solstitia. Unum æstivum, octavo kalendarum Iuliarum die: quo tempore remeare Sol ad inferiores incipit circulos. Et aliud hyemale, octavo kalend. Januariarum die, quo tempore Sol altiores incipit circulos petere. Unde hyemalis solstitii dies minimus, sicut æstivi maximus invenitur. Videtur ergo contrarium esse, quod dicit, Optare pluvias per solstitia, et per hyemem, serenitatem: cum (ut diximus) unum æstivum sit, et aliud hyemale solstitium. Sed sciendum modo annum in quatuor partes esse divisum: in duo solstitia, et duo æquinoctia: unum vernale, et aliud autumnale. quæ Græci ἰσομερίας vocant. Sunt autem hæc octavo kalendarum Aprilium, et octavo kalendarum Octobrium die, quia annus olim in duas tantum partes dividebatur; hoc est in æstivum, et in hyemale solstitium; et in duo hemispheria. ut intelligamus omnia eum tempora voluisse complecti. Nam hoc dicit, Optandum rusticis, ut autumnali et hyemali tempore sit serenitas: quæ duo tempora pro uno habebantur, secundum hemicyclii rationem, ut diximus. Vernali vero, et æstivo tempore, ut sint pluviæ: quæ et ipsa duo tempora pro uno erant. Tamen si diligenter attendamus, poëtica licentia est usus, ut pluralem numerum pro singulari poneret. nam *solstitia* pro solstitio, et *hyemes* pro hyeme posuit. dicit autem, Optanda hæc, quæ per naturam non sunt: quo possit utriusque temporis asperitas mitigari: et æstatis calor, pluviis; et frigus hyemis, serenitatis tepore. Sane quidam, *Humida solstitia atque hyemes orate serenas,* accipiunt; hoc est, ea solstitia pro hiemali tantum solstitio, quæ humida hiberni temporis ratione esse neeesse est: nam æstatis solstitia humida esse non possunt, ut sub una significatione dictum sit, humida solstitia atque hiemes; quod ostendunt subsequentia, *hyberno lætissima pulvere farra:* neque enim aliquid de æstatis solstitio, vel tempore memoravit. Sed verior expositio hoc habet, *Humida solstitia atque hiemes orate serenas Agricolæ;* non quod humida esse debeant, sed humida solstitia epitheton hyemis est; et modo hoc dicit, Solstitia illa quæ humida sunt naturaliter, id est hiberna, o Agricolæ, et hiemes serenas orate, nisi enim serenum cælum fuerit, nec seri poterit, nec arari, ut ipse dixit in sequenti; *hiberno lætissima pulvere farra.* Nisi enim serenum fuerit, pulvis e terra levari non poterit. Ergo hoc dicit, solstitia hiberna, et non solum solstitia, id est, solstitiorum sola tempora, sed omnes hyemes serenas optandas. *Servius.*

Humida solstitia atque hiemes orate serenas Agricolæ] Solstitium ἁπλῶς pro *æstivo,* cui opponitur *hibernum,* quod proprie *bruma,* qua nox est longissima, et dies brevissimus, ut contra fit in solstitio, quod incidit in ultimum mensem Junium, ut Colum. II. 4. IX. 14. vel ut Servius octavo Kal. Juliarum die. De *solstitio* et

bruma sic Cic. de nat. Deor. II. 7. *Solis accessus, discessusque solstitiis, brumisque cognosci.* Ut hoc loco Noster, sic Juvenalis *solstitium* et *hiemes* tanquam opposita citat. IV. 92.

Sic multas hiemes atque octogesima vidit
Solstitia.

Quemadmodum solstitia humida siccitatem, fruges enecantem, averruncant, et temperata pluvia segetum uberrimum proventum promittit; sic *hiemes serenæ*, id est, *frigidæ*, ut Sabinus, satis mirum in modum prosunt. Plinium, XVII. 2. et 12. XVIII. 17. hanc sententiam Maronis labefactantem, Cerda refutat prolixius. *Em.*

101 *Hiberno pulvere*] Hyberna serenitate; eo quod nimia serenitas pulverem creat. Et est carmen rusticorum antiquum, *Hyberno pulvere, verno luto, grandia farra, Camille, metes.* Camillus adulescens est. *Servius.*

Hiberno pulvere] Id est, hiberno sereno: quod nimia serenitas pulverem creat. Porro, hieme sicca et suda, vere pluvio et humido, *læta farra*, id est, fœcundam segetem enasci, innuit et hoc rusticum vetusque canticum, quod in Libris antiquissimorum Carminum inveniri, et a Poëta hic spectari Macrob. annotat. v. 20. *Hiberno pulvere, verno luto grandia farra, Camille, metes.* Etiam J. C. Scalig. ex hac vetusta agricolarum lege Poëtam explicat, in Theophrast. III. 29. V. N. Ecl. v. Est autem *Camillus*, (ut hoc obiter dicam) παῖς ἀμφιθαλής, id est, *puer patrimus matrimus.* De quo Scalig. ad Catull. Carm. I. *Taubmann.*

Farra] An a *faciendo, quod in pistrino fiat*, ut Varro de l. l. IV. an a *frangendo* ut Isidor. XXVII. 2. scrutari religiosius, non est instituti. *Frumenti est certa species*, ut Servius ad Æn. v. 745. Sed sæpissime in Poëta nostro, pro quovis frumento, et quod notandum, in numero multitudinis. *Emmeness.*

102 *Lætus ager*] Hiberno scilicet sereno. Quia ubi hoc contigerit, ne hæc quidem loca quæ fertilia sunt, id est, Mœsia et Gargara, quæ dicturus est in sequentibus, certent cum illo proventu. *Servius.*

Nullo tantum se Mysia cultu Jactat] Constat quidem Mysiam circa culturam esse diligentem: sed non ei cultus suus tantum prodest, quantum hiberna serenitas et humidum solstitium. Mœsia autem provincia est Thraciarum vicina Scythiæ. Mysia vero civitas Phrygiæ, haud longe a Troja: quam magis debemus accipere propter Gargara, montes Phrygios. Unde apparet et in Asia esse regionem quæ Mœsia dicatur. Sane Gargara multi auctores Græci, sicut Serenus Sammonicus tradit, altitudinem Idæ montis, et per hoc abusive omnes summitates montium Gargara appellant: esse etiam Gargara civitatem in radicibus Idæ montis in provincia Mœsia Asiæ, quam constat naturaliter uliginosam, et ob hoc frugum feracem; in tantum, ut multi poëtæ Græci Gargara abusive pro cujusvis rei multitudine, vel copia posuerint. Ergo potest et hic sensus esse, ut sit: Cum ea sit anni temperies, ut hiems serena sit, et solstitium humidum, fructus optime provenire; hæc autem adeo agris esse necessaria, ut sine his, ne illi quidem fecundissimi Mœsiæ agri responsuri sint opinioni fertilitatis, quæ de his habetur. *Servius.*

Mysia cultu] *Cultu* autem ideo addidit, tanquam diceret: Omnis seges, quæ tempestivos humores habuerit, æquabit fecunditati arvorum Mysiorum; quæ propterea quod non quærant solstitiales imbres, sed naturali et proprio humore lætentur, maxumum et præcipuum cultum habeant, et ita uberes ibi fructus proveniant, ut fecunditatem agrorum suorum etiam Gargara ipsa mirentur. *Idem.*

Mysia] Per *y* scriptum in codice Romano, ut Pierius, Ursinus. Quam lectionem firmat Macrob. saturn. v. 20. Variis appellationibus hæc regio fuit appellata. De qua sic Pomp. Mela I. 18. *Proxima regio, ex quo ab Æoliis incoli cœpit, Æolis facta, ante Mysia; et qua Hellespontum attingit, Trojanis possidentibus, Troas fuit.* Non videtur Poëta hoc loco designare *Mysiam* Europæam, quæ potius *Mœsia* dicitur (ut geographorum filiis placet) sed regionem positam in Asia minori, quia, ut Macrob. v. 20. *Gargara hæc*, dicit, *sunt in Mysia, quæ est Hellesponti provincia.* Quæ etiam *Hellespontiaca* appellatur, sive *major*, ut contra, altera, *minor*, sive *Olympiaca*, ut Strabo l. VII. Si quis tamen probet id, quod Pausanias in Corinthiacis l. II. p. 116. per me licet: ἔστιν ἐν ἀριστερᾷ χωρίον Μυσία, καὶ Δήμητρος Μυσίας ἱερὸν, ἀπὸ ἀνδρὸς Μυσίου τὸ ὄνομα γενομένου, καὶ τούτου, καθάπερ λέγουσι Ἀργεῖοι, ξένου τῆς Δήμητρος. *Emmeness.*

103 *Et mirantur Gargara messes*] Phantasia est poëtica, rei inanimatæ sensum dare: sic alibi, *Miraturque novas frondes, et non sua poma.* Sane Rubellius, Blandus, et Quadrigarius historici dicunt Gargarum flumen vocari in finibus Thurinis. Ad illud fuisse oppidum mediocre, quod Garga nunc vicus est, quem Troës obscuri centum quinquaginta, ignoto et incerto duce, insederunt; scilicet nomine a vertice Ideo translato, a quo civitas etiam in finibus Troicis Gargara appellatur. *Servius.*

Mirantur Gargara messis] Est et alter sensus: Cum ea sit anni temperies, ut hiems serena sit, et solstitium humidum, fructus optime proveniunt. et adeo hæc esse agris necessaria, ut sine his nec Mysiæ, nec Gargarorum agriculturæ feracitate laudabiles, responsuræ sint opinioni, quæ de eis habetur. Est autem Mysia regio circa Ciliciam, frugum ferax, quæ, *nullo cultu tantum se jactat*, id est, gloriatur, quantum si veniat *serena hiems*, et *solstitium humidum.* Philargyrius.

Gargara] *Gargarus*, unde plurale neutrum *Gargara.* Est et cacumen montis Idæ, cujus meminit Ovid. Heroid. epist. XVI. 107.

Ardua proceris spoliantur Gargara silvis:
Innumerasque mihi longa dat Ida trabes.

Et oppidum in radicibus montis Idæ positum, de quo Strabo l. XIII. Multa quidem et de monte, et de urbe Macrob. saturn. v. 20. Sed urbem intelligendam tamen, non obscure pronunciat, quæ posita in imis radicibus Idæ montis, defluentibus inde humoribus irrigetur; quare non video, cur ignobile oppidum Gargara velit Vossius ad Melam, cujus commentaria vide I. 18. Nobilissima enim sunt propter fertilitatem, ut Ovid. de art. am. I. 57.

Gargara quot segetes, &c.
Emmeness.

104 *Quid dicam*] Oratorium schema quædam recusare, quasi non sufficiat materiæ, deinde referre: Et quid dicam, quemadmodum juvat arva, qui insequitur? *Servius.*

Comminus] Id est, statim, sine intermissione. Non est ergo ex propinquo, qui significatus frequentissimus est in Cisalpina Gallia, vulgo enim dicunt, Vado ad eum, sed comminus: unde Virgilius magis patriam consuetudinem videtur secutus. Veteres enim non in tempore, sed in loco comminus ponebant. id est, juxta; ut est *comminus obtruncant ferro*, cui contrarium est *eminus*, id est, longe. *Idem.*

Comminus] Id est, statim, sine intermissione. Est enim hic temporis: auctore Servio, et Sc. Gentil. et Cujacio, Observ. XI. 39. Ita in l. XXI. D. de Rei vind. legitur: *Cominus petitor eam rem persequi potest*, id est, sine

cessatione. ita Apul. in Apol. verbo *cominus* opponit *cunctanter*. Taubm.

105 *Insequitur*] Prosequitur, et non sinit quiescere. *Servius.*

Insequitur] Pari forma Columel. v. 5. *Fossor insequitur, ac bidentibus eas partes subigit, &c.* Iterum: *Insequitur pampinator, et supervacuos* (palmites) *detergit.* Cerda.

Ruit] Evertit, dissipat. Nam modo agentis est. ut, *Una Eurusque, Notusque ruunt.* nam aliter dictum est, *Ruit alto a culmine Troja.* Servius.

Cumulos ruit] *Ruere*, ἀλλοπαθῶς, pro *diruere*. Terent. Adelph. *Cæteros ruerem, agerem, &c.* ita noster Ge. II.

—— *ignis ruit atram*
Ad cælum nubem.

Lucret. l. VI.

Cum mare permotum ventis ruit intus arenam.

Vide Nonium. *Taubmann.*

Male pinguis] Non pinguis, id est, sterilis. nam *male*, apud Virgilium sæpe *non* significat, ut, *male sana sororem.* Servius.

Cumulosque ruit male pinguis arenæ] *Male*, ut Servius, *minutionem habet, non negationem.* Igitur, *male pinguis*, id est, non satis pinguis, nimis infœcundæ, vel ut Taubmannus: *grumos, sive glebas aridiores.* Virg. Æn. II. 23.

—— *Statio male fida carinis.*

Ovid. de art. am. II. 318.

—— *Sed si male firma cubabit.*

Et vs. 660.

—— *Macie quæ male viva sua est.*

Id est, quæ nequit vivere, ut Tanaquillus Faber ep. 63. ex Lucretio. *Emmeness.*

106 *Deinde satis fluvium inducit, rivosque sequentis*] Post commemoratam generalem agriculturam, transit ad species et culturas venientes ex tempore. Nam arare, cinerem jacere, incendere æternum est: irrigare autem nonnisi nimiæ siccitatis est; sicut et siccare etiam, aut ex magnis pluviis, aut ex fluminis eruptione compellimur. *Servius.*

Satis] Segetibus, agris satis, id est, seminatis: nam participium est. *Id.*

Deinde satis fluvium inducit] Theophrastus: περὶ φυτῶν ἱστορίας l. III. ἔοικε δὲ ἡ μετὰ τῶν ποταμῶν ἔφοδος ἐπάγειν σπέρματα καὶ καρπούς. Videnda Homerica comparatio in Iliade, ὡς δ' ὅτ' ἀνὴρ ὀχετηγὸς, &c. *Ursinus.*

Rivosque sequentes] Juges aut sequuturos, aut certe rivorum est epitheton; quia, qua duxerit sequuntur. *Servius.*

Rivosque sequentis] In Romano codice legere est: *rivosque fluentis*, sumptum id nimirum ex paraphrasi. *Pierius.*

107 *Exustus ager morientibus, &c.*] Scilicet æstatis calore. *Servius.*

Exustus ager] Ovid. Fast. IV.

—— *sitis usserat herbas.*

Taubmann.

Morientibus herbis] Secundum Pythagoricos, qui dicunt omne, quod crescit, animam habere: unde est, *Atque interfice messes.* Servius.

108 *Ecce*] Id est, ex improviso. *Idem.*

Supercilio] Altitudine, summitate terrarum. Alii *supercilia* loca in obliquum delineata, quæ superne habeant alia fastigia. Ex accidenti dicit *tramitis:* tramites autem sunt convalles, quæ de lateribus utrinque perviæ limitant montes, quæ solent etiam saltus nuncupari. Sed hic tramitem nunc pro valle ac saltu accipere debemus, et supercilium pro simpliciter edito loco; ut Ἴλιος ὀφρυόεσσα, nam ideo ait clivosi. *Idem.*

Supercilio] Hanc metaphoram Latini a Græcis ducunt, qui pari lepore verticem quoque et culmen quodvis ὀφρὴν nominant. Homer. Iliad. XX. (non III. ut multi male citant) κάθιζον ἐπ' ὀφρύσιν *sedebant in supercilio.* Bianor. ἀπ' ὀφρύος pro, *a colle.* Pind. Olym. od. XIII. ἐπ' ὀφρύϊ Παρνασσίᾳ. Apollon. Argon. I. ἐπ' ὀφρύσιν αἰγιαλοῖο. Oppian. Hal. l. IV. ὀφρὺς αἰγιαλοῖο: *supercilium littoris.* Ergo Latini

ab hoc fonte. Livius xxvii. *Levem armaturam infimo stantem supercilio.* Plin. vi. 5. *Supercilium arduum tenent Toretæ.* Eadem locutio usitata, ad significandas ripas, et aggeres fluviorum, quod ex Polyb. hist. l. ii. notavit Victor xxii. 14. Certe in Ammiano nihil frequentius hac locutione, *supercilium Rheni, Rhoduni, Danubii, &c.* Cerda.

Supercilia] Quodammodo videtur distinguere Siculus Flaccus p. 7. inter *montem* et *supercilium.* *Intuendum erit in quantum spatium devexitas supercilii extendatur, ne mons supercilium sit. Intra paucos enim pedes supercilia vocabula accipiunt.* et paullo post: *Ita hæc causa efficit, ut superioribus possessoribus usque in planitiam supercilia cedant.* Sed pro colle eminentiore et loco editiore, passim. De notione *supercilii*, multa ad Oppian. Halieut. l. iv. Rittershusius pag. 303. *Emmeness.*

109 *Elicit*] Ab eliciendo, et apud antiquos, hodieque in aliquibus provinciis, Elyces appellantur sulci ampliores, ad siccandos agros ducti; unde Poëta ipso verbo uti voluit: nam et scrutatores vel repertores aquarum aquilices dicuntur. (barinulas dixerunt.) *Servius.*

Elicit] In Romano codice *eligit* scriptum, ea scilicet cognatione, quæ intercedit inter *g* et *c*, quum *elicit* omnino sit casta lectio. *Pierius.*

Raucum per levia murmur Saxa ciet] Non solum utilitati hanc rem dicit fore, sed etiam voluptati: murmur autem sonum aquæ. *Servius.*

Levia] Vero lubrica, nitida, detrita. *Idem.*

110 *Scatebris*] Ebullitionibus, quæ fiunt cum aqua in aliquas rimas defluxerit. Unde etiam vasa æstuantia scaturire dicuntur. Unde vulgo vasa, ubi calida solet fieri, scutræ appellantur. *Servius.*

Temperat] Rusticus scilicet. *Idem.*

111 *Quid, qui, ne gravidis procumbat aristis*] *Gravidas aristas* periphrastice pro spicis posuit. Dicimus autem et hic spicus, et hoc spicum. Cicero in Arato, *Spicum illustre ferens insigni corpore virgo.* Sed scire debemus in usu esse a masculino utrunque numerum: a neutro vero raro, et tantum singularem inveniri, nam plurali nusquam lectum est. *Idem.*

Gravidis procumbat culmus aristis] Hoc ita extulit Hesiod. ἔργ. ii. ὧδέ κεν ἁδροσύνῃ στάχυες νεύοιεν ἔραζε: *Sic quidem ubertate spicæ nutabunt ad terram.* Græci alii, βαρύνεσθαι: *fætu gravescere.* Cerda.

Quid] Id est, quid dicam quantum juvat arva. *Servius.*

Culmus] Junctio spicarum. *Idem.*

112 *Luxuriem segetum*] Bene *luxuriem*, ut ostendat rem superfluam, et nocituram nisi amputetur, officere; et bene, luxuriem pascit, non segetem. Sane *luxuriem* juxta antiquos multi dictum putant, cum *luxuria* dicatur. *Idem.*

Luxuriem segetum] Agris, plantis, arboribus competit hoc vocabulum. Non. Marcellus c. 4. appellat *intempestivam abundantiam.* Col. iv. 6. *Cum vitis prævalens in luxuriam evagatur.* id est, abundantius palmites emittit, quæ in eodem cap. dicitur *vitis luxuriosa.* Sic et verbum *luxuriari*, ibidem: *Si vitis nimis luxuriabitur.* et lib. de arbor. c. 11. *Cacumina virgarum, ne luxurientur, demutilato.* Sic Plin. xviii. 29. xix. 6. Ovid. Heroid. ep. i. 53.

Jam seges est ubi Troja fuit, resecandaque falce
Luxuriat Phrygio sanguine pinguis humus:

ad alia transfertur. Elegans est locus Ciceronis de orat. ii. 23. *in qua nunc interdum, ut in herbis rustici solent dicere, in summa ubertate inest luxuries quædam, quæ stylo depascenda est.* Emmeness.

Depascit in herba] Hanc rem verbo *pectino* expressit Plin. xviii. 21. *Sunt genera terræ, quarum ubertas pectinari*

segetem in herba cogat. Cerda.

113 *Cum primum sulcos æquant sata*] Seminata, hoc est, cum adhuc herbæ sunt teneræ; id est, cum operiunt sulcos herbæ; hoc est, antequam cogantur in culmos: et per ista tempus ostendit. Sane hoc hemistychium Virgilii unum de invictis est. *Serv.*

Cum primum sulcos æquant sata] Nimia illa fertilitas castiganda est dente pecoris, in herba cum seges est. Quamvis emaculandi Servii cura non sit nostra, siquidem veterem illum interpretem a politiori manu pristino nitori propediem restitutum iri crediderim; obiter tamen monuerim, suspectum illud esse, quod in Servio *de invictis*, pro quo Schottus observat. II. 18. *de injunctis*, vel *non conjunctis* legendum contendit. Tales versus Taubmannus nominat *inimitabiles*, apud quem nonnullos ejus coloris versiculos invenias. *Emmeness.*

Quique paludis] Et hic, juvat arva, subaudiendum. *Serv.*

114 *Deducit*] Siccat, detrahit. Sic paulo post, *Rivos deducere nulla Relligio vetuit*, id est, siccare. *Idem.*

Bibula arena]. Quia omnis arena bibula est. *Idem.*

Collectum humorem bibula deducit arena] Hoc sumptum est ex Lucretio, cujus versus est in lib. II.

Littoris incurvi bibulam lavit æquor arenam. Ursinus.

115 *Incertis mensibus*] Inopportunis: *incerti* autem *menses* sunt veris et autumni. nam et hiemis certum est frigus, et æstatis certus est calor: quidam *incertos menses* pro quibuscunque, qui adferant variam tempestatem, accipiunt. *Serv.*

Præsertim incertis, &c.] *Incertos menses* vocat vernos, quibus abundant et exeunt flumina, ex regelatione nivium ut plurimum, quæ montibus descendunt. De autumni mensibus accipi non posse, certum est, ut nugatur ibi Servius. *Salmasius.*

116 *Exit*] *Exire* proprie dicuntur flumina, cum abundant extra ripas, ut, *cum spumeus amnis Exit.* Veris vero et autumni nunc frigus, nunc calor est. *Obducto late tenet omnia limo*] Superlito, superfuso. *Late*] Valde ac multum, id est, per plurimum spatium. *Tenet*] Occupat, et operit. *Servius.*

117 *Unde*] Ex quo, vel ob quam rem. *Idem.*

Tepido humore] Stanti, noxio, inutili. vel hoc est incertis mensibus; videtur enim de æstate dicere, tepido humore. *Idem.*

Lacunæ] Sunt fossæ, in quibus collecta aqua stare consuevit; id est, quasi lacus minores. *Idem.*

Sudant humore lacunæ] Hypallage: pro, humor sudat e lacunis. *Taubm.*

118 *Nec tamen hæc cum sint hominumque boumque labores*] Ordo est, *Nec tamen nihil improbus anser, Strymoniæque grues, et amaris intiba fibris officiunt, aut umbra nocet.* Et hoc dicit, Licet hæc omnia, quæ dixi, arando sint experti et hominum et boum labores: tamen sunt adhuc aliqua, quæ obsunt, nisi provideris. scilicet, ne aves obsint, aut umbræ arborum. *Servius.*

119 *Improbus anser*] Insatiabilis, nulli probandus. Et dicit anseres agrestes. *Idem.*

Improbus anser] Quem nunquam capit ulla satietas pabuli, sed aviditate nimia semper flagrat vorandi. *Voraces enim sunt natura*, ut Columella III. 10. *Quo temperandum iis, qui propter cupiditatem sæpe in pascendo, si radicem prenderint, quam educere velint e terra, obrumpunt collum.* Eleganter dicitur de procacibus, qui postulant ea, quæ sibi non debentur. Phædrus II. 2. *Improbum rejecit.* Id est, prædatorem, qui partem impudenti ore postulabat dejecti juvenci. Sic apud Eundem I. 6. *Fauce improba, improbitas.* Ovid. Met. XIII. 112.

Debilitaturum quid te petis, improbe, munus?

Sic *classis improba, spes improba, labor*

improbus vs. 145. hujus libri: sed de his Berneccerus ad Just. xxix. 3. non ipsi anseres tantum noxam important segetibus *sed et eorum lætamen*, id est, stercus, *inimicum satis est*, ut Pallad. i. 23. *Emmeness.*

120 *Strymoniæque grues*] Thraciæ, a fluvio vel lacu Strymone, qui fuit circa Amphipolim civitatem. *Servius.*

Strymoniæque grues] Sic Æn. x. 265.

Strymoniæ dant signa grues.

Mart. ix. 30.

Nec quæ Strymonio de grege ripa sonat.

Juven. inde *grues* appellat *Thracum volucres*, xiii. 167. ubi etiam memoratur pugna gruum et pygmæarum. De migratione harum avium Oppian. Halieut. i. 621. et Solinus cap. 16. *Emmeness.*

Et amaris intyba fibris] Donatus dicit, male quidam intybam avem quandam amari jecoris accipiunt. nam intyba dicit cicorea, quarum radices multæ et tenues ambiunt segetes et necant. *Fibris* autem abusive ait, quod radices intyborum hac atque illac decurrant, ut fibræ per jecur, id est, venæ quædam ac nervi. Alii fibras proprie dicunt rei cujusque extremitates, sicut Cicero in Gabinium, *Fibræ cincinnorum madentes*: Et in Tusculanis, *Non solum ramos amputare miseriarum, sed omnes radicum fibras evellere.* Unde et jocineris extremæ partes fibræ a nonnullis appellantur. Bene ergo Virgilius intyborum, vel radicum, vel foliorum extremitates fibras dixit. Alii herbas adserunt, ut Nigidius commentario grammaticali φορβὴ, herba. *Sed antea fibra dicta est, ut nunc etiam rustici dicunt.* Potest ergo hic fibris pro herbis accipi, quando ipsa intybus herbæ species est. *Servius.*

Et amaris intuba fibris] Per *u* scribendum *intubus* docet Pierius ex antiqq. plerisque codicibus, tam Plinianis quam Virgilianis; cujus sententiam laudat Dausquius. eadem est, quæ Cichorea. Vide Theophrast. Hist. Plant. v. 7. et 11. Sic Torrent. ad Horat. od. i. 31. *ambubejam* vel græco nomine κιχώριον indigitat. Frequenter intubus in masculino vett. dictum, teste Charisio l. i. p. 77. Locum hunc interpretatur optime Turneb. xxvii. 25. Cujus hæc sunt verba: *Profecto dupliciter intuba nocere possunt: tum radicum fibris serpentium terramque defrugantium, et triticum augentium; tum anserum illecebris, mire hoc olus expetentium. quam etiam crediderim caussam fuisse, cur post anserum intuborum mentionem fecerit Columell.* viii. 14. *de anseribus loquens: Palustris quoque sed herbidus destinetur, atque alia pabula conserantur, ut vicia, trifolium, fænum græcum, sed præcipue genus intubi, quod σέριν Græci appellant.* Quam herbam, tanquam medicinam, impense expetunt anseres, ut Plin. viii. 27. *Seruntque his, nempe anseribus, herbam, quæ vocatur Seris.* plura Columella iii. 10. *Emmeness.*

Amaris] Nocentibus. Ut, *Hostis amare.* Serv.

121 *Aut umbra nocet*] Ut, *nocent et frugibus umbræ.* Idem.

Umbra nocet] Sic Ecl. x. 76. Quem versum legit, hac servata interpunctione, Viliomarus l. x.

Solet esse gravis cantantibus umbra
Juniperi, gravis umbra, nocent et frugibus umbræ.

Sed omnium elimatissima, Heinsiana, post *cantantibus umbra*, finit periodum, et in medio sequentis. Vide etiam Robert. Tit. x. 1. Sed de nocivis umbris Plin. xvii. 12. *Juglandium gravis et noxia, etiam capiti humano, omnibusque juxta satis. Necat germina et pinus.* et paullo post: *quibusque satis umbra aut nutrix, aut noverca est.* Idem Lucret. l. vi.

Arboribus primum sertis gravis umbra tributa est;
Usque adeo, capitis faciant ut sæpe dolores,

Si quis eas subter jacuit prostratus in herbis.

Emmeness.

Pater] Eo nomine passim a Poëtis Jupiter. Græce πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε. *Emmeness.*

Pater ipse colendi] Potest hoc videri sumptum ab Hesiodo; qui sic cecinit:

Κρύψαντες γὰρ ἔχουσι θεοὶ βίον ἀνθρώποισιν.

Ursinus.

122 *Viam*] Rationem, μέθοδον. *Serv.*

123 *Movit agros curis acuens mortalia corda*] Dicturus est, Jovem fecisse multa, quæ possunt in vituperationem venire: et ea hoc colore defendit, quod dicat voluisse eum ingenium mortalibus ex necessitate præstare, ne torperent otio, quod ex rerum abundantia procreatur. Et movit agros, tanquam ipse colat agros, ut, *ille colit terras;* vel movit, id est, jussit coli, ut est terram vertere: *curis* vero solicitudinibus. *Serv.*

Movit agros] Id est, excoluit, aratro vertit. Vide Nobilissimum Heinsium ad Ovid. Met. v. 555. *Emmeness.*

Acuens] Exercens. *Serv.*

Acuens] Sic Ter. in Ad. v. 3. 49. *Quod illos sat ætas acuet.* Manilius l. I.

Sed cum longa dies acuit mortalia corda;
Et labor ingenium miseris dedit, et sua quemque
Advigilare sibi jussit fortuna premendo, &c.

Totus enim locus est Virgilianus. *Emmeness.*

124 *Torpere*] Quod hic *torpere terram,* Appian. civil. I. τὴν γῆν ἀργὸν et σχολὴν διαλαχεῖν, *Segnem terram otio torpentem.* Senec. in Fur. *ager squallebit.* ut Virg. intra: *squallent abductis arva colonis.* quem locum vide. *Cerda.*

124 *Veterno*] Pigritia, otio, quia plerunque otiosos solet hic morbus incessere. Plautus in Addicto, *Opus facere nimio quam dormire mavolo, Veternum metuo. Veternus* autem dicitur morbus intercutis, idrops, qui homines efficit pigros, et dicimus hic Intercus, hujus Intercutis. *Servius.*

Veterno] Quid morbi sit *veternus* sive *lethargus* et simul ejus quæ curatio, ex Celso discimus III. 20. Pro nimia sæpe ponitur inertia. Cic. ad fam. ep. II. 13. *Erat in eadem epistola veternus civitatis.* Colum. VII. 5. *Ita conducit mediocriter exercere, et quasi torpentes excitare, nec pati veterno consenescere.* Inde Ter. Eun. IV. 4. 21. *Veternosus senex.* De qua voce Donatus. *Emmeness.*

125 *Ante Jovem*] Ante regnum Jovis. *Servius.*

Ante Jovem] De aureo sæculo, quod, Saturno imperante, floruit, pleni sunt poëtarum libri. Noster Ecl. IV. Tibull. I. 3. Ovid. in principio l. I. Met. Hesiod. ἔργ. et præcipue Lucret. l. v. Sed eos aurei sæculi admiratores perstringit Statius silv. I.

I nunc sæcula compara, Vetustas,
Antiqui Jovis aureumque tempus.

Emmeness.

Nulli] Vetuste, non, significat. Terentius in Hecyra, *Si non quærit, nullus dixeris.* ut ipse alibi, *Nulla Venus non ulli animum flexere hymenæi.* Tale est *et nil mea carmina curas,* pro non curas. *Servius.*

Subigebant] Domabant. mollibant. ac per hoc colebant. *Idem.*

126 *Nec signare quidem*] *Signare,* notare; propterea quod cum agri colonis dividerentur, fossa ducebatur ab Oriente ad Occidentem, quæ cardo nuncupabatur; et alia de Septentrione ad Meridiem, qui decimanus limes vocabatur: et alii minores erant in obliquum discreti, qui lineares appellabantur, et agros, per centurias, sive per jugera divisos, coërcebant. *Id.*

Nec signare quidem] In Rom. cod. *Ne signare quidem,* legitur, una minus littera. *Pierius.*

Aut partiri] Dividere et designare. *Servius.*

Limite] Termino, ut, 'limes agro positus.' *Idem.*

127 *Fas*] Id est, lex. *Servius.*

In medium quærebant] In commune, id est, in publico, ut ipse alibi, *consulite in medium.* Idem.

In medium quærebant] Turneb. XXII. 19. explicat, quid sit, *quærere in medium.* Id est, quærere, quod commune esset, nec proprium alicujus; quod accidit in prima illa orbis constitutione, et aureo ævo. Et sic explicat illud Lucan. l. I.

Quid miscere juvat vires, orbemque tenere
In medio?

Ubi *tenere in medio*, est, non suum, sed commune possidere: nam orbis Romanus, inito Triumviratu, neque Cæsaris erat, nec Pompeji, neque Crassi, sed consortium eorum trium commune. Lactant. v. 5. perperam Virgilii sententiam exponit. Sed Justinus l. XLI.—— *eam* adstruit: *Saturnus tantæ justitiæ fuisse dicitur, ut neque servierit sub illa quisquam, neque quicquam privatæ rei habuerit: sed omnia communia et individua omnibus fuerint, veluti unum cunctis patrimonium esset.* Pro *in medium*, Græci dicunt: ἐς μέσον, ἐς κοινὸν, ut pluribus disputat ad hunc locum *Cerda.*

Ipsa tellus] *Ipsa*, ultro, sponte sua, ut *Ipsæ lacte domum.* Servius.

Ipsaque tellus Omnia liberius nullo poscente ferebat] Est ergo: *tellus nullo poscente fert omnia liberius.* Idem quod Virgilius Ecl. IV. dixit: *tellus fundet munuscula nullo Cultu.* Quod Homerus Odys. IX. ἄσπαρτα καὶ ἀνήροτα πάντα φύονται. Quod Hesiod. in ἔργ. ἄρουρα αὐτομάτη. Quod Plato in Polit. αὐτομάτως ἀναδιδούσης τῆς γῆς. Quod Ovid. Met. I. de terra: *immunis, rastroque intacta, nec ullis Saucia vomeribus per se dabat omnia tellus.* et, *tellus fruges inarata ferebat.* Et Am. III. 7. *dabat fruges sine vomere.* et, Trist. III. 12. *nullo terra serente gerit.* Quod Claudian. in Rust. *subitis messor gaudebit aristis.* Quod Horat. epod. *Reddit Cererem tellus inarata.* Cerda.

128 *Omnia liberius*] Quia supra ait, *Atque imperat arvis.* Alii *liberius*, pro liberalius accipiunt. Bene. tunc enim libere cuncta sponte ferebat: nunc autem, imperante alio, per laborem culturæ serviunt. *Servius.*

Nullo poscente] Id est, Nullo imperante. Nam teste Donato ad Ter. Andr. II. 5. 11. *Petimus precario, poscimus imperiose, postulamus jure.* Idem docet Popma de diff. verb. l. IV. Quamvis hæc verborum proprietas non semper observetur, ut idem exemplis facit liquidum. *Emmeness.*

129 *Ille*] Jupiter scilicet adeptus imperium. *Servius.*

Malum virus] Bene ad discretionem epitheton addidit. Nam *virus* et bonum et malum est: sicut venenum: nam idem est. Venit autem a Græco: nam illi φάρμακον medium habent, id est bonum et malum. Sane *virus* hodie tres tantum habet casus: hoc virus, hoc virus, o virus. Antiqui, hujus viri, dicebant. Lucretius, *tetri primordia viri.* Nonnunquam pro fœtore ponitur virus, ut apud Lucilium, *anseris herbilis virus.* *Addidit* aut abundat, aut *addidit*, quia habebant ante nonnihil veneni. *Serv.*

Malum virus] Ut *noxium virus* Columel. VI. 17. Μέσον est vocabulum. Qualia Gellius XII. 9. nonnulla enumerat: *Ancipiti significatione sunt, tempestas, valetudo, facinus, dolus, gratia, industria, periculum, venenum, contagium*, quibus adde, *fabula*, de hac voce Faber in animadvers. ad Phædrum p. 8. Operæ pretium etiam est, si legas Eustat. ad Homer. p. 464. φάρμακον μέση λέξις, &c. Attingit etiam Apollon. Argon. III. φάρμακα τὰ μὲν ἐσθλὰ, τὰ δὲ ῥαιστήρια. Nonnunquam tamen in bonam partem *virus* sumitur. Stat. Silv. I.

—— *Jungam ipse manus, atque omne benignum*
Virus, odoriferis Arabum quod doctus in arvis, &c.

Recte Delecampius ad Plin. l. XXXIV.

14. pro *vires*, *virus* legit. *Emmen.*

Atris] Modo noxiis, id est, ad tenebras et mortem mittentibus. *Serv.*

130 *Prædarique lupos jussit*] Utrum ut ipsi prædas faciant, an ut ipsi capiantur? *Idem.*

Pontumque moveri] Ventis scilicet. Cicero, *Mare movetur ventis, ne putescat.* Idem.

131 *Mellaque decussit foliis*] Quia est opinio, fluxisse arboribus mella. *Idem.*

Mellaque decussit foliis] Contrarium in ætate aurea, Ecl. IV.

Et duræ quercus sudabunt roscida
mella.

Ovid. Met. I.

Flavaque de viridi stillabant ilice
mella.

Cerda.

Ignemque removit] Non penitus sustulit, non extinxit, sed occuluit. Unde est, *Quærit pars semina flammæ, Abstrusa in venis silicis.* Servius.

Ignemque removit] Sumtum hoc ab Hesiodo. ἔργ. I. κρύψε δὲ πῦρ: *abscondit vero ignem.* Cerda.

132 *Passim*] Abundanter, ubique. *Serv.*

Rivis] Fluminibus. *Idem.*

133 *Ut varias usus*] Usus ἡ πεῖρα, ut cum opus rebus esset, excogitarentur artes, per quas invenirentur. *Idem.*

Meditando] Ab agente est, id est, dum meditatur. *Idem.*

Extunderet] Studiose reperiret et coleret. *Idem.*

Extunderet artis] Antiqua aliquot exemplaria *excuderet* legunt. eaque dictio, nescio qua prius abrasa, in Longobardico codice superinducta. Sed enim *extunderet* in probatioribus codicibus, Romano, Mediceo, et aliis habetur. *Pierius.*

Meditando extunderet artis] Diligenter studendo, exercendo (de hoc verbo meditari Ecl. I. 2.) inveniret, excitaret, ad fastigium produceret. Ge. IV. 315.

Quis Deus hanc, musæ, quis nobis
extudit artem?

Et vs. 327.

Quem mihi vix frugum, et pecudum
custodia solers
Omnia tentanti extuderat.

Æn. VIII. 665.

—— *et lapsa ancilia cœlo*
Extuderat.

Suet. Vesp. c. 2. *Ea demum extudit magis convicio, quam precibus vel auctoritate.* Pro *extundere* Græci ἐκμάσσειν. Nonius Marcellus c. 2. *extundere*, pro *extorquere* usurpatum docet. *Emmen.*

134 *Paulatim*] Epitheton artium est. *Servius.*

Frumenti herbam] Periphrasis segetis, ut, *nec graminis attigit herbam.* Idem.

Quæreret] Id est, ipse usus; et *quæreret*, quasi adhuc quod non esset, id est, quasi intus in sulcis quæreret. *Idem.*

135 *Et silicis venis*] Proprie dictum: Quadrigarius quarto, *Inter venas saxi, abstrusum, latentem, et quasi divinitus absconditum:* et hoc est, quod dixit, *ignemque removit.* Sane absconditum dicitur, non absconsum, quia conditum facit, non consum. *Idem.*

Ut silicis venis] Sic antiqua omnia exemplaria, quæ præ manibus fuere nobis, legunt, tametsi non displicet *et*, ut illi membro cohæreat, *Et sulcis frumenti quæreret herbam.* Pierius.

Ut silicis venis abstrusum ignem] Ita in Æn. VI.

—— *semina flammæ*
Abstrusa in venis silicis.

Cerda.

Silicis venis, &c.] Quidam βαναυσίαν, id est, artem, quæ ad caminum et ignem exercetur, notari putant. quidam *coquinariam*. ita autem loquitur et Æn. I. 116. et Æn. VI. 6. *Taubm.*

Excuderet] In I. quoque Æn. *scintillam excudit Achates.* et Plin. XVI. 40. *ad excudendum ignem, non semper lapidis occasio est.* Credit Germ. sumptum hoc ex illo Sophocl. in Phil.

Ἀλλ' ἐν πέτροισι πέτρον ἐντρίβων, μόλις
Ἔφην' ἄφαντον φῶς.

Similia sunt verba Plinii in adducto loco: *teritur lignum ligno, ignemque concipit attritu.* Nonnus Dionys. II. ita rem hanc pari cum aliis folio. λίθος ἀμφὶ λίθῳ φλογερὴν ὠδῖνα λοχεύων: *lapis attritus lapidi gignit flammantem partum.* et statim de percusso lapide: λᾶϊνον ἠκόντιζε πολυθλιβὲς αὐτόγονον πῦρ: *ejaculatur ex se genitum ignem lapideum assidua attritione.* Cerda.

136 *Alnos*] Arboris species, et per hoc lyntres fluviales ostendit. *Servius.*

Alnos cavatas] Alludit ad scaphas, παρὰ τὸ σκάπτειν dictas: quod primum grandiora tantum robora atque solida excavari solebant. Unde et αὐτόξυλα et μονόξυλα dicebantur. *Taubmann.*

Fluvii] Id est, qui in fluviis navigant. *Servius.*

Sensere cavatas] Hoc est, quod ait, *paulatim. Idem.*

137 *Navita*] Pro nauta: sicut Mavors pro Mars. *Idem.*

Numeros et nomina fecit] *Numeros,* aut currendi modos, id est, ortus et occasus: quod si est, quasi rem philosophorum prætermisit: nam tantum de nominibus dicit, ut Plejadas, Hyadas. Aut certe revera ait *numeros:* nam Hipparchus scripsit de signis: et commemoravit etiam, unumquodque signum quot claras, quot fecundæ lucis, quot obscuras stellas habeat. secundum quod bene commemoratis signis, quasi notum, stellarum numerum prætermisit. Aut *numeros,* quia Septentrionem dicimus: *nomina fecit* vero, notamina: Plautus in Menechmis, *Juventus fecit nomen Peniculo mihi.* Et in eo quod dicit nautam stellis numeros et nomina fecisse: significat necessitate quærendarum rerum; quæ ante sponte sua cunctis proveniebant, homines navigandi peritiam et studium reperisse: et ex eo quod sequitur, id quod præcedit ostendit. Navigandi quippe peritiam, sequitur studium motus et rationes siderum cognoscendi, propter tempestatem maris, et ventorum motus. *Idem.*

Stellis nomina fecit] Sic Ovid. Trist. I. 1. *Icariis nomina fecit aquis.* V. Nobiliss. Heinsium. *Emmeness.*

138 *Pleiadas*] Signum est ante genua Tauri, quod Græci ὕβον dicunt, id est, petimen. Quidam autem non omnium boum ὕβον, sed eorum tantum, qui sunt, ita ut Cyprii, gibberes, sicut Aristoteles quoque refert, sed et gibber ipsum ὕβον nominat; sed Plejades ortu suo primæ navigationis tempus ostendunt. Unde Græce Plejades dicuntur ἀπὸ τοῦ πλέειν: latine Vergiliæ, a verni temporis significatione, quo oriuntur. vel quod Pliones et Atlantis filiæ sint. Sunt autem septem: Taygete, Arcyone, Celænis, Sterope, Merope, Maja, Electra, quæ excisum filium dolens, lucere desiit: quidam Steropen volunt non apparere, velut erubescentem, quod sola e sororibus cum Sisypho mortali concubuerit. *Serv.*

Pleiadas] Vergilias: quæ versu 221. *Atlantides* vocantur Patris sui nomine. Sunt autem stellæ septem in dorso Tauri, in se conglobatæ ac confertæ, ita ut minimum spacium occupent. Nihil enim aliud sunt, quam ἀστέρων συστροφή, a qua mente Val. Flaccus l. VI. dixit, *Pleiadumque globos:* et Manil. l. IV.

—— *glomerabile sidus.*

Et Propert. III. 4.

Pleiadum spisso cur coit igne chorus?

Easque ob hanc caussam et Nicander ὀλίζονας vocavit. Athenæus l. II. docet πλειάδας dictas etiam πελειάδας, id est, *Columbas,* quæ Jovi Ambrosiam pocillentur. Vide *Merulæ* Cosmographiam lib. II. Part. I. *Taubmann.*

Hyadas] *Hyades,* signum est et in fronte Tauri, quod ortu suo efficit pluvias: unde stellæ ipsæ, Hyades

vocantur ἀπὸ τοῦ ὑετοῦ, quas Latini exinde Suculas appellaverunt. Alii hyadas, a porcis, quos Græci ὗς dicunt, a nobis sues appellantur, non a pluviis, quas ὑετοὺς vocant, dictas accipiunt. nam ideo et suculas dici a suibus. Hæ sunt in fronte tauri, in formam Y litteræ. Unde etiam Yadas dici volunt. Has alii septem, alii quinque dicunt his nominibus, Pytho, Synecho, Baccho, Cardie, Niseis. *Servius.*

Hyadas] Septem stellæ in Capite Tauri: παρὰ τὸ ὕειν, quod ortu suo *pluvias* cieant: quo allusit Val. Flaccus l. v.

Pleiades et madidis rorantes crinibus ignes.

Latini *suculas* non a *succo*, ut inepte Nigidius: sed tanquam ὑάδες sint ὕες, ὑποκοριστικῶς: ut notat Joseph. Scalig. ad Manil. Ovid. Fastorum IV:

Ora micant Tauri septem radiantia flammis,
Navita quas Hyadas Grajus ab imbre vocat.

Taubmann.

Claramque Lycaonis Arcton] Elicem dicit, id est, majorem Septentrionem: nam minor Cynosura dicitur. Lycaonis autem, subaudi filiam, ut Deiphobe Glauci. Lycaon enim rex Arcadiæ habuit filiam Calisto, quam cum vitiasset Jupiter, Juno in ursam convertit: et postea Jupiter miseratus in signum Septentrionis cœleste transtulit. *Servius.*

Claram] Ergo, notam; ut, *tuus o clarissime frater Pandare;* vel quia non, vel nunquam, occidit, ideo claram; vel quia illic alia obscurior est. *Idem.*

Claram] Manil. *fulgentem,* l. I. et Græci, ἀειφανερὸν: ita Lucan. l. VIII.

——sed qui non mergitur undis
Axis inocciduus, gemina clarissimus Arcto,
Ille regit puppes.

Vide, quæso, Jos. Scalig. ad Manil. l. I. p. 75. et seqq. *Taubmann.*

Pleidas, Hyadas, claramque Lycaonis Arcton] Tria hæc sidera conjungit. Ovid. Met. XIII. 293. *Emmeness.*

139 *Tum laqueis captare feras, et fallere visco, Inventum*] *Captare,* occupare velle, et unus sensus est divisus interpositione alterius. Nam *Laqueis captare feras,* ad venationem pertinet. id est, illaqueare feras incurvatis arboribus: *Fallere visco,* ad aucupium. Item ad venationem, *Et magnos canibus circumdare saltus.* Male autem de aucupio quidam hoc respuunt, totum referentes ad venationem: et dicunt, *Fallere visco,* pro visceratione positum. Constat enim luparios carnibus tinctis veneno lupos necare. quod ideo non procedit, quia hoc *viscum hujus visci* facit, sicut templum templi. unde est *Fallere visco.* *Viscus* vero, id est, caro, *visceris* facit, ut pecus, pecoris. Et si de carne loquebatur, viscere debuit dicere. Lucretius. *Permixtus viscere sanguis.* Item ipse, *Viscus gigni, sanguenque creari.* Primo de nautis, et navigio invento: postea de venatione dixit: nunc de piscatoribus loquitur. cuncta enim hæc necessitas invenit. *Serv.*

140 *Magnos canibus circumdare saltus*] Ita Ecl. X.

—— non me ulla vetabant
Frigora, Parthenios canibus circumdare saltus.

Quod autem nos *circumdare,* Græci προσπεριβάλλεσθαι, quo verbo usus est Demosthenes in Phil. I. eumque Ulpianus explicans, ait metaphoram sumi a venatoribus, qui, ne feræ elabantur, per vias omnes, atque per omnia effugia τὰς ἄρκυς περιβάλλουσιν, retia circumferunt. *Cerda.*

141 *Atque alius latum funda jam verberat*] Ordo est, jam alius et funda. Genus est retis, dictum a fundendo, id est, jaculum quod dicitur βόλος. *Servius.*

Funda verberat amnem] i. piscatur. *Funda* autem a fundendo, vel a *fundo* :

βόλος Græcis: unde piscator talis, ἰχθυοβόλος, *jaculator* Plauto dictus, Isidoro teste. *Funda* eidem Asin. I. 1. *rete jaculum* est: (Ausonius tamen *fundam* a *jaculo* separat; auctore Turnebo XVIII. 26.) Et sic dicitur ad differentiam *Verriculi*, quod non jacitur, sed verritur, i. trahitur: unde et piscator ipse ἰχθυολκὸς vocatur: de quo sequens versus capiatur, ubi *lina* sunt linea retia: ut Græcis ὑγρὰ λίνα; qui tamen vocis hujus primam corripiunt. *Taubmann.*

Funda verberat amnem] Utitur periphrasi Theocr. Idyll. I. 40. μέγα δίκτυον ἐς βόλον ἕλκει. qui rete trahunt δικτυολκοί, qui rete jaciunt δικτυοβόλοι καλοῦνται. ut Pollux VII. 31. *Emmeness.*

142 *Alta petens*] Nonnulli *alta petens* ad maris piscationem adplicant; ut prima pars, *funda jam verberat amnem*, fluminis piscatio videatur: *Alta petens pelagoque alius trahit humida lina*, de mari dixerit. *Servius.*

Trahit humida lina] Verriculum significat. Et *trahit* recte, quia hoc genus retis *tragum* vocatur. *Idem.*

143 *Ferri rigor*] Durities ferri, unde *enses rigidi* fierent. Unde et *rigidus homo* dicitur. *Idem.*

Ferri rigor] Ita Prudentius: *æris ac ferri rigor.* et Manil. l. II. *ferrique rigor.* Cassiod. III. 25. *rigorem ferri parturit terrena mollities.* Ante omnes Lucret. l. I.

—— *rigor auri solvitur æstu.*

Cerda.

Argutæ serræ] Stridulæ, sonoræ, ut *arguto pectine.* Et dicitur, Perdix, sororis Dædali filius, invenisse circinum et serram. Lamina autem serræ, definitio. *Servius.*

Lamina] *Lamina*, portio metalli diductior tenuiorque; crassior tamen bractea. De quo Valla IV. 74. Plinius etiam *fagi sectiles laminas* dixit. Buchene Bretter. *Taubmann.*

Serræ] Hujus inventum Plin. VII. 56. attribuit Dædalo: Ovid. Metamorph. VIII. Perdiccæ Dædali sororis filio. Senec. ep. 90. et Diodor. biblioth. l. IV. *Cerda.*

144 *Nam primi cuneis scindebant fissile lignum*] In Mediceo codice et aliquot aliis antiquis *nam primum* habetur. In Romano: *schindebant*, quod sono asperum videatur, per *ch*, et hic et alibi scriptum, quod verbum id σχίζω Græce dicitur: alii *scindo* malunt ἀπὸ τοῦ σκεδάζω dici: et idcirco adspirationem non apponunt, atque ita omnino mollius enunciatur. *Pierius.*

Scindebant fissile lignum] Quod findi potest; aut scindendo fissile faciebant; aut ibi scindebant, ubi fissile erat. *Servius.*

145 *Tum variæ venere artes*] Ex necessitate scilicet diversarum rerum, quibus homines, repressa spontanea cunctarum rerum origine, et terrarum fructificatione, cœperunt egere. *Servius.*

Labor improbus] Vel magnus, vel nulli probabilis: nullus est enim amator laboris. vel indefessus, adsiduus, sine moderamine. *Idem.*

Labor improbus] Multas recenset notiones Taubmannus, sed omnium una congruit maxime, quam vide vs. 119. ad hæc verba: *nihil improbus anser.* *Labor* enim *improbus*, idem ac *indefessus, nimius*, ut hanc vocem interpretatur Salmas. in Plinian. exercit. p. 368. Et præclarum illud omnis eruditionis domicilium, cujus ruinam dolebit ætatem posteritas, Cl. Gronovius ad Suet. in Vespas. c. 23. *Laborem improbum*, Lucretius appellat *eximium, præstantem*, in initio lib. II.

Noctes atque dies niti præstante labore. Duas inventarum disciplinarum causas enarrat, diligentiam, et paupertatem, de qua post. Sæculo aureo artes necdum erant excogitatæ. Quod, quia omnium rerum usus sponte suppetebat. Manil. l. I.

Necdum etiam doctas solertia fecerat artes.
Emmeness.

Labor omnia vincit] In Romano codice *vicit* legitur, specie perfecta. Nam et *venere artes* dixerat. In Mediceo *vincit* est: sed litteræ n subditum est punctum, quod eam indicet expungendam. Utcunque tamen legas, parvi est momenti. *Pierius.*

146 *Et duris urguens in rebus egestas*] Prior est egestas, quam paupertas; paupertas enim honesta esse potest. Egestas autem turpis est. Persius: *Magister artis ingenîque largitor Venter, negatas artifex sequi voces.* Servius.

Urguens in rebus egestas] Mart. XI. 88. *O quantum cogit egestas.* Et de repertione artium, Arnob. l. II. *Non sunt ista sapientiæ munera, sed pauperrimæ necessitatis inventa.* Iterum: *Ex quo apparet, ut sæpius dictum est, inventa hæc esse locorum necessitate ac temporum, neque divinitus eruditas advolasse huc animas.* Ad eandem sententiam, possis referre illud Persii: *Quis expedivit, &c.* Cerda.

Et duris urguens in rebus egestas] Multa hominem fames docet, et paupertas experiri jubet, ut P. Syrus. Imo ut Horat. Od. III. 24.

Magnum pauperies opprobrium jubet,
Quidvis et facere, et pati.

et epist. II. 2. 51.

—— *Paupertas impulit audax*
Ut versus facerem.

Manil. l. I.

Et labor ingenium miseris dedit, et sua quemque
Advigilare sibi jussit fortuna premendo.

Haud absimilis est sententia Theocriti,

Ἁ πενία Διόφαντε μόνα τὰς τέχνας ἐγείρει.

Quod sic Plaut. Stich. I. 3. 24. *Paupertas omnes artes perdocet, ubi quem attigit.* Male, *prior est egestas*, in Servio. quæ verba etiam in multis editionibus non invenias. Si tamen retinenda videntur, pro *prior*, lege *pejor*. *Urguens* pro *urgens*: illud verbum ita scriptum testatur Dausquius in Pandectis Flor. in antiq. inscript. et in plerisque veteribus Virgilii codicibus, quamvis aliud statuat Vel. Longus in Orthographia. *Emmeness.*

147 *Prima Ceres ferro mortales vertere terram Instituit*] Prima Ceres omne agriculturæ genus hominibus indicavit. superfluam enim quæstionem movent commentarii, dicentes Osyrim vel Triptolemum aratrum invenisse. nam aliud est unam rem invenire, et aliud omnem agriculturam docere: quod fecit Ceres. Nam ferrum dicendo, cuncta generaliter rusticorum arma, complectitur. Sane solum hoc nomen est in polysyllabis, quod ultimam producat in nominativo, et eam in obliquis corripiat, ut Ceres, Cereris. *Servius.*

Prima Ceres ferro mortalis vertere terram] *Vertere* Græcis πολεῖν est. Inde Homero γειὸν τρίπολον novale, quod ter aratro subactum. Multis locis idem de Cerere affirmatur. Ovid. Fast. IV. 401.

Prima Ceres homini ad meliora alimenta vocato
Mutavit glandes utiliore cibo.
Illa jugo tauros collum præbere coëgit:
Tum primum soles eruta vidit humus.

et Metam. V. 341.

Prima Ceres unco glebam dimovit aratro:
Prima dedit fruges, alimentaque mitia terris.

Hymnus in Cererem Callimachi idem enarrat. Vide etiam Diod. Sicul. l. V. et Lucret. l. V. in proœmio. Hinc Oppian. Halieut. II. 19.

Δηὼ μὲν ζεύγλης τε βοῶν ἀρότοιο τε γαίης,
Πυρῶν τ' εὐκάρποιο φέρει γέρας ἀμήτοιο.

Adi et Orpheum in laude Cereris:

Ἡ πρώτη ζεύξασα βοῶν ἀροτῆρα τένοντα.

Et in ministri Triptolemi honorem, quia in terra Attica primam fecerat sementem, noctes initiorum sacratæ sunt, ut Just. II. 6. *Emmeness.*

148 *Sacræ Deficerent silvæ*] Emphasis est, id est, etiam sacræ: quarum sterilitas cæterarum quoque significat infœcunditatem. *Arbuta* autem sunt rubra poma silvarum; quæ Plinius unedones vocat: quod asperitate sua plura edi non possint. *Silvæ* autem si nominativus pluralis est, figurata declinatio est, si singularis genitivus est, possessiva. *Servius.*

Arbuta Deficerent silvæ] Vel accipe, ut illud Cic. in Orat. *Prudentia nunquam Oratorem deficit.* Et in Verr. *civitas me defecit*, i. deseruit. Vel ut illud ejusd. in Orat. *Non animus eis, sed vires deficiunt.* Taubmann.

149 *Victum Dodona negaret*] *Dodona* civitas Epiri est, juxta quam nemus est, Jovi sacratum, et abundans glandibus semper, de cujus nemoris arboribus columbæ oracula petentibus dare consueverant. et ideo κατ' ἐξοχὴν Dodonæ efficit mentionem. Quia dixit, *Chaoniam pingui glandem mutavit arista:* sunt enim Chaones in Epiro, perinde ut Dodona. Et totum quod dicit hic, hoc est: Prius homines, ut legimus, pasti glandibus sunt, nec aliud ad victum quærebant. Cum igitur jam deficerent glandes, et non solum quælibet silvæ, sed etiam sacræ victum hominibus negarent; et cum aliis silvis ipsa quoque Dodona civitas, quæ juxta se nemus Jovi consecratum habebat, glandes usibus humanis subtraheret, Ceres prima omne genus agriculturæ hominibus indicavit. *Serv.*

150 *Labor additus*] Aut datus: ut nihil mali ante habuerint. aut revera *additus:* quia ante erat quidem labor, sed tantum herbarum, intyborum: postea accessit rubiginis, carduorum. *Labor* autem quem Græci πονίαν dicunt. *Idem.*

151 *Esset*] Comesset, consumeret: ut, *Est mollis flamma medullas.* Idem.

Esset] Sic Horat. sat. II. 2. 57.

Quinquennis oleas est, et silvestria corna.

et epist. I. 2. 38.

—— *Si quid*
Est animum, differs curandi tempus in annum?

Ovid. de Ponto I. 1.

Estur ut occulta vitiata teredine navis.

id est, consumitur. *Emmeness.*

Robigo] Genus est vitii, quo culmi pereunt. Quod a rusticanis *calamitas* dicitur. Hoc autem genus vitii ex nebula nasci solet cum nigrescunt et consumunt frumenta. Inde et Rubigus deus, et sacra ejus decimo kalend. Majas Rubiginalia appellantur. Sed hæc res abusive Rubigo dicitur. Nam proprie rubigo est (ut Varro dicit) vitium obscœnæ libidinis, quod ulcus vocatur: id autem abundantia et superfluitate humoris solet nasci, quæ Græce σατυρίασις dicitur. *Servius.*

Robigo] *Interficit ferrum robigo*, ut Cato, *a quo natura*, teste Plinio, XXXIV. 14. *exigit pœnas robigine.* Quando tamen ferrum consumit, *ferrugo*, quando æs, *ærugo*, nonnunquam dicitur. Quemadmodum rubigo a ruber, sic robigo a robus, qui color idem ac ruber, ut Festus. Pierius tamen *robigo* in Romano cod. legi testatur. Pro hac scriptione facit Dausquius, idemque docet Nobiliss. Heinsius Fast. IV. 907. ubi multa de robigine, ferrum et segetes infestante. Cum segetes offendit, *malum est frugum et vinearum cæleste*, quemadmodum Plin. XVIII. 17. Sed juxta Isiod. XVI. 20. *Rubigo est vitium rodens ferrum ipsum, vel etiam segetes, quasi rodigo mutata una litera: hæc et erugo, ab erodendo, &c.* Dii, qui sterilem (tale enim epitheton addit Horat. od. III. 23.) robiginem avertunt, duo sunt, ut ex Gellio V. 12. *Averruncus* nempe, et *Robigus.* *Tria*, inquit Plin. XVIII. 29. *namque tempora fructibus metuebant,*

propter quod instituebant ferias, diesque festos: Robigalia, Floralia, Vinalia. Robigalia Numa constituit, anno regni sui XI. *quæ nunc aguntur ad* VII. *Calend. Maji, quoniam tunc fere segetes robigo occupat.* An ros frugibus inustus sole acri, an hæc uredo frigore tantum constet sole innoxio, disputat Plin. XVIII. 28. Remedium adversus robiginem reliquit Colum. in libello de arboribus, c. 13. *Emmeness.*

Segnis Carduus] Inutilis, infœcundus. *Servius.*

Horreret in arvis Carduus] In antiquis aliquot codicibus *carduos*, ut sexcenta hujusmodi exempla in veterum monumentis. *Pierius.*

Horreret] Abundaret, ut totum agrum impleret. *Servius.*

152 *Subit*] Succedit loco intereuntium. *Idem.*

Aspera silva] Notandum etiam de herbis silvam dictam. *Idem.*

Aspera silva] Asperam silvam Salmas. in exercit. Plin. pag. 538. vocat τραχέα ὑλήματα, id est, herbas spinis asperas, ut sunt lappæ et tribuli. In ea notione utitur Cic. in prætura urbana : *Tabulas et signa in silva depositas sub Dio vidimus.* Asconius pro *viridario.* Horat. epist. I. 10. 22.

Nempe inter varias nutritur silva columnas.

Ad quem locum hæc est interpretatio Torrentii : *hoc nimirum est, in urbe rus quærere.* Vide Cujacii observat. X. 15. *Emmeness.*

153 *Lappæque*] Species herbæ hirsutæ. *Servius.*

Tribulique] Genus spinæ, quod donec viret mollia folia habet; ubi inaruerit asperantur in spinas. Hos tribulos sparsisse pugnaturus cum Romanis Hannibal dicitur, fugamque simulasse; quem cum Romani insequerentur ignorantes, et fugere credentes, in hoc genus fraudis incurrerunt, et ab hostibus in prælium recurrentibus cæsi sunt. *Idem.*

Interque nitentia culta] Quæ ideo coluntur ut niteant; aut quæ per cultum nitere debeant. *Idem.*

Nitentia culta] Inter pingues pulchrasque segetes. lib. IV. dixit *pinguia culta.* quæ enim pinguia sunt, nitent. Unde Phædrus fab. XLVI. de homine corpulentiori,

—— *unde sic, quæso, nites?*

V. N. supra vs. 1. *Taubmann.*

154 *Infelix lolium*] Infœcundum. contra, *Felicemque trahit limum.* Serv.

Lolium] Ζιζάνιον Græcis, et ἡ τοῦ σίτου διαφθορὰ Suidæ. Inter omnes autem fruges hordeum et triticum, atque hoc maxime, in lolium transit. De quo videatur Theophrast. de Caus. Plant. IV. 1. et 4. et Plinius XXIII. 25. item comment. Plaut. Milite II. 3. *lolio victitare.* Taubmann.

Steriles avenæ] Ad discretionem earum, quæ seruntur. Nam in multis provinciis etiam inter fructuum genera numerantur : dominantur vero, eminent, quia et validiores et altiores sunt. *Servius.*

Et steriles dominantur avenæ] Hic suum habet locum *dominantur*, quod in Bucolicis *nascuntur*, ex antiquis codicibus legi diximus. *Pierius.*

Steriles avenæ] Ad discretionem earum, quæ seruntur; ait Servius. vel, quia *avena* terram (ut ait Theophr.) vehementer extenuat et sterilem facit. Plinius XVIII. 17. *Primum omnium frumenti vitium avena est, et hordeum in eam degenerat: sicut ipsa frumenti fit instar: quippe cum Germaniæ populi serant eam, neque alia pulte vivunt.* Habermuß, Haberbrey. Symmachus: *Nec rubigo segetibus obfuit, nec avena fruges necavit.* Vide Turneb. XIX. 29. et XXX. 19. et infra vs. 226. *Taubmann.*

155 *Quod nisi et assiduis terram insectabere rastris*] Jam concludit, et hoc dicit. Nisi sæpe sarrieris: propter illud, *Et amaris intyba fibris Officiunt:* nisi aves fugaveris: propter illud, *Improbus anser, Strymoniæque*

grues: nisi falce amputaveris ramos: propter illud, *Aut umbra nocet:* nisi votis invocaveris pluvias: propter, *Humida solstitia, atque hyemes orate serenas:* sine causa ingentes frumenti alieni acervos aspicies. Per quod ostendit rusticum sua inertia famem, non anni vitio, sustinere. Sane ad illud rettulit, quod supra ait, *in medium quærebant;* at nunc sibi quisque, nec ad nos pertinet acervus alienus. *Servius.*

Quod nisi et assiduis] In Romano codice *adsiduis*, idque perperam scriptum ex Carisii sententia. Quod vero sequitur, *terram insectabere rastris*, in Mediceo codice *herbam insectabere* scriptum est. *Pierius.*

Insectabere] Pro insectatus fueris. Futurum indicativi pro futuro subjunctivi. *Servius.*

Rastris] Sarculis. *Idem.*

156 *Terrebis*] Pro terrueris. *Idem.*

157 *Premes umbras*] Coartabis et imminues, compesces. *Idem.*

Falce premes umbras] Quia arbusta seri solent. et *premes* pro compesces. *Philargyrius.*

Premes umbras] Compesces umbras, amputando ramos arbustorum segetibus impendentium. *Taubmann.*

Votis] Sacrificiis, precibus. *Umbras*] Id est, ramos arborum, incumbentes segetibus, amputans. *Servius.*

Votisque vocaveris imbrem] Ut invoces fore tibi pluviam. *Idem.*

158 *Alterius acervum*] Qui hæc accurate egerit. *Idem.*

Frustra spectabis] In alio cernens, quod ipse non habeas. *Idem.*

Spectabis] Nonius Marc. ad hunc locum: *Spectare est videre.* Lucret. l. II. *E terra alterius magnum spectare laborem.* Virg. Æn. XII. *Sedeant, spectentque Latini.* M. Tullius Hortensio: *Cœli signorum admirabilem ordinem, insatiabilemque pulcritudinem magis spectat.* Emmeness.

Frustra spectabis acervum] Ut missum faciam acervom ex antiquis codicibus, in Mediceo, non *spectabis*, sed *exspectabis* habetur, id enim spectandi auget significatum. *Pierius.*

Heu magnum alterius frustra spectabis acervum] Similis sententia Hesiod. ἔργ. II.

——μήπως τὰ μεταξὺ χατίζων
Πτώσσῃς ἀλλοτρίους οἴκους, καὶ
μηδὲν ἀνύσσῃς.
Ne quando interim egens
Mendices ad alienas domos, nihilque
efficias.

Pari sensu Horatius od. II. 2.

Quisquis ingentes oculo irretorto
Spectat acervos.

Cerda.

159 *Concussa*] Senec. in Hipp. *Excussa silvis poma compescunt famem.* Idem.

Famem solabere] Ac si diceret, Ne glandibus quidem satiaberis: sed tantum famem produces: quia dixerat, *Et victum Dodona negaret.* Servius.

Solabere] Id est, sedabis, levabis. Horat. sat. II. 6. ult.

——*Me silva cavusque*
Tutus ab insidiis tenui solabitur ervo.

Idem od. II. 5.

Nunc fluviis gravem
Solantis æstum.

Sic *solari amorem, lacrymas.* Emm.

160 *Dicendum et quæ sint duris agrestibus arma*] Quasi magnum opus aggredior, ut, *nunc veneranda Pales.* Serv.

Duris agrestibus] Quia in labore durant. *Idem.*

Arma] Id est, instrumenta: ut alibi, *Cerealiaque arma.* Idem.

Arma] Etiam Græcos ὅπλα pro cujusvis opificii instrumentis accipere Eustath. auctor est: ut et ὁπλίζω pro ἑτοιμάζω, παρασκευάζω. V. N. Æn. I. *Cerealiaque arma Expediunt.* et Æn. IV. *Armari classem.* Taubmann.

161 *Quis sine*] Sine quibus. *Serv.*

Seri] Seminari. *Idem.*

Surgere] Crescere. *Idem.*

Surgere messes] Pari phrasi Lucret. l. I. *At nitidæ surgunt fruges, ramique virescunt.* Prudent. l. II. contra Symm.

Aspera nam segetem surgentem vincula texunt. Auctor Theb. act. I.

Hoc ego solum, frugifera quo surgit
Ceres,
Premo?

Tertull. in Genes.

Nam tibi triticeæ surget pro germine
messis
Carduus.

Poëta ipse: *Surgere silvæ. Surgentes herbas. Surget oleaster. Surgit paliurus. Surgunt de semine.* Cerda.

162 *Vomis*] Et ab eo quod est vomer, et ab eo quod est vomis, vomeris facit; sed rationis est, vomer. nam vomis usurpatum est. rarum enim est, ut in *is* exeuntia, *ris*, in obliquis recipiant: ut cinis, pulvis. Talis est et in Græcis ratio: nam actin et actis dicunt, delphin et delphis, Eleusin et Eleusis, sed verius in *n* desinunt: quod in obliquis habent, et Actinos, Eleusinos, Delphinos. *Servius.*

Vomis] Ex hoc præcepto M. Cato c. 5. rei rust. *Aratra, vomeresque facito, uti bonos habeas.* Cerda.

Inflexi primum grave robur aratri] Vet. Cod. Periphrasticôs aratrum, nam *inflexi* pro flexi posuit, quia *in* abundat: grave autem robur, propter sulcos altius imprimendos, et grave robur est, cui vomer accommodatur. *Servius.*

Robur aratri] i. aratrum. ita Lucr. l. I. *robur saxi,* dixit: et lib. II. *robur ferri.* Taubmann.

Grave robur] Ita Plinius in elegantissimo illo, super agriculturam, de veterum præceptis capite 6. libri VIII. *graves ligones, vomeres ponderosos,* dixit. Idem XVIII. 18. *In Italia* ait *octonos boves ad singulos vomeres anhelare.* Idem.

163 *Tardaque Eleusinæ matris volventia plaustra*] *Eleusin* civitas est Atticæ provinciæ, haud longe ab Athenis: in qua cum regnaret Celeus, et Cererem, filiam quærentem, liberalissime suscepisset hospitio, illa pro remuneratione ostendit ei omne genus agriculturæ: filium etiam ejus Triptolemum recens natum per noctem igne fovit; per diem divino lacte nutrivit: et eum alatis serpentibus superpositum, per totum orbem misit, ad usum frumentorum hominibus indicandum. *Volventia* autem plaustra, id est, volubilia: *Eleusinæ matris,* id est, qualia ostendit Ceres apud Eleusina. aut certe, qualibus mater deum colitur. nam ipsa est etiam Ceres. Romæ quoque sacra hujus de plaustris vehi consueverant: *volventia* autem quæ volvuntur, quod venit a volvo, non volvor. *Servius.*

Matris Eleusinæ] De Dea Eleusina et sacris Eleusiniis (quæ per excellentiam μυστήρια appellata sunt, et noctes initiorum sacratæ, ut Just. v. 1.) librum memoriæ prodidit diligentissimus in antiquitate eruenda Meursius. *Emmeness.*

164 *Tribulaque*] Genus vehiculi omni parte dentatum, unde feruntur frumenta, quo maxime in Africa utebantur. *Servius.*

Traheæque] Vel tabula est, ut quidam dicunt, quæ trahentibus bubus solet areæ induci, ad pabulum colligendum; vel vehicula sine rotis, quas vulgo trahas dicunt, et causa metri in hoc nomine epenthesin fecit, ut navita, et Mavors, pro nauta, et Mars. *Idem.*

Plaustra, Tribulaque, traheæque] De his tribus vehiculorum generibus Schefferus de re vehiculari II. 7. *Emmeness.*

Iniquo pondere rastri] Pro iniqui ponderis, id est magni: scilicet ut sine labore rustici glebas possint infringere. *Servius.*

Iniquo pondere rastri] De gravitate rastrorum Ter. H. I. 1. 40. *Emmeness.*

165 *Virgea præterea Celei vilisque supellex*] Id est, vasa de vimine: qualia Ceres Celeo aliquando monstravit: ut qualos, corbes, et cætera. Vilis autem supellex, quoniam de genistis, vel junco, vel alba vite so-

[illegible] facti. Nam hæc, et corbis dicendum aut feminino genere, secundum Pollionem, qui ait, in [illegible], *Memoria ex corbe [illegible].* *Supellex* autem usurpatum est, [illegible] artis est, hæc supellectilis. Genitivus enim aut par debet esse nominativo, aut una syllaba major, ut [illegible]: doctor doctoris. [illegible] majorem invenerimus, [illegible] id esse, manifestum est: [illegible], et pauca alia. *Idem.*

Celei] Celeus rex Eleusiniorum, apud quem Ceres hospitata dicitur [illegible]. Hic primus propter [illegible], quem a Cerere filius ejus Triptolemus acceperat, excogitavit [illegible], et his similia. *Philargyrius.*

Supellex] Ita quoque indigitat instrumenta rustica M. Varro de r. r. I. 22. *Instrumentum et supellectilem rusticam omnem oportet habere scriptam in urbe, et rure dominum.* Cerda.

166 *Arbuteæ crates*] Ex arbuto factæ. *Servius.*

Mystica vannus Iacchi] Id est, cribrum areale. Legimus tamen et *vallus*, secundum Varronem: *Hunc fisticula Pollio mysta vallus:* quod idem nihilominus significat. *Mystica* autem Iacchi ideo ait, quod Liberi patris sacra, ad purgationem animæ pertinebant: et sic homines ejus mysteriis purgabantur, sicut vannis frumenta purgantur. Hinc est, quod dicitur Osiridis membra, a Typhone dilaniata, Isis cribro superposuisse. nam idem est Liber pater, in cujus mysteriis vannus est: quia, ut diximus, animas purgat. Unde Liber ab eo, quod liberet, dictus, quem Orpheus a gigantibus dicit esse discerptum. Nonnulli Liberum patrem apud Græcos λικνίτην dici adserunt, vallus autem apud eos λίκνον nuncupatur, ubi de more positus esse dicitur, postquam est utero matris editus. Alii mysticam sic accipiunt, ut vannum vas vimineum latum dicant, in quod ipsi propter capacitatem congerere rustici primitias frugum soleant, et Libero et Liberæ sacrum facere. Inde mystica. *Servius.*

Et mystica vannus Iacchi] Vannus est vas vimineum latum, in quod propter capacitatem rustici congerere frugum primitias solent, et Libero sacrum facere. Unde mystica dixit: est autem usus ejus, ut fabam vannat. *Philargyr.*

Mystica vannus Iacchi] Vannus, cribrum Cereale, sive ventilabrum, quo frumenti retrimenta ad ventulum excutiuntur et evannantur. J. Philarg. *Vannus* (inquit) est vas vimineum latum, in quod propter capacitatem rustici congerere frugum primitias solent, et Libero sacrum facere: unde *mystica* dicitur. Alii ex eo, quod Isis fratrem *Osirin*, i. Bacchum, a Typhone fratre in frusta quinque et viginti discerptum, vanno collegit, i. cribro, ut hac de caussa forte adhibita sit vannus in mysticis et arcanis et Bacchi sacris. Observat et P. Victorius ad Varr. vannum in sacris Liberi habitam; Græcis λίκνον sive λίκμον: et μυστικὰ λίκνα apud Plutarch. in Alex. et λικνοφόρος legitur. Pierius monet in Cod. Rom. legi *mustica*. unde quidam hic vannum musteam intellexerunt, per quam vinum percolaretur; quod alias et per saccum fiebat; unde vinum *saccatum*, οἶνος σακκιζόμενος Theophrasto, et σακκίας Polluci. Unde Plinius *Vinum sacco castrare:* et *sacco frangere*, Nebrissens. dixit. Sed cum de vino hic nihildum agatur, et vox *mustica* barbariam oleat, altera lectio castior teneatur. *Taubmann.*

167 *Omnia quæ multo ante memor*] Bene non vult rusticum tunc quærere, quæ dixit, dicturusve est, cum jam opus sint. *Servius.*

Omnia quæ multo ante memor] Sumptum ex Hesiod. ἔργ. II. 420. τῆμος ἄρ' ὑλοτομεῖν μεμνημένος ὥριον ἔργον: *Tum ligna secato memor tempestivi operis.* Notarunt multi. Addo significatio-

rem locum ejusdem in eodem libro: Τῶν πρόσθεν μελέτην ἐχέμεν οἰκήια θέσθαι. *Horum ante curam habere oportet, domi reponendo.* Pari præcepto Columel. I. 8. *Exhortandus est* (villicus) *ad instrumentorum ferramentorumque curam, ut duplicia, quam servorum numerus exigit, refecta, et reposita custodiat, ne quid a vicino petendum sit.* Cerda.

Ante memor provisa repones] Antequam agriculturam exerceas, ante præparabis hæc omnia, quæ in illius rei sunt usum necessaria. *Servius.*

Provisa] Id est, præparata. *Idem.*

Provisa] Præparata. Horat. Ep. I. 18. *Sit bona librorum et provisæ frugis in annum Copia.* Taubmann.

Repones] Recondes, et salva custodies. *Servius.*

Provisa repones] In Mediceo cod. *reponas* per modum imperandi. *Pierius.*

168 *Si te digna manet d. g. r.*] Id est, si te capit dignitas ruris, vel agri colendi gloria. *Servius.*

Manet] Expectat. *Servius.*

Divini gloria ruris] Id est, si tu gloriam divini ruris vis adipisci: aut si id tibi concessum est cælitus, ut gloriam ruris habeas. *Idem.*

Divini] A diis conditi: vel quia terra dea dicitur. *Idem.*

169 *Continuo*] Principio, statim, aut priusquam agriculturam cœperis. *Id.*

Vi] Virtute. *Idem.*

Domatur] Usui servire cogitur. *Idem.*

170 *Formam*] Modum. *Idem.*

In burim] In curvaturam, nam *buris* est curvamentum aratri, dictum quasi βοὸς οὐρὰ, quod sit in similitudinem caudæ bovis. Alii burim curvaturam temonis quæ supra est, et quod est infra, urvum dicunt; buris enim ut curvetur, ante igni domatur et amburitur; unde et quæ naturaliter inveniuntur curvæ, ita dicuntur. Varro ait, *Totum burim indici ab urbe.* Idem.

Burim] De ramo ulmi hic sermo est, qui natura sua incurvus, cura rustici magis magisque inflectitur, ut jam satis inflexus, ad burim aptus existat. Buris solet esse duplex, vel quæ suopte ingenio est curva, quæ ex uno ligno conficiebatur, Græce αὐτόγυον ἄροτρον, cui opponitur ἄροτρον πηκτὸν, quæ buris est clavis affixa temoni et dentali. Utriusque meminit Hesiodus ἔργ. 433. quem locum errore gravissimo vindicavit vindex interiorum litterarum unus omnium, qui hac nostra memoria maxime floret, Joannes Georgius Grævius, in lect. Hesiod. p. 54. *Emmeness.*

In burim] *Buris*, pars aratri curva, quæ, ut curvari possit, ante præuritur. *Philargyrius.*

In burim] *Buris*, quæ et *Bura* Varroni, ἔλυμα Gr. curvamentum est aratri, quod et vomerem excipit, dictum Servio quasi βοὸς οὐρὰ, quod sit in similitudinem caudæ bovis. Vel, ut Turneb. XXII. 30. annotat, *Bura*, temo est ille oblongus aratri, qui et inter boves est protensus. Vocatur et *curvum* et *urvum*; ἀνδάτιμον. Pflugstertz, Geitzen. *Taubmann.*

Ulmus] Quæ rigorem fortissime servat. Plin. XVI. 40. *Idem.*

171 *Huic*] Id est, aratro scilicet. *Servius.*

A stirpe] A radice, vel ima summitate. *Idem.*

Temo] Ad quem ligantur, vel junguntur boves. *Idem.*

Temo] Lignum, quod ad jugum inter equos vel boves excurrit. Deichsel. *Taubmann.*

Pedes protentus in octo] Subaudi aptatur. *Servius.*

172 *Binæ*] Duæ, quibus latior sulcus efficiatur. *Idem.*

Duplici aptantur dentalia dorso] *Dentale* est lignum, in quod vomer inducitur. *Idem.*

Duplici dorso] Aut lato; ut Ge. III. 87. *At duplex agitur per lumbos spina*: aut re vera *duplici*, cujus utrunque eminet latus. Nam fere hujusmodi sunt omnes vomeres in Italia. *Idem.*

173 *Jugo*] Id est, ad jugum. *Idem.*

Leve. Idem levis, ne boves laborent. *Idem.*

174 *Stivæ*] Manica aratri, qua regitur gubernaculum. *Cicero* in Scauriana, *Ab stiva ipsa mecum homines colloquebantur.* Idem.

Stivæ] Manica aratri, qua regitur: ἐχέτλη. Hesiodus A. non e tilia, aut fago, sed e lauro, vel ulmo stivam probat. *Taubmann.*

Currus imos] *Currus* autem dixit, propter morem provinciæ suæ, in qua aratra habent rotas, quibus juvantur. *Servius.*

A tergo] Post tergum. *Idem.*

Torqueat] Vertat. *Idem.*

175 *Suspensa focis exploret robora fumus*] Probatæ enim soliditatis sunt ligna, si in fumo minime rimas effecerint, namque ad exudandum fumum adhibita, si rimas faciunt et scissuras, mala sunt et infirma. Totus autem hic locus de aratro Hesiodi est. τῆμος δ' ὑλοτομεῖν μεμνημένος ὥριον ἔργον, Ὅλμον μὲν τριπόδην τάμνειν, ὕπερον δὲ τρίπηχυν, Ἄξονα δ' ἑπταπόδην. *Idem.*

Explorat robora fumus] Sic in Romano codice et in Oblongo vetustissimo legitur. Alii *exploret*, quæ tamen lectio non rejicitur. *Pierius.*

Explorat robora fumus] Non tantum ad probandum, sed ad indurandum lignum, in fumo suspendebatur, quemadmodum apud Hesiod. in ἔργ. 405. et 627. πηδάλιον, clavus navis, confecta navigatione, ne putredine conficeretur. Ad quem locum vide Cl. Græcium. *Emmeness.*

176 *Possum multa tibi veterum*] Doctrinam suam commendat; *veterum* autem, ut Hesiodi, qui primus de agricultura scripsit, aut aliorum antiquorum: *tibi* autem, id est, o Mecænas, inquit; vel o agricola, hoc est enim *tibi.* *Servius.*

Veterum] Varro I. 1. Rei rusticæ Scriptores plus quinquaginta recenset, Græcos omnes, aut in Græcam linguam conversos. [illegible] licet Latini. *Taubmann.*

177 *Ni refugis*] Quia alibi ait, *sordida rura*; vel quia post dicturus est de minoribus animalibus. *Servius.*

Tenuisque piget cognoscere curas] *Tenues*, modicas; et potest hoc ex affectu alterius dictum accipi. Nisi grave tibi sit. *Idem.*

Tenuis] Leves. *Idem.*

Piget] Pigrum est. *Idem.*

Tenuisque piget cognoscere curas] In Oblongo cod. *causas* habetur. *Pier.*

178 *Area cum primis*] In primis. *Servius.*

Area, &c.] *Area granis terendis ubi fiat*, docuit Cato de re rust. cap. 91. et 129. Varro I. 51. Columella II. 20. Pallad. VII. 1. et I. 36. Notat autem Servius in hac areæ descriptione ὑστερολογίαν: cum primum terra vertatur; deinde solidetur; postmodum æquetur. Et Plinius XVIII. 29. hanc Virgilii rationem operosiorem prædicat. *Taubmann.*

Ingenti æquanda cylindro, Et vertenda, &c.] Hæc per Hysteron proteron posuit, prius enim est, ut manu terra vertatur: deinde solidetur glarea; postremo æquetur *cylindro*, id est, lapide tereti, in modum columnæ, qui a volubilitate nomen accepit: κυλινδεῖν enim est vertere. Sane area locus est vacuus, aut natura, aut studio factus, ne quid inde edi nascive possit, quasi qui exaruerit. *Cum primum* autem, id est, interea, quod maxime necessarium est, vel inter prima opera et officia. *Servius.*

Area cum primis ingenti æquanda cylindro] In Mediceo cod. et plerisque aliis versus is ita legitur, absque *est.* Vide vero apud A. Gell. XVII. 21. 'sicut *cum primis*, pro *inprimis* dicebant.' Ad hæc Charisius solœcismum esse transmutatione qualitatis in præpositionibus ait, ut in hoc versu, ubi *cum primis*, pro *quom in primis* positum sit. *Pierius.*

Area cum primis, &c.] Fatentur doc-

ti omnes, Poëtæ verba sumta ex Catonis sententia l. rei rust. c. 129. *Aream, ubi frumentum teratur, sic facies. Confodiatur minute terra, et amurca bene conspergatur, ut combibat quamplurimum. Ubi bene comminuta terra fuerit, et amurcam combiberit, cylindro, aut pavicula, coæquato. Ubi coæquata fuerit, neque formicæ molestæ erunt; et, cum pluet, lutum non erit.* In vulgaribus fœdata hæc sunt. Alios hic prætermitto, ut ex quibus non hausta Virgilii sententia. Tu lege Varronem l. I. rei rust. c. 51. Colum. I. 6. Palladium I. 36. et VII. 1. *Cerda.*

Area cum primis ingenti æquanda cylindro, &c.] Juxta Isidorum origin. XX. 14. *Cylindrus lapis est teres in modum columnæ, qui ἀπὸ τοῦ κυλινδεῖν.* hujus meminit Colum. l. X. *Ozyma comprimite et gravibus densate cylindris.* Non tantum agri, areæ æquabantur et solidabantur cylindro, sed exæquabantur etiam ambulationes in palæstris, teste Vitruvio X. 6. De cylindris, pretiosis lapidibus, Plin. XXXVII. 5. et 8. Nec non Juven. II. 61. *Tu nube, atque tace: donant arcana cylindros.* Emmeness.

179 *Et vertenda manu*] Ante vertenda manu, et sic æquanda, *cum primis* autem, inter prima. *Philargyrius.*

Creta solidanda] M. Varro I. 51. hanc soliditatem quærit ex pavicula, et lapidibus, ait enim: *aream oportet esse solida terra pavitam.* Et post aliqua: *Quidam, aream ut habeant solidam, muniunt lapide, aut etiam faciunt pavimentum.* Et Colum. I. 6. *Eaque optima est, scilicet, constrata, quod et celeriter frumenta deteruntur.* Addit plures alias rationes. Palladius quoque I. 36. *Sit autem vel strata silice, vel saxo montis excisa, vel sub ipso trituræ tempore ungulis pecorum, et aquæ admistione solidata.* Vide eundem VII. 1. Addam hic conjecturam meam, si quis probat. Dicit Poëta aream solidandam esse creta. Quid si per cretam intelligat amurcam? vel cretam amurca temperatam? ita ut non tam cretam capiat, quam quicquid cretosum est, et conglutinans. Ducor in hanc mentem, quia M. Cato, et M. Varro, qui Poëtam præcesserunt, amurcam ad hanc rem adhibent: a quibus cur recedat ratione nulla? Catonem jam dedi. Varronis verba sunt I. 51. *Itaque amurca solent perfundere: ea enim herbarum est inimica, et formicarum; et talparum venenum.* Quæ verba mihi videtur Poëta habuisse ante oculos, nam easdem pestes intulit. Plin. quoque XV. 8. *Amurca subigi areas terendis messibus, ut formicæ rimæque absint.* Palladius etiam VII. 1. *area amurca æquatur insulsa; quæ res a muribus et formicis frumenta defendit.* Deinde Plin. XVIII. 29. ita ait: *Aream ad messem creta præparare Catonis sententia amurca temperata.* Atqui Cato cretam non nominat, tantum amurcam: sed explicator Plinius ait ex Catonis sententia cretam et amurcam temperandam. *Cerda.*

180 *Subeant*] Succedant, enascantur. *Servius.*

Neu pulvere victa fatiscat] Hypallage est, pro ne victa fatiscat in pulverem: id est, dissolvatur; *fatiscat* autem significat adfatim hiscat. *Idem.*

Fatiscat] *Fatiscat*, solvatur. et *pulvere* pro siccitate. *Philargyrius.*

181 *Tum*] Id est, etiam. *Servius.*

Variæ illudunt pestes] Per ludum nocent, quasi ludendo et sine labore sæviant. *Idem.*

Tum variæ inludant pestes] Sic in Romano codice, et aliquot aliis antiquis habetur: quanquam non displicet *inludunt*, ut vertatur alio sermo. *Pierius.*

Sæpe exiguus mus] Nitela, mus agrestis robeus: cujus Cicero meminit in Sestiana. Et quia hic Virgilius vilium animalium mentionem facit, inde præmisit: *Ni refugis tenuisque piget cognoscere curas.* Dicendo autem *exiguus mus*, multum ex ipsa deminutione nominis et numeri singularis

enunciatione addidit dignitatis: risus enim est quidam Poëta, qui ait, *Prætextam in cista mures rosere Camilli.* Servius.

Exiguus mus] Arnobius l. I. *a locustis, a muribus genus omne occiditur, atque arroditur frugum.* Iterum: *Si in Asia, Syria, idcirco mures et locustas effervescere prodigialiter voluerunt, quod, &c.* Sed quæ hæc bestiola? Servius accipit genus quoddam muris agrestis, quem vocant nitelam, aut nitedulam, invitatus verbis Ciceronis in Sestiana, quæ ipse non affert: sunt vero hæc: *Quoniam id etiam fatum civitatis fuit, ut illa ex vepreculis extracta nitedula remp. conaretur arrodere.* Alii vulgares mures, et sorices malunt. Certe Quintil. VIII. 3. et Virgilium miratur, qui versum absolvit apte nimis ad exiguitatem muris versu ipso exprimendam: et ait Horatium ad exemplar Virgilii suum finivisse: *nascetur ridiculus mus.* Arnobius quoque l. VI. *fugacibus, paridis, atque exiguis muribus.* Cerda.

182 *Posuitque domos atque horrea fecit*] Ultra meritum rei locutus est. *Servius.*

Posuitque domos] In Longobardico codice *domus* est, ut quartæ sit declinationis, quod etiam apud oratores habetur, ut in veteri codice Liviano l. III. primæ decadis, ubi de Quinctii triumpho epulæ institutæ dicuntur, ante omnium domus. *Pierius.*

Domos] Sic et Græci ferarum latibula vocant δόμους. Exempla in multis. Nunc occurrit Oppian. qui Cyn. l. III. id nomen attribuit latibulo vulpis. *Cerda.*

Domos] Phædro familiare vocabulum, pro recessu ferarum: II. 7. de testudine: *Quæ cum abdidisset cornea corpus domo.* IV. 23. de formica: *Me copiosa recipit incolumem domus.* Similiter etiam pro ventorum receptaculo, ut noster libro primo Æn. 143. *Tenet ille immania saxa Vestras Eure domos.* Alias significationes prætereo. *Em.*

183 *Aut oculis capti fodere cubilia talpæ*] Hoc est, oculis debiles et mutæ. cum enim talpæ cæci nascantur, quomodo capti oculis? illi enim capti dicuntur, qui aliquando viderunt. Et mutavit genus: nam hæc talpa dicitur. sicut etiam de damis fecit: ut, *Et timidi venient ad pocula damæ.* Serv.

Oculis capti talpæ] Plin. XI. 37. *talpis visus non est.* et XXX. 3. *talpas damnatas cæcitate perpetua.* Oppian. Cyn. l. II. versu extremo talparum genus vocat ἀλαόν, *cæcum.* et supra ἀσπαλάκων ἀλαῶν, *talparum cæcorum.* Poëta signate *captos oculis* dixit. Nam capti oculis, auribus, lingua dicuntur, qui vere habent membra illa, sed non usum. De talpis ita Plin. adducto priore loco: *talpis oculorum effigies inest, si quis prætentam detrahat membranam.* Quod sumsit ab Arist. de anim. III. 1. φαίνεται γὰρ ἡ ἀσπάλαξ ὑπὸ τὸ δέρμα ἔχουσα τοὺς ὀφθαλμούς: *Videtur enim talpa habere oculos sub pellicula.* et hist. anim. I. 9. ἀφαιρεθέντος δὲ τοῦ δέρματος, ἔχει τήν τε χώραν τῶν ὀμμάτων, καὶ τῶν ὀφθαλμῶν τὰ μέλανα κατὰ τὸν τόπον. *detracta prætenta membrana, locus oculorum apparet, et pars nigra eorundem.* Et IV. 8. idem repetit additque inesse talpis partes omnes, quibus integri oculi constant. Simplicius quoque philosophus non credit talpam carere vi visiva, neque ejus actu, sed videre, veluti per pelles quasdam, sicut nos, cum clausis etiam palpebris, aliquid lucis sentimus. Itaque vident, sed obscure, propter imbecillitatem, sicuti qui noctu depascuntur. Sed quid *captus oculis* significet, Victorius docet XXXIV. 14. Hujusmodi corpora πηρώματα vocat Arist. de Anim. II. 4. et III. 1. πεπηρωμένα καὶ ἀτελῆ. *Cerda.*

Fodere cubilia] Quia semper defossæ vivunt. Plin. IX. 7. *Argumento animalium, quæ semper defossa vivunt, ceu talpa.* Et XXX. 3. *Defossas sepultisque similes.* Et X. 69. *Obrutæ terra.* De talpis opportuna sunt verba Theophylacti in epist. quam ipse scrip-

tam a rustico homine confingit, ubi ait: τὶ δῆτα περὶ τῶν ἀσπαλάκων λέξαιμι; φοβερὸν γὰρ τῷ γεωργῷ τὸ κακὸν, καὶ δυσανταγώνιστον τὸ πολέμιον; *De talpis quid dicam? malum hoc formidabile est agricolæ, et genus hostium difficile expugnatu.* Advocat verba hæc Victor. in notis ad Varronem. *Idem.*

Cubilia] Non tantum hominum lectuli, sed et ferarum, et aliarum bestiarum habitacula, sive lustra, ita nominantur. Cic. de nat. Deor. II. 49. *Ut bestiæ in cubilibus delitescunt, gallinæ avesque reliquæ cubilia sibi nidosque construunt.* Apud Phædrum nihil frequentius I. 20. de cane: *flagitare validius cubile cœpit.* II. 5. *Direpit ad cubile setosæ suis.* IV. 19. *Vulpis cubile fodiens.* Emmeness.

184 *Inventusque cavis bufo*] *Inventus*, pro qui invenitur. et *cavis* hic pro principali positum. Aliter enim, *Insonuere cavæ gemitumque dedere cavernæ.* Servius.

Cavis] Cavernis et locis cavatis. *Id.*

Cavis] *Cavus*, vel *cavum* caverna est, sive locus excavatus; κοῖλα τῆς γῆς Aristoteli, *cava terræ.* In ea notione utitur hac voce Phædrus frequenter II. 5. *Dolosa tuto condidit sese cavo.* III. 17. *Noctua egressa cavo.* Emmen.

Bufo] Rana terrestris, nimiæ magnitudinis. *Servius.*

Bufo] Ranam turpem nominat Horat. epod. v. Hæc corpore est maxima et nocentissima, et quia sæpe moratur in vepribus et rubis, *rubeta* Latine, Græce φρύνος, vocatur. plena est veneficiorum. Mira de hac rana, ubi eam describit Plin. XXXII. 5. *Emmeness.*

185 *Monstra*] Id est, et alia purgamenta terrarum. *Servius.*

Ferunt] Gignunt. *Idem.*

Populatque] Veteres *populo, munero, aucupo, lucto* dicebant; nos addita *r* littera pronunciamus. *Idem.*

Populatque] In Mediceo codice, non habebatur *que* particula, quæ superne addita est aliena manu. Ante vero *populat*, punctum est, quod periodum claudit. *Pierius.*

Populatque] Ita Æn. VI. *populatuque tempora raptis Auribus*, dixit. Scalig. IV. 16. Ita Ovidius Met. XIV. tm. 6. *comitat vestigia*, pro *comitatur.* Taub.

Farris] Frumenti. Et hic speciale posuit pro generali. nam non solum far, sed etiam alias fruges et segetes, hæc monstra, vel vermes populantur. *Servius.*

186 *Curculio*] Varro ait hoc nomen per Antistichon dictum, quasi gurgulio, quoniam pene nihil est nisi guttur. *Idem.*

Curculio] Scribendum per *c*, *curculio*, licet *g* audiatur: ut in Cajeta, Cajo, et aliquot aliis. *Pierius.*

Inopi metuens formica senectæ] Senectus semper alienum requirit auxilium: nam *inopi*, non tantum ad formicam pertinet, sed generale est epitheton senectutis: vel ne inops in senectute sit, et hoc juxta opinionem poëticam dixit. *Servius.*

Formica] De eadem Horat. Sat. I. 1.

—— *haud ignara ac non incauta futuri.*

Taubmann.

Formica] Quantopere formica de futuris sit sollicita, Phædri fabula exponit IV. 23. ubi illa sic: *ego granum in hiemem cum studiose congrego.* Insignis est locus Horat. Sat. I. 1. 33.

—— *Sicut*
Parvula, nam exemplo est, magni formica laboris,
Ore trahit quodcunque potest, atque addit acervo,
Quem struit, haud ignara, ac non incauta futuri.
Quæ simul inversum contristat Aquarius annum,
Non usquam prorepit, et illis utitur ante
Quæsitis sapiens.

Emmeness.

187 *Contemplator item*] Prognosticon est anni futuri fertilis, vel infœcundi. *Contemplator* autem impera-

tivi modi tempus est: futurum pro præsenti, *Contemplare*, ut, alibi, *Contemplator aquas dulces.* Terentius, *Loquitor paucula*, pro loquere, ita contemplare. *Servius.*

Contemplator item] De amygdalo hoc interpretantur optimi interpretes. Luculentus est locus Theophylacti in naturalibus problem. c. 17. qui amygdalum *εὐετηρίας τεκμήριον μέγιστον, ἄγγελον* appellat. *Emmeness.*

Nux plurima] Id est, longa; significat autem amygdalum: sed hoc Græcum est τὸ ἀμύγδαλον, τὰ ἀμύγδαλα. Et plurima, sicut *plurima cervix*, et *qui plurimus urbi imminet.* Servius.

Silvis] Quidam pro arboribus accipiunt, ut, *pomaque et Alcinoi silvæ*; et alibi, *Silvarumque aliæ pressos propaginis arcus.* Idem.

188 *Induet in florem*] Id est, Cum flos induet nucem, id est, vestiet. In florem se effundet. Figurate hoc dixit. Et bene elegit arborem, quæ foliis prima vestitur. *Idem.*

Ramos curvabit olentis] Multitudine et densitate foliorum. *Idem.*

Olentis] Odoriferos. *Idem.*

189 *Si superant fœtus*] Id est, si flores in fructus vertantur, et si ipsi crescunt et abundent. nam proprie *superant*, abundant est. *Idem.*

Si superant fœtus] Si flores, aut nuces abundant. Sensus loci est: si fructus plures fuerint, quam folia, argumentum id erit fertilissimæ trituræ: sin plura fuerint folia, signum erit sterilitatis. Bene autem elegit *amygdalum*, quæ arbor primum omnium floret. *Taubm.*

Pariter frumenta sequentur] Et frumenta copiosa provenient. *Servius.*

Pariter] Hic pro similiter antique dixit, ut Plautus in Aulularia, *Pariter moratus, ut pater, avusque ejus fuit*, hoc est, ὁμοίως. *Idem.*

190 *Magnaque cum magno veniet tritura calore*] Aut æstus nimios futuros significat, cum abundantia frugum. Aut certe per calorem, festinationem operis significat: ut alibi, *Fervet opus.* Idem.

191 *Luxuria foliorum exuberat*] Superabundat, et amplior est. *Idem.*

Luxuria foliorum exuberat] In Mediceo codice, *exuberet* conjunctivo modo legitur. In Romano codice *luxuriæ*, quod ego prius fuisse crediderim *luxurie*: a nominativo luxuries. Plinius Secundus sermonis dubii libro sexto, ut apud Carisium legimus, in iis, quæ recitat ex Caji Julii analogia, 'Amicicies, ut planicies (inquit), luxuries, mollicies, et similia: veteri dignitate: cæterum rationis via debet amicicia dici.' In reliquis sane codicibus *luxuria* legitur. *Pierius.*

Luxuria foliorum] Græce φυλλομανία, quod a φυλλομανέω foliis lascivio. v. Gaz. VIII. 7. *Emmeness.*

Umbra] Pro fronde, ut alibi, *Ingentem sustinet umbram:* ut ostendat eo anno, pro copia frugum, festinatam et studiosam trituram futuram. *Servius.*

192 *Nequicquam pinguis palea teret area culmos*] Non pinguis, id est, sine frugibus: ut alibi, *Nequicquam seros exercet noctua cantus*, id est, non. Et notandum, paleam dictam numero singulari, contra artem. nam ea, quæ ex pluribus constant, numeri sunt tantum pluralis, secundum artem: ut cancelli, bigæ, scopæ: licet abutantur Poëtæ. Pinguis sane, et quamvis pinguis potest accipi; *area* vero pro in area. *Idem.*

Nequicquam pinguis] Non pinguis: fruge cassas. ut v. 403. *Nequicquam exercet cantus:* pro, *Non:* ut Servio placet. Q. d. plus erit tum palearum, quam granorum. Alii *Nequicquam teret*, conjungunt: et exp. *frustra teret.* Servius *palea* ablat. hic agnoscit: quasi, *ex palea.* immo et Philargyrius *paleâ* præfert: q. d. culmos palea, non frumento, pingues. *Taubm.*

Palea teret] In Romano codice: *palea terit* legitur, et *palea* ablativum agnoscit Servius. *Pierius.*

Teret area culmos] Hanc pluralia

imitati sunt Tibul. I. 5. *Area dum messes sole calente teret.* Seneca in Thyeste: *Non quicquid Libycis terit Fervens area messibus.* Mart. IX. 92. *Messes area cum teret crepitantes, Et fulvi juba saeviet leonis.* Sic legendum in Martiali, non *ferit.* Poëta ipse infra: *tostas aestu terit area fruges.* Omisi Julium Firmicum c. 3. et Cyprianum de mortalitate, qui usi eadem locutione, et Papinium Sylva III. *Cerda.*

193 *Semina vidi equidem multos medicare serentes*] Incipit dicere de medicandis leguminibus, quemadmodum et majora fiant, et modico igni solvantur. Bene autem ait: *Equidem*, quod multi pro ego accipiunt, id est, ego quidem, ut a præjudicio inchoaret. Nam hoc dicit, Equidem hæc vidi fieri: sed sic quoque legumina degenerant, nisi singulis quibusque annis hoc fiat. Inde enim est, *Sic omnia fatis In pejus ruere ac retro sublapsa referri.* Servius.

Medicare] Antique dixit, nam majores *medico* et *medicor* dicebant: ut *populo* et *populor*: quæ verba modo ab utraque significatione tantum passivæ sunt declinationis. Sed ut *medicare* diceret pro medicari, metri necessitas fecit. Sane *medicor* accusativum regit, ut medicor illam rem: *medeor* vero illi rei dicimus: nam medeor illam rem, figuratum est. *Idem.*

Serentes] Aut saturos, aut serere volentes; ut, *et terruit Auster euntes:* vel *serentes*, serere incipientes. *Idem.*

Semina vidi equidem, &c.] Explicui de faba, nam Plin. XVIII. 17. *Virgilius nitro et amurca perfundi jubet fabam: sic etiam grandescere promittit.* et Colum. II. 10. loquens de faba: *Priscis rusticis, nec minus Virgilio, prius amurca vel nitro macerari eam, et ita seri, placuit.* Extendit tamen idem III. 10. præceptum hoc non tantum ad legumina, sed ad totam agricolationis rationem. *Cerda.*

194 *Et nitro prius*] *Nitrum* ex aqua in modum salis coalescit, et ad Solem liquescit: quod aptum est ad lavandum. *Servius.*

Nitro] *Nitrum* Germania nostra non agnoscit: sed pro eo *salem petræ* adhibet. Vide Plin. XXXI. 10. et Junii Nomenclatorem. *Taubm.*

Et nigra perfundere amurca] Olei sordibus, sed his, quæ præcedunt. nam sordes, quæ sequuntur oleum, feces vocantur. Et amurca, per *c* scribitur, et per *g* pronunciatur. ut *c* Gajus. *cn* Gneus. Et *perfundere*, pro vidi perfundentes. *Servius.*

Amurca] Est amurca fraces ipsæ, et retrimenta olivarum. *Fraces* usurpat Vitruv. l. VII. *Retrimenta* Plinius. Alii explicant, sedimentum, saniem, sordes, feces olei. Græci ἀμόργην dicunt, et inde ἀμοργὸν, quem Latini Factorem olei. Fuit etiam ἀμοργὸς una ex Cycladibus olei feracissima. Ab hoc præcepto Virgilii non abit illud Columell. II. 9. *Alii amurca insulsa, cum cœpit infestari seges, perfundunt sulcos, et ita noxia animalia submovent.* Cerda.

Amurca] Facit ad stercorandam segetem. Cato de re rust. c. 36. *Amurcam spargas vel irriges ad arborem.* et quomodo sit colligenda c. 66. quomodo conservanda, Varro I. 64. Laudat eam Colum. II. 15. *Potest et vetus amurca, quæ salem non habet, permista huic commode frugiferas arbores, et præcipue oleas, rigare.* Idem V. 8. *Amurca valentibus infundenda est, nam per hiemem si vermes atque alia subeunt animalia, hoc medicamento necantur.* Emmeness.

195 *Grandior ut fœtus*] Id est, majora grana. *Servius.*

Grandior ut fœtus] Plin. etiam et Columel. de fabis, prior XVIII. 17. posterior II. 12. *grandescere.* Cerda.

Siliquis fallacibus] Quæ fallere plerunque consuerunt. Interdum enim leguminum folliculi cum inanes sint, majores videntur. *Servius.*

Siliquis] V. vs. 74. Plin. (ut et

Erythr.) hunc locum de *fabis* interpretatur, XVIII. 17. *Taubmann.*

Fallacibus] Leguminum enim folliculi fertiles interdum apparent, cum sint inanes, aut certe tenuiora grana contineant. *Idem.*

196 *Exiguo*] Modico. *Servius.*

Properata maderent] Festinanter coquerentur. *Idem.*

Properata] Ad Poëtam damnantem hic nimiam festinationem annectenda verba Plinii XVIII. 24. *Sunt, qui properent, atque ita pronuntient festinantem sementem sæpe decipere.* Cerda.

Maderent] Antique, pro cocta essent, et cito. *Servius.*

Maderent] Hoc verbum pro, coqui, usurpasse veteres docent Turn. XVIII. 15. et Dusa in Arbitrum: et cum multis probant, tum imprimis hoc Virgiliano versu. Plaut. in Pers. *Collyræ facite madeant, et coliphia.* in Menæch. *Jam ego hæc madebunt faxo, nil morabitur.* Inde in eadem comœdia *madida* sunt cocta. et in Martial. *cicer madidum*, est coctum, vel frictum, lege Dusam. Rationem Turneb. adhibet: *quæ cocta sunt,* inquit, *tenerescere et madescere solent.* Cer.

197 *Lecta*] Id est, cum labore electa. *Servius.*

Vidi lecta diu] Aliqui legunt: *Vidi ego lecta diu.* in his Colum. II. 9. et Jul. Scaliger Poët. III. 27. qui et firmat exemplis aliis Virgilianis. *Cerda.*

Spectata] Probata: ut, *Et rebus spectata juventus.* Servius.

Spectata] Frequenter apud Ter. *spectare* pro probare. in prol. An. vs. ult. *Spectandæ an exigendæ sint vobis prius.* Id est, probandæ, ut Donatus. Sic etiam in An. I. 1. 64. *Enimvero spectatum satis putabam et magnum exemplum continentiæ.* Et in eadem fab. V. 1. 1. *Satis jam, satis, Simo, spectata erga te amicitia est mea.* Just. I. 1. *Spectata inter bonos moderatio.* Et quoties non apud optimos? *Em.*

198 *Degenerare tamen*] Cum ex bonis fuerint seminibus, mala effici et prava. Tamen in nascendo degenerare; ut sequatur, si lecta et probata degenerant; quid, si non legas? *Degenerare tamen*, ἀνακόλουθον. nam cum non proposuerit quam lecta et spectata, vel quamquam, vel licet, intulit *tamen.* Servius.

Degenerare] Ad hæc verba Virgilii vide Colum. II. 9. *Nam id plurimum prodest, quia quamvis celerius locis humidis, tamen etiam siccis, frumenta degenerant, nisi cura talis adhibeatur. Neque enim dubium est, ex robusto semine posse fieri non robustum: quod vero protinus exile natum sit, nunquam robur accipere manifestum est. Ideoque Virgilius, &c.* Emmeness.

Ni vis humana] Possibilitas. Sallustius, *Sed nostra omnis vis in animo et corpore sita est.* Aut certe multitudo. Tamen verius est, et melius, quod ait, *Vis*, quasi violentia sit in rebus, quæ contra naturam vertuntur in melius. Sic enim et Donatus sensit, dicens: *Nisi violentia fiat naturæ, omnia in deterius cadunt*: violentiam fieri naturæ, omnia in deterius commutantis. Et hoc est quod ait, *Labor omnia vincit Improbus.* Servius.

Ni vis humana quotannis] Hoc et Lucretii libro V. sumptum esse nemini opinor igotum. *Quod superest arvi tamen id natura suavi Sentibus abducat, ni vis humana resistat.* Ursin.

199 *Manu legeret*] Hinc quidam volunt dictum *legumen.* Servius.

Maxima quæque legeret] Consulendum futuro semini, monet Varro de r. r. V. 52. *Quæ seges grandissima atque optima fuerit, seorsum in area secerni oportet spicas, ut semen optimum habeat.* Colum. II. 9. *Illud deinceps præcipiendum habeo, ut demissis segetibus, jam in area futuro semini consulamus. Nam quod ait Celsus, ubi mediocris fructus optimam quamque spicam legere oportet, separatimque ex ea semen reponere: cum rursus amplior messis provenerit, quicquid exteretur, capisterio expurgandum erit, et semper quod prop-

ter magnitudinem et pondus in imo subsederit ad semen reservandum. Emm.

Sic omnia fatis In pejus ruere] Ab argumento adeo omnia in pejus quotidie recidunt. *Ruere* autem figurate, pro ruunt. *Servius.*

Sic omnia fatis In pejus ruere] Metaphora desumpta a fluminibus, quali Noster utitur Æn. II. 169. *Ex illo fluere, et retro sublapsa referri Spes Danaum.* Quod deteriora fiant omnia, et talia sequantur sæcula, quæ ob multiplicata generis humani scelera nomen amplius sortiri nequeunt, testatur Juven. XIII. 28. *Nona ætas agitur, pejoraque sæcula ferri Temporibus: quorum sceleri non invenit ipsa Nomen, et a nullo posuit natura metallo.* Et sat. III. 23. *Res hodie minor est, here quam fuit, atque eadem cras Deteret exiguis aliquid.* Idem Horat. Od. III. 6. 45. *Damnosa quid non imminuit dies? Ætas parentum pejor avis, tulit Nos nequiores, mox daturos Progeniem vitiosiorem.* Locum hunc Virgilii etiam spectasse videtur Seneca in Thyest. vs. 133. *Neu succedat avo deterior nepos, Et major placeat culpa minoribus.* Ampliorem disputationem hac de re, si quis desideret, consulat Ant. Muret. IV. 15. *Emmeness.*

200 *Ac retro sublapsa referri*] Pro sublabi et referri; et videtur bis idem dixisse. *Servius.*

201 *Non aliter, quam qui adverso flumine lembum*] Ostendere vult usque ad perfectionem laborari debere, nec tantum laborem procedere, quantum levem remissionem in deterius cuncta deducere. *Idem.*

Adverso flumine] Contra vim et cursum fluminis. *Idem.*

Lembum] Genus naviculæ admodum breve. *Idem.*

Lembum] Etymologus Sylburgii: λέμβος, τὸ ἐφόλκιον παρὰ τὸ λίαν βαίνειν, ὅ ἐστι πορεύεσθαι διὰ σμικρότητα. Hesych. λέμβος, τὸ μικρὸν πλοιάριον, τὸ ἐφόλκιον, καὶ οἱ ἐφολκίοι πλέοντες. Pro *lembus* Isidorus orig. XIX. 1. dicit: *limbus: Limbus navicula brevis, quæ alia appellatione dicitur et cymba, et caupolus: sicut et lintris, id est, carabus, quo in Pado paludibusque utuntur.* Inventus est a Cyrenensibus, ut Plin. VII. 56. Nec tantum fluviatilia fuere navigia, sed aliis etiam in occasionibus usum præstiterunt, quemadmodum in bello, in piratica, &c. ut ex Polybio, Diodoro Siculo, Livio, et aliis luculente demonstrant Bayfius, et Schefferus de re navali. *Emmeness.*

202 *Subigit*] Aut rursum agitat: ut, *et corpora saltu Subjiciunt in equos.* Aut certe *subigit*, est urget, impellit. *Servius.*

Remigiis subigit] Ita in Æn. VI. *Ipse ratem conto subigit.* Cerda.

203 *Atque illum in præceps*] *Atque*, id est, statim. Alii quidam superfluam conjunctionem volunt. Et hoc dicit: Ita omnia, quæ terra profert, nisi continuum in eis studium agricola exerceat, licet medicentur et grandia plerunque nascantur, in pejus ruunt: et sic feruntur, sicut qui contra cursum fluminis et vim navim agere vult; si aliquantulum manus et brachia remiserit, et fessus vel modice ab opere cessaverit, statim agente vi fluminis et naturali cursu relabitur, nec potest sursum ire, sed in præceps vadit. Nam proprie *præceps* id significat. *Servius.*

Atque illum] *Atque* valet statim, vel continuo: sic apud Plaut. in Mercat. *Ascendi in lembum, atque ad navim advehor, atque illam conspicio, forma eximia mulierem.* vide Agell. X. 29. *Cer.*

Præceps prono rapit alveus amni] Sensus comparatione finitus. *Servius.*

In præceps prono rapit alveus amni] In Romano codice *trahit alveus* legitur: quod puto sumptum ex paraphrasi aliqua; quum Mediceus et reliqui *rapit* habeant. Est et *amni* in antiquis codicibus frequentissimum, et grammaticis antiquis Carisio et aliquot aliis agnitum. Legitur etiam: *Atque illum in prono præceps rapit alveus amne*, quod nequaquam approbatur. *Pierius.*

In præceps] Seneca in Agam. *Ægisthe quid me rursus in præceps rapis?* et in Hipp. *Vadit animus in præceps sciens.* et in Agamem. de navi quoque loquens in tempestate: *Illum dehiscens pontus in præceps rapit Hauritque.* Eadem forma usus Hieronym. in Amos III. 6. Plin. II. 8. Vellejus l. II. *Cerda.*

Prono amni] Secundo flumine: *κατὰ ῥοῦν. Taubmann.*

204 *Præterea tam sunt Arcturi sidera nobis*] Jam dicit astrologiam rusticum, ita ut navigantem, nosse debere: ut sicut navigandi tempus et ventorum atque tempestatum motus ille ex siderum compositione cognoscit: ita et iste terram colendi congrua tempora, et casus diversos, vel caloris scilicet, vel frigoris aut pluviarum ex stellis agnoscat. *Servius.*

Arcturus] Stella est in signo Boote post Septentrionem: cujus ortus et occasus tempestates gravissimas faciunt. Unde ait *Sidera*, id est, tempestates: ut alibi, *Scit triste Minervæ Sidus.* Idem.

205 *Hœdorumque dies*] Bene autem hœdos Arcturo junxit, qui et ipsi pluvias faciunt; et alibi, *pluvialibus hœdis.* Idem.

Servandi] Observandi. Auriga signum est, haud longe a Septentrione, cujus pedem cum cornu tauri una stella conjungit: quem aurigam pater Mercurius inter sidera locavit. Hic in manu sinistra fert hœdos, in humeris capram Amalthеam, quæ aluisse dicitur Jovem, Hœdorum matrem, quos quidam Jovis conlactaneos dicunt. Sane nonnulli hunc aurigam, Myrtilum, quem Pelops occidit, accipiunt; vel certe Ericthonium, qui natus est ex semine Vulcani; quod dum stuprum Minervæ inferre conatur, fudit in terram. Hoc quoque signum tam ortu quam occasu suo efficit tempestates. Bene autem ait *Dies*, quia et magnitudine sui multis diebus oritur: et tempestas aut præcedit signum, aut sequitur, aut cum eo est. Sane sciendum omnes astrologos, pro ratione climatum dissentire in ortu siderum: sed ipsa dissensio ultra septem dies non procedit: septem enim sunt ipsa climata. Hinc est, quod Solem ad unumquodque signum, alii quintodecimo kalend. die dicunt venire: alii quartodecimo: alii infra usque ad octavum: nec quisquam procedit ulterius. *Idem.*

Lucidus anguis] Tres sunt angues in cælo. unus qui inter septentriones est: alter Ophiuchi: tertius Australis, in quo sunt Crater et Corvus, de quo nunc proprie ait *anguis: nam ὕδρα* dicitur Græce. Et scimus angues aquarum, terrarum serpentes. Hæc autem signa generaliter posuit. non enim hæc tria tantum, sed omnia, præcipit observanda. *Idem.*

Et lucidus Anguis] Draco existimatur, puellarum Hesperidum pomarii custos, relatus inter sidera, intersecare duos septentriones: quæ omnia genera stellarum tempestatem significant. Ait ergo, tam agrestibus observanda esse cœlestia signa, quam navigantibus: quia utrisque noceant tempestates. *Probus.*

206 *Quibus in patriam ventosa per æquora vectis*] Sic ab agricolis observanda signa esse dicit, sicut ab his, qui in periculosissimis maris locis navigant. *Servius.*

Ventosa æquora] In quibus venti dominantur. *Idem.*

Ventosa] Pari forma Senec. in Thyeste: *Ventosi tumor Adriæ.* Alcimus Avit. l. IV. *ventosa per æquora.* Catul. *ventosum æquor.* Græca forma Pind. Pyth. I. *ἱστίον ἀνεμόεν, velum ventosum.* et Nonnus v. Dion. *ἀνεμώδεα δοῦπον, ventosum sonitum.* Sed cum hic dicat Virg. Astrologiam necessariam esse æque et agricolis et navigantibus; non dubium, quin ad hunc locum Plin. respexerit XVIII. 24. *Quippe Virgilio jubente, prædisci ventos ante omnia, ac siderum mores,*

neque aliter, quam navigantibus, servari. Cerda.

Vectis] His, qui vehuntur vult significare: quia Latina locutio non habet præsens participium passivæ significationis. *Servius.*

Vectis] Istis, qui vehuntur. Æn. VI. *vectos per æquora vectos Obruit auster aqua.* Taubmann.

207 *Pontus et ostriferi fauces tentantur Abydi*] Sestos et Abydos civitates sunt Hellesponti, quæ angusto et periculoso mari segregantur. In his angustiis Leander ad Ero natare consueverat. Nam illa Sestias, hic de Abydo fuit; qui cum frequenter ad amatricem amator nataret, tempestate obrutus interiit: cujus cum cadaver exanime ad litus, in quo Ero de turre expectare solebat, esset adpulsum; puella se præcipitavit in mare, et ita vitam finivit. Unde elegit locum periculosiorem, quem pro omni poneret pelago. Sane secundum artem *hæc ostra, ostrea,* et *hæ ostreæ* dicimus. Nullum enim habet Latinitas nomen animalis, quod neutri sit generis, sicut Græce τὸ κῆτος, καὶ τὰ κήτη. Licet et Horatius dixerit, *Ostrea Circeis, Miseno oriuntur echini.* et Juvenalis, *Grandia quæ mediis jam noctibus ostrea mordet.* Quos tamen possumus Græce locutos accipere: ita enim dicunt τὸ ὄστρεον καὶ τὰ ὄστρεα. *Servius.*

Ostriferi] Quod ibi plurimum ostreorum sit. *Idem.*

Ostriferi] Ennius: *aspra ostrea plurima Abydi.* Terentianus Maurus: *ora Hellespontia, cæteris ostreosior oris:* pag. 103. *Taubmann.*

Fauces] Angustiæ. *Servius.*

Abydi] Ἄβυδος teste Strabone l. XIII. Μιλησίων ἐστὶ κτίσμα. Sestum in Chersoneso habet oppositam, inter utramque civitatem est Hellespontus, quod fretum Xerxes ponte junxit, quo Asia ab Europa dirimitur, ut testatur Ovid. Trist. I. 11. 27. *Quaque per angustas vectæ male virginis undas Seston Abydena separat urbe fretum.* Et Musæus, qui passim appellat hoc fretum: ἄγριον οἶδμα, ἄπλοον ὕδωρ, βαρὺ κῦμα, βρόμον ἠχήεντα, βαρυγδούποιο θαλάσσης, et similibus nominibus. Quam tempestuosum et procellosum sit hoc fretum, discimus ex Ovid. Heroid. epist. XVIII. et XIX. Mela I. 19. facit etiam mentionem Abydi: *Abydos magni quondam amoris commercio insignis est:* et II. 2. *Est et Abydo objacens Sestos, Leandri amore pernobilis.* Emmeness.

208 *Libra die*] Hic jam incipit disputare de cognitione temporum ex sideribus. *Servius.*

Libra die somnique] Æquinoctium autumnale descripsit. Somnus enim noctem significat. Vernum æquinoctium fit in Ariete: autumnale in Libra. *Probus.*

Die] Non est Apocope, pro diei: sed secundum antiquos regularis genitivus est. Nam, ut sæpe diximus, obliqui casus numeri singularis, nominativo plurali majores non debent esse: quod verum esse Sallustius probat, qui in prosa ait, *Dubitavit acie pars.* Hinc est et illud, *Curruque abscissa duorum Suspendit capita.* Plautus in Amphitrione, *Neque nox quoquam concedit die,* pro diei. Sed modo dies diei dicimus. Unde juxta præsentem usum, *die* posuit pro diei. *Servius.*

Libra die somnique pares ubi fecerit horas] In Romano codice scriptum est, *libra diei,* per *ei* diphthongum. In reliquis codicibus *die* veteri declinatione, quæ genitivum, per abjectionem *s* literæ, enuntiare solebat, ut quædam apud Græcos. Cujus sententiæ fuisse Valerium Probum comperio: Sallustiumque declinationis hujusce modum non aspernatum, qui scripserit: *Dubitavit acie pars.* et: *Vix decima parte die.* Veluti Horat. *Constantis juvenem fide Gygem.* et Ovidius ubi de Tereo: *Utque fide pignus dextras utriusque poposcit.* Ita

etiam in Rosa, quæ Maroni adscribitur: quæ cujuscunque fuerit, et docte est et luculenter scripta: *Ad primos radios interitura die.* Aliter tamen locus hic Virgilianus legitur a C. Iulio Ro. in libello, quem Sosipater recitat de Analogia: ita enim habetur: *dii* pro *die*, seu *diei*. Virg. *Libra dii so. q. pa. ubi fe. horas.* Sunt enim ex veteribus Grammaticis, qui *dii* semper legendum esse definiant. Bona tamen literatorum qui nunc vigent pars, *die* malunt legere. *Pierius.*

Somnique] Id est, noctis, nam ab officio temporis, ipsum tempus ostendit. Dicit autem æquinoctium autumnale, quod fit Sole in libra posito. Vernale enim æquinoctium in ariete efficit Sol positus; hoc autem dicit, frumenta serenda esse autumnali tempore: legumina vero usque ad veris initium. *Servius.*

Pares ubi fecerit horas] Æmulatus hoc est Lucanus l. VIII. *Tempus erat, quo libra pares examinat horas, Non una plus æqua die.* Scalig. Poët. V. 16. *Taubmann.*

209 *Et medium luci*] Diei. *Servius.*

Atque umbris jam d. o.] Nocti. Quomodo Zodiacus circulus, qui æquinoctia duo facit; orbem dividit: et *luci* dixit partem cœli Septentrionalis, de quo ait, *Hic vertex nobis cœli sublimis. Umbris* vero, Australem circulum, qui dicitur esse infimus et demersus, de quo ait, *At illum, Sub pedibus Styx atra videt, manesque profundi.* Idem.

Dividit orbem] Ut orbem videlicet cœli medium teneat Sol; medium Luna. *Idem.*

210 *Exercete, viri, tauros*] Id est, cogite laborare. *Idem.*

Tauros] Boves fortes accipe. *Idem.*

Serite hordea campis] *Hordeum* ostendit in campestribus locis serendum, et *hordea* usurpative ait: sciendum tamen in his, tres tantum casus usurpari, hæc hordea, hæc hordea, o hordea: sicut vina, vina, vina: et mella, mella, mella. Sane reprehensus Virgilius dicitur a Bavio et Mævio hoc versu, *Hordea qui dixit, superest ut tritica dicat.* Idem.

211 *Usque sub extremum brumæ*] Id est, non usque ad brumæ finem, sed circa. Nam bruma finitur VIII. Kalend. Januarii die: et iste non usque ad ipsum diem dicit serendum. *Idem.*

Intractabilis] Propter frigus duræ et asperæ; et *bruma* dicta a brevioribus diebus. *Idem.*

212 *Nec non et lini segetem*] Atqui supra ait, *Urit enim lini campum seges;* quid igitur? suo tempore, non eo anno, quo cessare debet. *Idem.*

Lini segetem] Seritur autem linum a Kal. Octob. in ortum Aquilæ, qui est VII. Idus Decembris, ut Colum. II. 10. Idem de satione lini testatur Palladius XI. tit. 2. *Emmeness.*

Cereale papaver] Vel quod est esui, sicut frumentum: vel quo Ceres usa est ad oblivionem doloris. Nam ob raptum Proserpinæ vigilis gustato eo acta est in soporem: vel quia Myconem Atheniensem dilexerit Ceres, et transfiguratum in papaverem tutelæ suæ jusserit reservari; vel quia pani aspergatur. *Servius.*

Cereale papaver] Cur *papaver* dicatur Cereris, caussa est multiplex; signabo aliquas. An quia illi, ut inventrici attribuitur? ut ait Euseb. Præpar. III. An quia illo Ceres famem exsolvit? Hanc colligas ex Ovid. Fast. IV. 547. *Abstinet alma Ceres, somnique papavera caussas Dat tibi cum tepido lacte bibenda, puer.* An quia papaver aptum esui, vel quod eo Ceres usa fuerit ad oblivionem doloris? Utraque est Servii. An quia illud agricolæ inter segetes sererent, tametsi nocuum, ut illo sacra facerent huic Deæ? hanc adhibet Brodæus Misc. II. 29. An quia illud manu gestaret hæc Dea et ejus simulacra? Hæc est Brodæi, et Turn. IX. 26. Firmat posterior loco Callimachi: additque Antistitas quoque Cereris illud gestasse: inde est, ut ipse

ıtiam Poëtæ referat ad sacrum is. An demum, quia θυλακῖτις est papaveris accommodatum lubre conficiendis panibus ad ? Hanc adducit Macinellus, nellam rejicit judicium Germani.

Tempus] Tunc scilicet est. us.

s dudum] Quamprimum. Hoc serendum esse eo tempore, non luit, sed quo imminent pluviæ.

umbere aratris] Insistere aratio- Idem.

umbere aratris] In Mediceo et ot aliis antiquis exemplaribus, e est: incumbere rastris. Est, et atris legas, quod a Servio agno-. Pierius.

Dum sicca tellure licet] Dum : nondum pluit, sed jam est vi-ı. Servius.

s nubila pendent] Dum pene jam tur nubila pendere, et expectut effundant pluvias. Idem.

Vere fabis] Contra rationem m, quia fruges omnes numeri laris sunt. Idem.

io] Sementis: et declinatur navis. Idem.

c te quoque Medica] Ad ipsam um Apostropham facit. Hæc a a Medicis translata est in ciam; quo tempore eam Xerxes erat. Hujus plena Venetia est: dicit Dionysius, trium foliorum emperque virens. Idem.

dica] Plin. XVIII. 16. Ita descri- Similis est trifolio, caule foliisque ılata: ea, cum in caulem assurgit, io contrahitur. Ad quem locum lecamp. Nomen habet a Meınde advecta. Strab. l. XI. los de Media: Herbam, quæ præciquos nutrit, proprie Medicam vo-, ἀπὸ τοῦ πλεονάζειν ἐνταῦθα, quod undet. Plin. XVIII. 16. Medica na etiam Græciæ, ut a Medis adper bella Persarum, quæ Darius t. Si tibi otium, lege Fran. Floridum Sabin. success. II. 19. ubi multa contra Pium, quod lectionem Virgilii mutaverit. Restat ultimum de præcepto. Ejus duæ partes, et quo tempore serenda Medica; et de putredine terræ, ubi serenda. De priore Plin. XVIII. 16. seritur mense Majo. Pallad. l. v. tit. 1. Aprili mense in areis, quas ante (sicut diximus) præparasti, medica serenda est. Itaque Virg. præclare vere serendum asseruit. Ita quoque Plin. loco adducto: verno seri debet. De posteriore Colum. II. 11. Locum, in quo Medicam proximo vere saturus es, proscindito circa Kal. Octob. et eum tota hyeme putrescere sinito. Cerda.

Putres] Subacti, vel initio anni, id est, vere, vel post annum: quidam enim Medicam post decennium seri dicunt. Servius.

Putres sulci] Naturam ipsius herbæ respicit. nam uno anno frequenter seritur. et sexies aut amplius secatur, postea aliquot annis sponte procreatur. quod etiam sequens indicat versus. Idem.

216 Et milio venit annua cura] Ostendit Medicæ curam non esse annuam. Hæc autem herba vulgo dicitur Sylla. Idem.

Milio] Seneca Epist. 86. Virgilium tangit, tanquam agrariæ rei parum peritum: (dico verbis Lipsii Elect. I. 16.) quoniam scripsisset, milium et fabam sub idem tempus seri. Sed mehercle calumniatur, aut ludit iste Socrates. immo illud facit. Milium ex iis est, quæ trina tempestate anni seruntur, æstate, hieme, vere: in Italia tamen plurimum æstate. Quam solam sationem ibi Seneca agnoscit. At tu vide Plinium XVIII. 7. et liberabis facile Virgilium hujus culpæ. Taubmann.

Venit annua cura] Vere scilicet. Servius.

217 Candidus auratis aperit cum cornibus annum Taurus] Quo tempore annum aperit candidus Taurus, qui est auratis cornibus. nam aperit

cornibus, non procedit. non enim a capite aut a fronte, sed a dorso oritur, id est, a medio sui : unde incipit apparere, nam ea parte qua mutilatus est, oritur, non a fronte. *Idem.*

Candidus auratis, &c.] Hos versus male explicant, nec melius legunt Grammatici. Servius sic intelligit, ut dicat Sirium cum cane occidere, qui Sirius terris adversus est. Nugæ. vera lectio est, quam ibidem ex aliis libris notat : *et averso cedens canis occidit astro*, quam etiam haud recte exponit. *Si autem*, inquit, *Averso legerimus, cum subaudiamus necesse est, ut sit sensus, quo tempore etiam Canis cedens occidit cum averso astro, id est, cum Argo.* Imo nihil necesse est, ut tale quid subaudiatur. Canis cedens averso astro, id est, Argo, occidit. Nam navis Argo instat et incumbit occidenti Cani. Cedit ergo Canis Argoæ navi, et locum dat insequenti. Extremæ quippe caudæ canis jungitur Argo aversa, *quia puppe trahitur, non recto cursu*, ut canit Germanicus. De occasu canis loquitur Poëta, qui fit ante diem septimum Kalendas Majas, Sole decimam Tauri partem obtinente, quo tempore *Robigalia* instituere Romani, quia tunc fere segetes robigo occupat, ab occasu illius sideris, quod calidissimum est quando oritur, frigidissimum quum occidit. Plin. XVIII. 19. Plinian. exercit. *Salmas.*

Aperit] Ideo sit, aut quia Aprili mense Sol in Tauro est, quo cuncta aperiuntur : et hoc melius. Sed aliud est aperire annum, aliud inchoare : nam nullus dubitat Martio mense, ut supra diximus, annum inchoari. Aut certe aperit annum dixit ; quia unumquodque signum potest inchoare annum, et finire : ut *aperit annum* dixerit, scilicet suum : nam et a Tau- usque ad Taurum, et a Geminis ad Geminos, annus est. *Serv.*

Averso astro] Duplex lectio alii *adverso* legunt : cum nascitur Sirius, qui est terris adversus, de quo legimus *sitim morbosque ferens mortalibus* Nascitur. ut, *Adverso* sit pes et contrario mortalibus. Si *averso* legerimus, cum subaud necesse est ; ut, *Atque Ixionii rota constitit orbis* : id est, cum Ut sit sensus, quo tempore etia nis cedens, occidit cum averso id est, cum Argo : quæ et ipsa est, sicut Taurus : et a puppi cui Canem constat esse conjun *Idem.*

Et averso ce. Ca. oc. as.] In Ba quidem et in Longobardico, est. In aliis vero *averso*. In ceo : *averso incedens*, suntum Serviana paraphrasi. *Pierius.*

Et cedens] Aut locum dans, Argo occidat : nam Canis occas Navis occasus sequitur : aut *cedens* Canis, non recedens, se cedens accipimus et se movens. pore enim quo in Tauro Sol est, Canis ad ortum festinat. *Servi*

Occidit] Ad aspectum nostru tulit. nam ortus et occasus duo Unus ἡλιακὸς, id est, Solaris : et κοσμικὸς, id est, mundanus. ut ea signa, quæ cum Sole ori a nobis non possint videri : quæ videmus, quantum ad Solis nem pertinet, videantur occi secundum quod nunc ait *occidit* Nam canis paranatellon est C id est, cum eo oritur. Cancer quo tempore Sol in Tauro est, horam quartam diei oritur. Taurus et Gemini binas horas t Nigidius commentario *Sphæræ canicæ* : Oritur enim Canicula Cancro, in columen venit cum mis, occidit cum Tauro : sic er ut Canis nobis occidat. quantu tem ad Solis pertinet cursum, i esse videatur. Secundum ha tionem etiam paulo post dictum *Ante tibi Eoæ Atlantides abscond* Nam Eoas ait in ortu Heliaco tas : unde et *tibi abscondantur* i Hunc canem alii Icari putant

Erigonæ, qui mortem patris filiæ nuntiavit: alii hunc esse quondam custodem Europæ, quem nulla fera potuit effugere; quique a vulpibus quondam liberaverit Thebas. *Idem.*

Canis occidit] Heliace, nam Tauro gestante solem, Canis incipit non videri ex vicinitate solis. Ita Macrob. in som. I. 18. Locus hic Poëtæ notandus digito contra Plinium XVIII. 25. qui cum agnoscat has locutiones *oriri*, *cadere* in alio ortu et occasu siderum: in Heliaco tamen ortu et occasu illas reprehendit, docetque ortum Heliacum dici debere, *emersum;* occasum Heliacum, *occultationem*. Verba ejus adeunti in promptu sunt. *Cerda.*

Et averso cedens Canis occidit astro] Omissis verborum ambagibus, dicemus præter aliorum sententiam hic posse intelligi leporem, ex eo, quod ait: *averso astro*, nam aversus lepus canem fugit, uti videre est in imaginibus cæli, et testatur Cic. in Arato: *Jacet levipes Lepus, hic fugit ictus Horrificos metuens rostri tremebundus acuti. Nam canis infesto sequitur vestigia cursu Præcipitantem agitans.* Emmeness.

219 *Triticeam in messem*] Ad messem tritici, vel segetis. *Servius.*

Robustaque farra] Frumenta, quæ plus habent virium, quam legumina; quo tempore nobis Atlantides occidunt, sunt serenda. *Idem.*

Robustaque farra] Contra hiemis injurias firmissima: et quæ annis quinquaginta in scrobibus durent, auctore Plinio XVIII. 8. et 30. quod semina leguminum non faciunt, quæ molliora sunt. *Taubmann.*

220 *Exercebis*] Pro exercueris. *Servius.*

Solisque instabis aristis] Non leguminibus, sed solis segetibus. *Idem.*

Instabis] Pro institeris. *Idem.*

Aristis] Et hic, sicut supra, per aristas frumenta significat. *Idem.*

221 *Ante tibi Eoæ Atlantides abscondantur*] Atlantides licet septem fuisse dicantur, sex tamen, sicut supradictum est, videntur in cœlo; quæ Novembri mense nobis incipiunt non videri. Cum enim Sol in Scorpione fuerit, oriente Scorpione, occidit Taurus, in quo Vergiliæ sunt, id est, sexto Idus Novembris. Ergo Eoæ mane abscondantur: non est enim Atlantidum epitheton Eoæ; sed Eoæ, matutinæ; modo enim vespera, modo media nocte, modo mane oriuntur; unde et *tibi abscondantur*, id est, spectando nec occident. Alii ita exponunt, Eoas appellatas, quasi quæ semper mane oriantur. Ergo ante occidere Vergiliæ debent quam sero sit, quæ Vergiliæ alioquin sunt Eoæ cum oriuntur, non cum occidunt. Has autem alii volunt, Jovis; alii Liberi nutrices; alii vero ipsas fuisse adserunt Hesperidas. *Idem.*

Ante tibi Eoæ Atlant. abscond.] Scil. occasu matutino. quod tunc factum 22. Octobr. sive, ut Columella annotat, ante diem 9. Kalend. Novembr. Vide ipsum II. 8. et Plin. XVIII. 25. Columell. *Solis et adversos metuant Atlantides ortus.* Taubmann.

Atlantides] *Vergiliæ*, sive *Pleiades*, Atlantis ex Pleione filiæ. *Idem.*

Ante tibi Eoæ Atlantides, &c.] Id est, ante tibi Vergiliæ mane occidant, quam serere incipias. Vergiliæ autem juxta Columellam matutino occidunt sexto Idus Novembris. Ibi mirifice nugatur Servius, ex illa distinctione non intellecta ab ipso ἡλιακοῦ et κοσμικοῦ ortus occasusve. Plinian. Exercit. pag. 724. *Salmas.*

222 *Gnosiaque ardentis stella Coronæ*] Et hoc ad superiora pertinet. Cum enim Coronæ pars oritur, occidit Taurus, in quo Vergiliæ sunt. *Decedat* autem non pro occasu dixit, sed Soli cedat: quo in Scorpione posito cum ortu ipsius oritur. Fabula vero de Corona talis est. Cum Liber pater Ariadnen, Minois Cretæ regis filiam, uxorem duceret, Vulcanus ei coronam obtulit, quam ille ad uxoris

insigne inter sidera collocavit. Et stellam per Poëticam licentiam dixit. Cæterum sex sunt, quibus in cælo declaratur corona. Alii hanc fabulam ita adserunt: Theseum cum ad interimendum Minotaurum Cretam venisset, miseratam ejus Ariadnen, auxilium ei ad occidendum, filo ducto, Minotaurum præstitisse; Theseum vero Ariadnen utpote salutis auctorem secum avexisse; qui cum ad Naxum insulam delati essent, Ariadnen ibi vel consulto, vel necessitate, vel monitu Mercurii a Theseo derelictam; quam cum Liber pater adamasset, coronam el demti pudoris, sicut supra dictum est, dicitur obtulisse, quam etiam inter sidera postea collocavit. *Servius.*

Gnosia] Cretica, ab urbe Cretæ, quæ Gnosis dicitur. Et stella dicitur Cretica, quia ad laudem illius, quæ Cretici regis filia fuit, in cælo est posita ipsa corona. *Idem.*

223 *Sulcis*] Arationibus. *Idem.*

Committas semina] Quasi custodibus fidis. *Idem.*

Committas semina] Tibull. I. 7. *Primus inexpertæ commisit semina terræ.* Utitur eadem forma Julius Firmicus c. 3. Columel. III. 5. *Cerda.*

224 *Invitæ terræ*] Quæ quasi coacta rusticorum labore, et non sponte, fructus profert: alii, si non suo tempore seratur. *Servius.*

Anni spem] Unde tu annum speres posse deducere. *Idem.*

225 *Ante occasum Majæ*] Ante occasum Atlantidum. et hoc est, quod ait, *quam Atlantides abscondantur:* nam Maja una est de ipsis Atlantidibus. *Idem.*

Multi ante occasum, &c.] Multi ante occasum Vergiliarum sementem fecerunt; sed inanem messem sustulerunt. Maja autem una est ex Vergi- *Probus.*

Exspectata seges] Id est, spe- quod Non. Marcellus adstruit Tull. off. l. II. *Est enim deterior*

qui accipit, atque etiam ad exq dum semper paratior. Emmenes

Vanis] Vacuis. *Servius.*

Elusit] Decepit. *Idem.*

Vanis elusit aristis] In Roma dice *illusit*, in quibusdam aliis *aristis*. Magis vero placet ave habetur in Mediceo. Quia fru vitium est avena, atque hic serr de iis quæ degenerant, quum alioqui avena inter segetes sua ciem obtineat, uti alibi. *Pieri*

Exspectata seges vanis elusit Nostrum sequitur Tibullus II. 1 *seges eludat messem fallacibus* Non abit illud Ovidii Met. v *Arraque jussit Fallere depositum; taque semina fecit.* Quid enim *aristæ*, vel si mavis, *avenæ?* qu *res, inanes, sine granis*, ut Non cell. c. 1. Sive, ut cum Turnel 20. *Vanis elusit avenis*, valet, elusit culmis, et stipulis fruge habentibus. *Emmeneas.*

227 *Si vero viciamque seres*] I dam adespoto Græco sic positu φαγοῦσαι καὶ φάσηλον ὄροβον, ὀμ μετὰ ἀρκτοῦρον δύοντα ἅμα μέχρι τῶν. *Servius.*

Vilemque faselum] Plurimum, dantem. nam omne quod ab vile est: ut, *Vilibus aut onerat* Idem.

Vilemque faselum] *Vilem* e Nonius *frequentem:* quod, quæ dant, vilescant. Willichius dis *faselum* et *faseolum*. Illum ait culæ genus esse; hunc herbam fructus dicantur δόλιχοι Theop l. III. cap. ult. Histor. Plant. F tina Cremon. l. VII. ab insul sello non procul a monte O auctoritate Apuleii denominatu *Taubmann.*

228 *Nec Pelusiacæ curam aspe lentis*] Pelusium unum est de ostiis Nili, ubi primum lens i dicitur; vel ubi optima na Unde κατ' ἐξοχὴν locutus est vius.

Aspernabere] Id est, contemnes. *Idem.*

Lentis] Ac si dicat, Etiam inter alia, lentem seras. *Idem.*

Pelusiacæ lentis] Plin. XVIII. 12. duo genera lentis in Ægypto esse testatur. Quam hic *Pelusiacum* Noster appellat, Martialis Niliacam XIII. 9. *Accipe Niliacam, Pelusia munera, lentem: Vilior est alica, carior illa faba.* Non. Marcell. c. 3. etiam masc. gen. esse affirmat. De oppido Pelusio et ostio Nili Pelusiaco Mela I. 9. *Emmeness.*

229 *Haud obscura*] Non obscura, hoc est clara. *Servius.*

Mittet tibi signa Bootes] Si viciam, et faselum, et lentem serere volueris; occidente Boote debes incipere. *Id.*

Cadens Bootes] Occidens, Verno scilicet tempore. Tunc enim Bootes occidit. *Idem.*

Cadens Bootes] Occidens Arcturus, supra, vs. 68. Ejus occasum Cosmicum Ovidius Fast. III. ad III. Non. Martii retulit. cum quo consentit Servius, qui verno tempore hoc fieri ait. Cum autem Plinius XVIII. 15. *viciæ* sationis tria tempora enumeret, unum circa occasum Arcturi, ut scil. Decembri mense pascat: alterum Januario; novissimum Martio; sunt, qui hæc de prima satione intelligunt: atque ita occasus Bootæ vespertinus significaretur, qui fiebat mense Novembri ineunte. Etiam Plinius faselos et lentem seri jubet ab Idib. Octobr. in Calend. Novemb. XVIII. 12. et 24. *Taubmann.*

230 *Incipe, et ad medias sementem extende pruinas*] Omnia complexus est tempora: et Vernum scilicet, quo legumen seritur: et Autumnale, quo frumentum. Et multi volunt ita hanc partem astrologiæ librasse Virgilium, ut in omnibus utrumque tempus significaret, vernale et autumnale; unde et supra bina signa memoravit, Taurum cum Cane, Atlantidas cum Corona. Tamen nos, quantum ad necessitatem hujus loci pertinet, hæc dixisse sufficiat: nam majoris prudentiæ est, ad subtilem harum rerum scientiam pervenire: adeo ut sequentem rationem zonarum Metrodorus philosophus vix quinque expresserit libris; insertis, tam Astronomiæ, quam Geometriæ partibus; sine cujus lineis haud facile zonarum deprehenditur ratio. Idem etiam Metrodorus asserit, frustra culpari a plerisque Virgilium, quasi ignarum astrologiæ: cum eum constet operis lege compulsum, ut quædam exponeret, quæ obscura videntur ideo, quia a naturali ordine sunt remota. Ut autem omnia non diceret, rusticarum personarum habuit considerationem, et ipsius est operis brevitate compulsus. *Servius.*

Ad medias sementem extende pruinas] In Romano codice *expende* legitur: quod significat suspensas tene, eodem pene significato cum *extendo:* acceptior tamen est vulgata lectio. *Pierius.*

Incipe, et ad, &c.] *Epilogus* universæ sationis et vernum et auctumnale tempus complectens. Porro videtur Plinius Maronem vellicare, quod rusticos ab sua terra in cælos erigat, istamque scientiæ sideralis subtilitatem imperitis præmonstret: XVIII. 24. et 25. et 26. et 27. ubi Naturam inducit, Agricolas ita castigantem: *Cur cælum intueris, Agricola? Cur sidera quæris, rustice? Ecce tibi inter herbas tuas spargo speculares* (alii *peculiares*) *stellas, easque vespere et ab opere disjungenti ostendo, &c. Cur altius spectas? Habes ante pedes tuos, ecce, Vergilias, &c.* Operæ pretium fecerit, qui ordine omnia ibidem legerit. Sed dicamus Plinio; Virgilium agricolæ suo præcipere non exactam Astrologiæ subtilitatem, sed *Annua* illa *Astrologiæ breviaria*, quæ nos Arabico vocabulo ALMANACH vocamus. *Taubmann.*

Ad medias pruinas] Hoc est, quod supra ait, usque sub extremum bru-

mæ. *Medias* autem *pruinas* abusive ipsas hiemes posuit; *medium* enim pro legitimo dixit. *Servius.*

231 *Dimensum partibus orbem*] Annum divisum in quatuor tempora. Et per duodecim signa, duodecim menses accipimus. *Idem.*

232 *Per duodena*] Multi pro duodecim accipiunt; ut, *Bina manu lato crispans hastilia ferro.* et *septenaque tela.* Alii quia quotannis per eadem ineat: duodena ergo, sæpius duodecim signa. *Idem.*

Per duodena astra] Elegans carmen de signis cælestibus prodidit Ausonius: *Bis sex et sidera complent. Hic Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo, Libra, Scorpius, Arcitenens, Capricornus, et urnam Qui tenet, et Pisces.* Agit etiam de signis cælestibus Censorinus de die natali cap. 8. *Emmen.*

Sol aureus] Ὁ χρυσοφαὴς ἥλιος in Epigr. χρυσεοφεγγὴς, Orpheo. Alii, quod auro præsit. *Taubmann.*

233 *Zonæ*] Id est, plagæ vel circuli, quorum primus Septentrionalis; vel, ut quidam volunt, Aquilonius. Zonæ, Circuli, qui cœlum ac terram, veluti Zonæ cingunt. Translative, nam proprie Zonæ in terris, sed pro parallelis, id est, circulis posuit. Septentrionalis, Æstivalis, Æquinoctialis, Brumalis, Australis. *Servius.*

Quinque tenent cælum zonæ] Ab aëris temperie *Terra* distinguitur *in quinque zonas:* Latini *Cingulos, Fascias, Plagas, Circulos,* nuncupant. Nam aëris qualitas vel est *Æstuosa,* vel *Temperata,* vel denique *Frigida.* Æstuosa quidem plaga iis, quibus Sol supra verticem et perpendiculum ipso meridie consistit. Ea *Zona Torrida* καυματώδης vocatur. Senecæ in Herc. Œt. act. III. *Lux acerba* dicitur. *Temperata* εὔκρατος: ubi, ut Naso ait, *Mista est cum frigore flamma:* et quo Sol non ita accedit, ut eam torreat, nec tantum abest, ut perpetuo gelu rigeant, atque hæc duplex est, *Aquilonaris* et *Australis.* Tandem *Frigida,* quæ, cum Sol ibi plurimum a vertice sit remotus, perpetuo rigore premitur. Estque et ipsa duplex; *Arctoa,* sub Arctico polo; et quæ huic sub *Antarctico* opposita. Omnino videndus Macrobius in Somn. Scip. II. 5. et 7. ubi zonas describit Cicero: copiose etiam Tibullus in Panegyrico Messalæ, et Ovid. Metam. I. Sect. 2. Denique et Marcianus Capella lib. VI. Zonarum discrimen Probus Gramm. scribit e manu sumi posse: si lævam contra ora nostra, in Ortum Solis versa, digitis expansis introspexerimus. ubi enim *pollex* est, ibi zonam ait esse Arcticam: ubi *index,* Temperatam nostram sive Australem: *medium digitum* Æquinoctiali adustæ respondere. *Quartum* alteram Temperatam ostendere, id est, Hiemalem. *Digitum minimum,* Quintam zonam referre, Noticam et Australem. Porro negatum ab omni ævo multis est, *zonam Torridam* habitari: sed hodiernæ navigationes et experientia docet, sub Æquatore commodissime jucundissimeque, et tanquam in terrestri Paradiso (quem et hic quidam ausi ponere) vitam homines vivere. Sub *Tropico* tamen molestius habitari, præsertim sub Capricorno. *Frigidas zonas* autem parum habitari. De quibus omnibus accuratissime disputat *P. Merula lib.* II. *Part.* 1. suæ Cosmographiæ. *Taubmann.*

Corusco Semper sole rubens] *Corusco,* ardenti, hoc est, æquinoctiali, et bene a media cœpit, ut necessario extremas et habitabiles concessas mortalibus diceret. *Servius.*

Corusco sole rubens] De zonis sic Mela I. 1. *Zonis quinque distinguitur. Mediam æstus infestat, frigus ultimam: reliquæ habitabiles paria agunt anni tempora, verum non pariter.* Torridam describit Horat. od. I. 22. *Pone sub curru nimium propinqui Solis, in terra domibus negata.* Emmeness.

234 *Torrida*] Sicca, quod nunquam Sol inde discedat. *Servius.*

235 *Quam circum extremæ*] Bene *extremæ* addidit, id est, Borios et Notios; ne eas, quæ circa igneam sunt intelligeremus, quas constat esse temperatas vicinitate caloris et frigoris. quarum unam nos habitamus, alteram antipodes: ad quos hinc torrente Zona, hinc frigidis ire prohibemur. Antipodes autem dicuntur, quod contra nos positi sunt contrariis vestigiis. Terram enim dicunt undique cælo et aëre cingi. Per has autem duas Zonas in obliquum vertitur signifer circulus, qui Solis continet cursum. Unde etiam fit, ut duæ Zonæ frigidissimæ sint, ad quas numquam accedit: una fervens, a qua pene numquam recedit: duæ temperatæ, ad quas vicissim venit. *Idem.*

Trahuntur] Pro extenduntur, aut sine intermissione vertuntur. *Idem.*

236 *Cærulea*] Frigore scilicet, quia ipse color convenit frigori. *Idem.*

Cerulea glacie concretæ] In plerisque veteribus exemplaribus legere est casu recto numero multitudinis *Ceruleæ*, puncto mox intersito: ut quod sequitur, *glacie concretæ, atque imbribus atris*, expositio sit, cur zonæ illæ *ceruleæ* sint. In codice Mediceo prius *ceruleo* legebatur: sed inde aliena manu superinducta, ut ultima litera fieret A. Sunt etiam codices manuscripti, in quibus *ceruleæ* et *glacie* legatur: quæ mihi lectio nequaquam probatur. Ostendit tamen epitheton non cum *glacie*, sed cum zonis adcommodatum, *zonæ ceruleæ*. Pierius.

Cærulea glacie concretæ atque imbribus atris] Eodem modo zonam frigidam describit Horat. od. I. 22. *Pone me pigris ubi nulla campis Arbor æstiva recreatur aura, Quod latus mundi nebulæ malusque Juppiter urget.* Hanc et alteram Phœbus Phaëtontem monet ut effugiat Ovid. Met. II. 129. *Nec tibi directos placeat via quinque per arcus. Sectus in obliquum est lato curvamine limes, Zonarumque trium contentus fine, polumque Effugit australem, junctamque aquilonibus Arctom.* Emmeness.

237 *Duæ mortalibus ægris*] Sicut dictum est temperatæ, ex calido medio, et frigidis extremis circulis. *Servius.*

Mortalibus ægris] Expressit Homericum illud: δειλοῖσι βροτοῖσι. *Ursinus.*

238 *Per ambas*] Cum vitet utramque temperatam, ipsa præpositio *per*, pro *inter* accipienda est. *Servius.*

Via secta per ambas] Periphrasis Zodiaci inter duos tropicos: vide Macrob. de Somnio Scipion. l. II. ubi exponit hæc verba, *via secta per ambas:* et interpretatur, Enallagen esse, per ambas temperatas Zonas. Lucret. quoque l. VI. *via secta* dixit: *Qua via secta semel liquido pede detulit undas.* Cerutus.

239 *Obliquus*] Zodiacus vocatur sectus limes apud Ovid. Met. II. 130. *Sectus in obliquum est lato curvamine limes.* Emmeness.

Qua] Per quam. *Servius.*

240 *Mundus ut ad Scythiam*] Jam hic definitio est nostri climatis, id est, nostræ habitationis: quæ a Septentrione incipiens, in Australi desinit plaga. *Riphæas* autem *arces*, Scythiam dicit: cujus sunt montes Riphæi. Quoniam Borius circulus totus supra terram est, ideoque ab *Arato*, hic apparens; ille item Australis, vocatur obscurus. Sane aliqui mundum pro cælo accipiunt hoc loco, qui mundum, nomen volunt esse universæ naturæ. *Servius.*

Rhipæasque arcis] Id est, montes Rhipæos, de quibus Plin. IV. 12. Strabo l. VII. testatur fuisse, qui Rhipæos montes et Hyperboreos commenti sunt. Sic et Vossius in Melam, I. 19. fabulosos nominat. in toto enim septentrione non esse montes, qui insignem habeant excelsitatem. An scribendum sit per aspirationem, *Rhiphæi*, an *Rhipæi*, lis est. Plutarch. in Camillo τὰ ῥιπαῖα ὄρη. He-

sych. *ῥιπαῖα, ὄρη σκυθικά. Emmeness.*

Arduus] Excelsus, summo vertice arctatus. *Servius.*

241 *Consurgit; premitur*] Deest ita, ut sit, ut ad Scythiam consurgit, ita premitur in Austros; premitur contra devexus in Indos, ut fuerat supra Afros. *Idem.*

Libyæ devexus in austros] Quoniam Noticus circulus totus infra terram est, et premitur, quasi deprimitur. *Servius.*

242 *Hic vertex nobis semper sublimis*] Id est, hæc pars mundi a nobis semper videtur. *Idem.*

Vertex sublimis] Polum designat Arcticum. Polus hoc in loco est axis pars extrema. Apud Græcos veteres, teste Salmasio, in Plinian. exercit. pag. 686. πόλος significabat ipsum cœlum, non cœli axem. In ea notione hac voce utitur Plato. Hesychius utrumque significare docet, et cœlum, et partem axis: *πόλος, οὐρανὸς, κόσμος καὶ ἡ μεταβεβλημένη γῆ εἰς κατασποράν. κύκλος καὶ τόπος κορυφῆς κυκλοειδής, ἢ ἄξων.* Polus Arcticus numquam nobis occidit, manet enim semper eodem in loco; inde πόλος βόρειος etiam ἀειφανὴς dicitur. De Australi sic Macrob. I. 16. *Australis vertex nec ipse nobis unquam videtur, nec sidera sua, quibus et ipse sine dubio insignitur, ostendit.* Vide Cælium Rhodiginum I. 11. De vertice hoc septentrionali sic Macrob. I. 16. *Vertex hic, qui septemtriones habet, quoquo versum mundana volubilitate vertatur, quoniam super nos est, semper a nobis videtur, ac semper ostendit Arctos Oceani metuentes æquore tingui.* Emmeness.

...At illum Sub pedibus Styx atra ... Id est, axem noticum, id est, ...em, qui a nobis nunquam vide... ...ut Boreus, id est, septentrio... ...per videtur. Et sicut variæ ...orum opiniones sunt: ita et ...loquitur. Nam alii dicunt ...dentem Solem ire ad Antipodas. Alii negant, et volunt illic tenebras esse perpetuas. Mire autem ait *Styx*, quasi de inferis *Styx atra videt, manesque profundi*, ut ostenderet illud quod dicunt philosophi, recedentes hinc animas et illic alia corpora sortiri. Unde et Lucanus ait, *Regit idem spiritus artus Orbe alio.* Quod verisimile est, quia dicuntur animæ, aut igni, aut vento, aut aqua purgari: quod ut *fiat* necesse est, dum aut per frigidas plagas, aut igneam transeunt. Et licet alii hoc a Virgilio dictum per poëticam licentiam velint: tamen sciendum est, eum poëticæ licentiæ inseruisse philosophiam. *Servius.*

243 *Sub pedibus*] Sub Horizonte. Et alludit ad ἀντίποδας, sive *Adversipedes*, ut vertit Glossar. vetus. *Antipodes* autem *esse*, tam certum est hodie, ut nemo nisi insensatus dubitare ausit: quod docet *P. Merula* in Cosmographia III. 22. *Taubmann.*

244 *Maximus anguis*] Vel quia ipse cæteris est major, vel quia ad Scythiam, vel quia inter duas arctos. Sane hunc draconem quidam occisum, et inter sidera conlocatum a Minerva dicunt: alii hunc esse, quem Hercules custodientem mala aurea Hesperidum occidit. *Hic*] Pro illic. *Servius.*

245 *Circum, perque duas*] Et *circum* enim est et *per*; nam per utramque labitur, id est, inter duas; majorem cauda tangens, alvo complectens minorem. *Idem.*

In morem fluminis Arctos] Hesiodus ποταμῷ ῥέοντι ἐοικώς. *Idem.*

In morem fluminis] Ποταμηδόν. Cicero. *Veluti rapido cum gurgite flumen.* Taubmann.

246 *Oceani metuentes æquore tingui*] Hoc refertur ad fabulam. Nam hæ duæ pellices Junonis fuisse dicuntur: quas postquam Juppiter in siderum retulit numerum, Juno rogavit Tethin suam nutricem, ne unquam eas pateretur occidere. Unde nunc *metuentes*

dixit, scilicet nutricem Junonis. Sunt autem hæ, Helice, et Cynosura: de Helice Lycaonis filia, amata a Jove, et a Junone in ursam mutata, supra dictum est. Cynosura quod caudam caninam habeat; hanc Fœnicem vocitatam quidam ferunt, Dianæ comitem, iraque ejus, quod gravida esset inventa, in ursam esse mutatam, atque ejusdem rursus misericordia sideribus insertam. Quidam prodidere has nymphas fuisse Cretenses, Jovis nutrices, et ob meritum consecratas; quæ ideo non occidunt, quia secundum clima nostri cœli Arctous circulus, in quo cardo convertitur, infra horizontem non venit. Nam reliqua signa dicuntur omni nocte in Oceano tingi. *Servius.*

Æquore tingui] Hac de re quatuor lepidissimi versus incerti Poëtæ, qui Cretica scripsit, leguntur apud Hygin. *Tu qui Lycaoniæ mutato semine nymphæ Quam gelido raptam de vertice Nonocrinæ Oceano prohibet semper se tingere Thetis, Ausa suæ quia sit quondam succumbere alumnæ.* Sed ea translatione videtur prior usus Aratus, cum de Cephei occasu, βάπτων ὠκεανοῖο, dixit: de Sole etiam ita, εἰ δ' ὁ μὲν ἀνέφελος βάπτοι ῥόον ἑσπερίοιο. quare et Orpheus in Argonauticis, ἀλλ' ὅτε γ' ὠκεανοῖο ῥόον βαπτίζετο Τιτάν. *Ursinus.*

247 *Illic*] In Australi, id est, obscuro axe. *Ut perhibent*, scilicet poëtæ: nam in rebus dubiis suam denegat fidem. *Servius.*

Intempesta] Inactuosa, alta, densa, crassa, qualis est intempesta. Posse autem hoc fieri in aliqua parte mundi, ut pene sibi totum vindicet nox, probat Britannia: quæ lucis dives, vix quoddam spatium noctibus cedit. Aut *intempestata silet*, quia Epicurei dicunt, non ire Solem per alterum hemisphærium; sed semper his ab ortu colligi scintillas, et fieri orbem Solis. *Idem.*

Intempesta silet nox] Intempestam noctem ejusque silentium ita definit Varro ling. lat. l. v. *Cum tempus agendi est nullum.* et l. vi. *Intempesta nox, quo tempore nihil agitur.* Serv. etiam in Æn. iii. *Intempesta quasi intempestiva, inactuosa, carens actibus, per quos tempora dignoscimus.* Addit Varro lib. v. *Alii concubium appellarunt, quod fere omnes tum cubarent: alii, ab eo, quod sileretur, silentium noctis.* Cerda.

248 *Obtenta*] Obducta. Et obtenta sicut ostenta, ab eo enim, quod est *ostendor*, veteres participium *ostentus*, non *ostensus* dicebant; ipse alibi *prætentaque Syrtibus arva;* Terentius in Eunucho, *An ego occasionem mihi ostentatam tam brevem.* Similiter et illud in Phormione: *Neque me nunc domum reciperem, ni mihi esset spes ostentata hujusce habendæ.* Servius.

Densantur nocte] In Rom. cod. in Mediceo, et aliquot aliis, *densentur*, a denseo, ses. *Pierius.*

249 *Redit a nobis*] Id est, ad illos; et hoc secundum Stoicos, qui dicunt Solem vicissim per utrumque hemisphærium ire, et alternis noctem facere. *Servius.*

Diemque reducit] Ut quando discedit a nobis, et dies clauditur: tunc illic sit Aurora. *Idem.*

250 *Adflavit anhelis*] Cursu anhelantibus. *Idem.*

Nosque ubi primus equis Oriens adflavit anhelis] Sic Noster Æn. v. 739. *Et me sævus equis Oriens adflavit anhelis.* Proprie competit hoc epitheton senibus, ut Ge. ii. 135. *Senibus medicantur anhelis.* Sic Ge. iii. 497. *Tussis anhela*, quæ facit anhelos. et Æn. xii. 790. *Mars anhelus:* qui facit suspiriosos. De equis Solis Ovid. Met. ii. 153. *Interea volucres Pyroëis, et Eous, et Æthon Solis equi, quartusque Phlegon.* Emmeness.

251 *Sera*] Nocti vicina. *Servius.*

Sera] Pro sero; ut, *Seramque dedit per membra quietem.* Idem.

Vesper] Stella, quæ et Venus et Lucifer dicitur. Nam Vesper eo,

quod quibusdam mensibus vespere: Lucifer autem dicitur, quod quibusdam mane oriatur. *Idem.*

Accendit lumina vesper] Bene *accendit lumina vesper*, poëtice, ut ipse vesper accendat, non homines, et sæpe hac figura utitur: *Jam falcem arbusta reponunt.* Idem.

Vesper] Ut Censorinus de die natali c. 24. *Post supremam sequitur vespera, ante ortum scilicet ejus stellæ, quam Plautus vesperuginem, Ennius vesperum, Virgilius hesperon, appellant* Ecl. VIII. 30. *Tibi deserit Hesperus Œtam.* Et Ecl. X. 77. *Ite domum saturæ, venit Hesperus, ite capellæ.* Germanus alludi ad tempus illud putat, quod antiqui *primam facem* vocabant, cum lumina nempe erant accensa, quod est ante concubium. De *prima face*, vid. Joan. Brodæum miscell. c. 33. *Emmeness.*

252 *Hinc tempestates*] Id est, ex hac causa, ex hac ratione astrologiæ. Ex hac temporum scientia, vel siderum observatione. Et hoc contra Epicureos, qui dicunt acervum stellarum sine causa esse. Et jam conclusio est: nam hoc dicit, Non sine causa intuemur ortus siderum et occasus: hinc enim universa noscuntur. *Servius.*

Dubio cælo] Id est, etiam dubio cœlo. Et bene *dubio*, nam idem alibi *cæli fraudem* dixit, quod nunc prospera, nunc adversa ingerit. *Idem.*

Prædiscere] Prævidere. *Idem.*

Prædiscere] In Romano codice *prædicere*, quod non probatur. *Pierius.*

Tempestates dubio prædiscere cælo] Hunc locum explanat optime Plin. II. 39. *Tempestatum rerumque quasdam statas esse causas, quasdam vero fortuitas, ut adhuc rationis incompertæ, manifestum est. Quis enim æstates et hiemes, quæque in temporibus annua vice intelliguntur, siderum motu fieri dubitet? Ergo ut Solis natura temperando intelligitur anno, sic reliquorum quoque siderum propria est quibusque vis, et ad suam cuique naturam fertilis.* Emmeness.

253 *Messisque diem*] Pro tempore. *Servius.*

Messisque diem] Quamvis Servius diem messis agnoscere videatur: et exemplaria pleraque vetera eodem exemplo, cum vulgatis legant, *messisque diem;* non tamen prætereundum fuit, quod in Mediceo codice scriptum legi: *mensisque dies*, quippe bonos aut malos: cujus rei cognitio, inter agriculturæ præcepta locum obtinet suum. Et Hesiodus partem eam tanti fecit, ut opus ἔργα καὶ ἡμέρας inscripserit: neque Virgilius eandem partem dissimulavit, tametsi aliquanto brevius rem attigerit. Sane vero in Daphnide, codex idem Mediceus eo versu, *Ante focum si frigus erit, si messis in umbra, Mensis* scriptum habuit, quod modo emendatum est, ubi dubio procul *messis* esse debet. *Pier.*

Tempusque serendi] Id est, autumnale. *Servius.*

254 *Infidum*] Cui nullus potest, aut debet committere fidem. nam subito fallit hominem. *Idem.*

Marmor] Mare. *Idem.*

Infidum remis impellere marmor] Periphrasis navigationis, quando sit navigandum: vocat autem *infidum marmor*, quia multi naufragio pereunt, præsertim Veris et Autumni tempore, propter ventos. Lucilius l. II. *Infidi maris insidias, viresque, dolumque, Ut vitare velint.* Cerutus.

255 *Quando armatas deducere classis*] Id est, quando sit tempus ad agendum navale prælium. *Servius.*

Armatas deducere classis] Aut quia in puppibus infigebant arma navigantes; *ut præfigere puppibus arma;* aut instructas armamentis suis. *Idem.*

Armatas deducere classis] Multi hunc locum capiunt de classibus ad bellicum apparatum, et oppugnationem. Quæ explicatio non placet Titio l. X. locor. c. 6. Nam quid oportuit Poëtam transire ad supersti-

tiosas divinationes, cum velit docere naturales prædictiones? Erit itaque sententia: Possumus hinc discere idoneum tempus, quo naves iterum in salum deducantur, quas aliquando contingit in sicco permanere, juxta illud Horat. carm. I. *Trahuntque siccas machinæ carinas.* Itaque armatæ classes erunt, non bellicis apparatibus instructæ, sed ornatæ omnibus ornamentis, quibus egent, ut consistere in aquis possint. Juvo explicationem hanc loco Hesiodi ἔργ. II. ubi docens paria præcepta, quæ hic Maro, de eodem hoc præcepto ita ait: τότε νῆα θοὴν, ἀνέμοισι πιθήσας, Ἑλκέμεν ἐς πόντον, φόρτον δ' εὖ πάντα τίθεσθαι: *Tunc navem celerem, ventis fretus, Trahito in pontum, onus vero omne bene colloca.* Ita inclino in hanc sententiam Titii, ut putem quoque defendi posse vulgarem explicationem de oppugnationibus: nam *classis armata* proprie respondet τῷ ναυτικῷ, qua voce usi scriptores Græci, pro navibus comparatis ad bellum. Vide Bayfium. *Cerda.*

256 *Tempestivam pinum*] Opportunam, nam tempore importuno hæ cæsæ arbores cito termites faciunt; ita enim ligni vermes vocantur. nam hac re etiam rustici Lunæ cursum observare dicuntur: melius enim arbores, Luna decrescente, cæduntur. *Servius.*

Tempestivam silvis evertere pinum] In nonnullis *in silvis* legitur, sed in Mediceo codice et aliquot aliis antiquis absque præpositione *in*, legere est: *Tempestivam silvis*, quod Virgilianæ phrasi propius est. *Pierius.*

Aut tempestivam silvis evertere pinum] Hunc locum e Catone translatum esse notavit etiam Macrobius. Catonis verba sunt hæc: *At ulmeam, pineam, nuceam, hanc atque aliam materiem omnem cum et fodies, luna decrescente eximito, sine vento austro. tum vero erit tempestiva, cum semen suum maturum erit.* quibus verbis expressit Theophrasti sententiam ex libro V. περὶ φυτῶν ἱστορίας· κελεύουσι δὲ, inquit, καὶ δεδυκυίας τῆς σελήνης τέμνειν, ὡς σκληροτέρων καὶ ἀσαπεστέρων γινομένων. *Tempestivam* autem dixit alibi Theophrastus: ὡραῖα τέμνεσθαι ξύλα. *Ursinus.*

Tempestivam silvis evertere pinum] Nominat *pinum*, quia *utile lignum navigiis*, ut ait Ge. II. quasvis tamen arbores intelligit: quæ intempestivius excisæ *termites* (legend. *tarmites*) faciunt, ut notat Servius. Est autem *tarmes* Vitruvio, qui θρὶψ Græcis, ligni vermiculus. Vide Comment. Plaut. Mostell. III. 2. *Taubmann.*

257 *Nec frustra signorum obitus s. e. o.*] Perseveravit contra Epicureos. *Servius.*

Obitus] Occasus. *Idem.*

Obitus] Ortus quoque et obitus siderum Cicero opposuit l. I. de Divinat. *Seque obitu a Solis nitidos convertit ad ortus.* Et de Fato l. I. *Signorum ortus obitusque perdiscere.* Et Nat. II. *Ortus ubi atque obitus parte admiscentur in una.* Et Catull. de coma Berenices, et Paulin. Panegyr. Celsi: *Noctes atque dies ortusque obitusque vicissim Alternant.* Cerda.

258 *Temporibusque parem d. q. a.*] De rebus contrariis fecit declamationem, dicendo, parem ex diversis, vel semper sibi convenientem. Re vera enim nihil est tam contrarium inter se, quam æstas et hyems: et tamen de his annus efficitur. *Servius.*

259 *Frigidus agricolam*] Non generaliter frigidus, sed quando frigidus fuerit, et quasi titulus est, Agricolam nunquam vacuum esse debere. *Idem.*

Continet] Ut non possit, propter frigus et imbrem, agriculturam exercere. *Continet* antem Detinet et impedit. *Idem.*

260 *Multa forent quæ mox cœlo properanda, &c.*] Ordo est; Multa maturare datur, quæ forent in serenitate properanda sereno cœlo. Nam male

quidam *Forent*, esse temporis præsentis volunt: ut sit sensus, Multa sunt properanda, quæ maturare datur, mox cœlo sereno; id est, in usum cœli sereni. Quod non est idoneum, licet re vera *Fore*, tantum semper futuri sit temporis. nam *foret*, et præteritum et præsens et futurum complectitur. Sallustius, *Ni virtus fidesque vestra spectata mihi foret*, id est, esset. Et ordo est, Multa maturare datur, et diligenter facere: quæ velis cœlo sereno properanter facere, non diligenter poteris facere, dum festinas et tardius ad laborem redibis. Oportet ergo, ut dum domi resides, ea, quæ tibi præparare potes, et necessaria vides, parare studeas: ut, cum fuerit serenitas data, statim ad laborem prodeas. Sane *maturare*, duas res significat: aut in otio, et suo tempore facta, *maturata* dicuntur; aut accelerata et ante tempus acta, quod hic significat. Cato *properare* dicit *eos, qui prima quæque ordine suo maturare transigunt; festinare autem illos, qui multa incipiunt: eaque adnectendo, nec terminando præpediant*. Aulus Gellius: *mature veluti celeriter dicimus*. Nigidius, *mature fieri quod neque cito, neque tarde fiat, quod hinc debet intelligi; quia poma, quæ neque acerba sunt, neque putrida, matura dicuntur*. Idem.

Quæ forent properanda, &c.] Q. d. Multa datur tunc *maturare*, i. tempestive facere, quæ alias, urgente necessitate, subito et præter sui temporis modum facienda essent. Nam duo verba, *Properare* et *Maturare*, tanquam plane contraria scitissime separavit. *Maturum* enim est, quod neque citius est, neque serius, sed medium quiddam et temperatum: ut poma sunt matura, quæ neque cruda, neque nimis decocta, sed tempore suo adulta sunt. Temperamentum hoc rei et verbi expressit Augustus illo σπεῦδε βραδέως, *festina lente*: per quod monebat, ut, ad rem agendam, simul adhiberetur et industriæ celeritas, et diligentiæ tarditas. Vide Gellium x. 11. et Macrob. vi. 8. item N. Æn. i. *Maturate fugam*. Taubm.

261 *Procudit*] Cudendo extenuat. Id est, producit tundendo; et bene, quia præposuerat multa, enumerat singula. *Servius*.

262 *Vomeris obtusi*] Hebetis: et obtusum est, quicquid sine acumine est, vel calore: ut, *non obtusa adeo gestamus pectora Pœni*. et Antiqui tamen n litteram addebant, quod nos propter euphoniam in aliquibus detraximus, ut *obtusus*: in aliquibus remansit, ut *tunsus*. *Obtusi* autem, *reverberati et acumine carentis*. Serv.

Obtusi] Priscianus lib. x. et V. Cod. *obtunsi*. Taubmann.

Dentem] Acumen. *Servius*.

Arbore] De Arbore. *Idem*.

Lintres] Fluviatiles naviculas. Sane non sine ratione lintrium meminit, quia pleraque pars Venetiarum fluminibus abundans, lintribus exercet omne commercium, ut Ravenna, Altinum. Ubi et venatio, et aucupia, et agrorum cultura lintribus exercetur. Alii *lintres*, in quibus uva portatur, accipiunt. *Idem*.

Lintres] *Linter* hic vel navicula est, μονόξυλα σκάφη Græcis: Ein Kahn Weidling: vel vas, in quo uva portatur, ex uno itidem ligno exsculptum; ut Servius MS. apud Scaligeri Festum in *Navia* exponit. Tibullus i. 5. *Hæc mihi servabit plenis in lintribus uvas*. vel denique vas, ex quo pecora aquantur, ein Tranckrinn. *Taubmann*.

263 *Aut pecori signum, aut numeros impressit acervis*] Id est, facit aut characteres, quibus pecora signantur; aut tesseras, quibus frumentorum numerus designatur. nam *numeros* pro litteris posuit, quibus numeri continentur. Sed hoc non de æstate, qua signari vel fruges, vel animalia solent; sed de hyeme, qua

imber frigidus esse potest. Loquitur autem hoc, secundum ea, quæ aliter dicuntur, aliter audiuntur, ut dictum est. *Servius.*

Pecori signum impressit] Facit characteres, quibus pecora signantur, vel inuruntur. quod *dignorare* vocabant. Festus: *Dignorare*, i. *signa imponere: uti fieri solet in pecoribus.* Glossarium: *Dignorat*, ἀναπτύσσει, διαγινώσκει. V. N. Ge. III. 158. Vet. Cod. *impressat.* Taubmann.

Aut pecori signum] Calphurn. vers. recte emendat Rob. Tit. controvers. VII. 20. ubi *in arvo* pro *in armo.* Armentorum custodes, quo suum pecus ab alieno internoscerent, signa quædam ei imprimere consueverunt, quæ quoniam ferro candenti inurebantur, a Græcis ἐγκαύματα dicta sunt. tali signo recuperabatur equus, cujus meminit Apul. l. II. de asino aureo. De equis insignitis Anacreon Carm. LV. ἐν ἰσχίοις μὲν ἵπποι πυρὸς χάραγμ' ἔχουσι. Plura Rob. Tit. supra citato loco. noster Ge. III. 157. *Post partum cura in vitulos, &c. Continuoque notas et nomina gentis inurunt.* Emmeness.

Aut numeros impressit acervis] De numeris sive literis, quibus notabatur et discriminabatur frumentum, Andr. Schott. nodor. Ciceron. II. 6. *Idem.*

264 *Exacuunt*] Repurgant et reformant in altitudinem pristinam. *Servius.*

Vallos] Fossas, et muros de terra factos et glebis, qui fiunt in circuitu cohortium et vinearum: aut quibus aquæ ducuntur de locis aquosis. *Vallos*, quos aliqui palos, Græci χάρακας, Homerus σκόλοπας, Ælius Gallus de verbis ad jus civile pertinentibus, *vallos* tegulas grandes, quæ supra collicias infimæ ponuntur, appellat. Alii *vallos* hic quadridentes dicunt; nam vallos, qui scolopes dicuntur, ante muros poni, ut, *Rescindit vallum, et scalas in mœnia poscit.* Servius.

Exacuunt alii vallos] Fossas et muros, de terra factos, exponit Servius. Atqui hæc neque acuuntur, neque per imbres fieri possunt. Tu palos sive sudes, quorum plurimum in agris usus, præparari intelligas. *Pierius.*

Vallos exacuunt] Vallos et sudes idem significare vult Servius Ge. II. 25. *Quadriferasque sudes et acuto robore vallos.* Ita Veget. III. 8. *Supra quem valli, hoc est, sudes.* Emmeness.

Bicornis] Duorum cornuum. *Serv.*

265 *Amerina retinacula*] Virgas, de quibus vites religantur. quæ virgæ abundant circa Amerinum oppidum Italiæ, cujus crebram in Rosciana facit Cicero mentionem. Alii genus salicis dicunt, dispari colore a cætera salice: nam est rubra, et ad connectendum aptior; quia præter morem lenta est, quæ nunc quoque *Amerina* a rusticis dicitur. *Idem.*

Amerina retinacula] De hoc municipio Cic. pro Roscio Amerino cap. 6. Haud multum distat ab Ocriculo, ut Strabo v. in Umbria, ab Amiro sic appellata, teste Festo. De salicibus Amerinis, utpote aptioribus ad ligandas vites, Colum. IV. 30. Infert etiam mentionem pyrorum Amerinorum Plin. XV. 15. Et scoparum Amerinarum XXIV. 9. *Emmeness.*

Lentæ] Flexuosæ. Hic computat ea, quæ quilibet domi potest facere, dum ab agricultura pluviis impeditur; aut nimium frigus terram constringit. cuncta enim utilia sunt humano usui, quæ hic dicit, et quovis tempore possunt fieri. *Servius.*

266 *Facilis*] De qua facile aliquid fiat. Unde *faciles homines*, qui hac et illac cito ducuntur. Ergo *Facilis*, quæ cito ligetur, vel solvatur. *Idem.*

Rubea virga] Quæ abundat circa Rubos, Italiæ oppidum. Horatius, *Inde Rubos fessi pervenimus.* Id est, ea virga, quæ apud Rubos plurima nascitur. An a rubo, cujus meminit, *ferat et rubus asper amomum.* Idem.

Fiscina] Genus est vasis, id est, corbulæ brevis, quas perferunt, qui arbusta vindemiant. Lucilius in

quinto, *Fiscina fallaci cumulo*. Nævius in Andromacha: *Quod tu, mi Gnate, quæso, ut in pectus tuum demittas, tamquam vindemiator in fiscinam*. Plautus in Mercatore, *Vobiscum habete cum porcis, cum fiscina*. Idem.

Rubea] A Rubis, quod oppidum Italiæ, quare *rubia* leg. Sic censet Torrent. ad Horat. sat. I. 5. *Emmeness.*

267 *Nunc torrete igni fruges n. f. s.*] Præparate panem, quo utamini in serenitate, ne ea res impedimento sit postea: multi tamen de certo frugum genere dictum volunt. Nam far, minium, panicum, moli, nisi ante fuerint tosta, non possunt. Nam quod ait *saxo frangite*; potest accipi et pinsere, quod significat pilo tundere, quia et vulgo cavatum saxum pilum dicimus; quæ omnia fieri oportet, propter facilitatem molendi. Multi husterologiam putant, quia ante est molere, quam coquere. Nonnulli tradunt rusticos solitos, si quando ad excudendas fruges essent imbribus impediti, spicas integras condere, et prout indiguisset usus, hieme torrere; quo facilius a gluma sua separatum triticum molerent. Alii non accipiunt Husteron proteron, sed modo hoc, modo illud facito, ut diversa dixisse videatur. *Servius.*

Nunc frangite saxo] In Romano codice *saxis* est. Sed unitatis numero melius: quod in reliquis codicibus habetur. *Pierius.*

268 *Quippe etiam festis quædam exercere diebus*] Non mirum est, rusticum aliqua facere debere per pluvias, cum sint quædam, quæ facere possit etiam festis diebus. Sunt enim aliqua, quæ si festis diebus fiant, ferias polluant: quapropter et Pontifices sacrificaturi, præmittere calatores suos solent, ut sicubi viderint opifices adsidentes opus suum, prohibeant; ne pro negotio suo, et ipsorum oculos, et cerimonias deum attaminent; feriæ enim operæ deorum creditæ sunt. Sane feriis terram ferro tangi nefas est; quia feriæ deorum causa instituuntur, festi dies hominum quoque. *Servius.*

Quippe etiam festis quædam exercere diebus] De iis, quæ agricolæ licuit et non licuit facere, Colum. II. 22. et Macrob. sat. I. 16. *Emmeness.*

269 *Fas et jura sinunt*] Id est, divina humanaque jura permittunt. Nam ad religionem *fas*; *jura* pertinent ad homines. Et non sine causa hoc dictum a Virgilio, gnaro totius sacrorum ritus, ponitur. religiosi enim esse dicuntur, qui faciendarum prætermittendarumque rerum divinarum secundum morem civitatis delectum habent, nec se superstitionibus implicant. Cum ergo hic dicit, *festis quædam exercere diebus Fas et jura sinunt; et nulla relligio vetuit*: ostendit multa quæ ad rem divinam pertinent ex præcepto et posse fieri, et vitari, ab his scilicet, qui religiosi, ut supra dictum est, appellantur; quem morem Poëta agendo aliud subtiliter docuit: *Rivos deducere nulla Relligio vetuit, segeti prætendere sepem, Insidias avibus moliri, &c.* Servius.

Deducere] Id est, siccare. Nam irrigare, *inducere* est, ut, *Deinde satis fluvium inducit*. Sane sciendum, secundum Varronem, contra religionem esse, vel si irrigentur agri, vel laventur animalia festis diebus; Nymphæ enim sine piaculo non possunt moveri. Sed scimus necessitati religionem cedere: unde perite Virgil. ait: *Balantumque, &c.* Idem.

270 *Vetuit*] Prohibuit. *Idem.*

Prætendere sepem] Circundare, et opponere. Et subaudi *nulla religio vetuit*. Idem.

271 *Insidias avibus moliri*] Id est, aucupia facere. *Idem.*

Incendere vepres] Hoc etiam, sicut et priora, licet festis diebus agere. *Idem.*

272 *Balantumque gregem*] Id est, ovium. *Idem.*

Mersare] Freqnenter mergere, propter scabiem. *Idem.*

Fluvio salubri] Non est epitheton amnis, sed ad factum refertur. *Idem.*

Balantumque gregem fluvio mersare salubri] Id est, salutifero. Nam dicturus est in tertio, scabie tentari animalia, nisi laventur. De irrigatione vero nihil ad hunc pertinet locum, quia *deducere*, ut diximus, siccare significat. Sed qui disciplinas Pontificum interius agnoverunt, a die festo sine piaculo dicunt posse fieri, quæ supra terram sunt; vel quæ omissa, nocent; vel quæ ad honorem deorum pertinent, et quidquid fieri sine institutione novi operis potest, ut rivorum inductionem sic accipiamus, per fossam vel pratum purgatum deducere, id est, emittere; quoniam cautum in libris sacris est: 'feriis denicalibus aquam in pratum ducere, nisi legitimam, non licet; cæteris feriis omnes aquas licet deducere.' Ergo hic, ut aliquibus videtur; *deducere*, purgare est, et sordes emittere, quæ præcludant aquam; ideoque a Pontificibus, ut novum fieri non permittitur feriis, ita vetus purgari permittitur. Alii hoc secundum augurale jus dictum tradunt, quod etiam in bello observetur, ne novum negotium incipiatur. Ergo *rivos deducere*, non est novum negotium, et potest hoc illuc referri: *quique paludis Collectum humorem bibula deducit arena.* Sane quæ feriæ, a quo genere hominum; vel quibus diebus observentur; vel quæ festis diebus fieri permissa sint, si quis scire desiderat, libros pontificales legat. *Idem.*

Fluvio salubri] Macrob. III. 3. *Cavetur jure Pontificio, ut, quoniam oves duabus ex caussis lavari solent: aut ut curetur scabies, aut ut purgetur lana: festis diebus purgandæ lanæ gratia oves lavari non liceat: liceat autem, si curatione scabies abluenda sit.* Additque Poëtæ dictum *salubri* reddenti caussam ablutionis. Ab his non abeunt, quæ Columella II. 22. *Pontifices vetant lanarum caussa lavari oves, nisi propter medicinam. Virgilius, quod liceat feriis flumine abluere gregem, præcepit; et idcirco adjecit, fluvio mersare salubri.* Servius hanc adducit rationem ex Varrone: esse contra religionem, ut *laventur animalia festis diebus; Nymphæ enim sine piaculo non possunt moveri.* Et addit Virgilium dixisse ex mera necessitate, cui cedit religio, mersandas oves fluvio salutifero. *Cerda.*

273 *Sæpe oleo*] Et hic aut conjunctio esse debuit, ut est, *Illa Notos atque atra volans in nubila fugit*, pro et in Notos, ut esset, Sæpe aut oleo aut vilibus onerat pomis; et bene rusticorum laudat industriam. *Servius.*

Costas aselli] Aut re vera costas, aut clitellas. ut Horatius, *Hinc muli Capuæ clitellas tempore ponunt.* Idem.

Agitator] Verberator. Dictus ab agendo, ac per hoc *asinarius* dicitur. *Idem.*

Tardi aselli] Homerus quoque Iliad. B. νωθῆ vocat *tardum*. Græcum epigramma Palladæ: *υἱὸν τῆς βραδύτητος, πόνον, ὄκνον, ὄνειρον, Filium tarditatis, merum laborem, segnitiem, somnium.* Philo in lib. de Abrahamo: *τῶν ζώων τὸ νωθέστατον ὄνος, Asinus animalium omnium tardissimus.* Opp. Hal. III. *ὄνων νωθρὸν δέμας, Asinorum pigrum corpus.* Basil. homil. IX. ἐξ. *νωθὴς δὲ ὁ ὄνος. Cerda.*

Tardi aselli] Propria hæc asini sunt epitheta, quod sit *tardus, lentus.* Ovid. Am. II. 15. *Aspice, ut auritus miserandæ sortis asellus Assiduo domitus verbere lentus eat.* Sic Apul. Met. l. VII. *Videtis istum pigrum, tardissimumque nimis asinum.* Inde Arnobius l. II. asserit, *asino nullum esse tardius animal.* De lento asello fabulam etiam enarrat Phædrus I. 16. Convitii vim non raro obtinet, pro homine asinino ingenio prædito. Plaut. Pseud. I. 2. 4. *Neque ego homines magis asinos unquam vidi, ita plagis costæ callent.* Terent.

Eun. III. 5. 50. *Flabellum tenere te Asinum tantum.* Quem usum præstet hæc bestia plagarum, et penuriæ tolerantissima in vehiculis trahendis, et in labore molarum, conficiendique frumenti, exponit Colum. VII. 1. Et Apul. Met. l. IX. *Matutino me multis oleribus onustum, proximam civitatem deducere consueverat dominus, atque ibi venditoribus tradita mercede, dorsum insidens meum, sic hortum redire.* Emmeness.

274 *Vilibus pomis*] Abundantibus. quia vulgo nascuntur: ut, *Vilemque fasclum*. Servius.

Lapidemque revertens Incusum] Molam manualem cudendo asperatam, et bene verbum vulgare vitavit. *Idem.*

Revertens] Servius in Æn. v. ad illum locum, *Progredior portu, classes et littora linquens*, scribit: Finitus est versus participio: quod raro fit apud Latinos, apud Græcos vero vitiosissimum est: id quam vere dictum sit, viderint Virgilianæ, et Homericæ lectionis studiosi. *Cerutus.*

275 *Incusum*] Teste Jos. Scal. in Auson. lect. l. II. p. 145. *incusum* significat asperum. Unde illud: *Et teris incusas pumice Clasomenas.* Sic Pers. sat. II. *Si tibi crateras argenti, incusaque pingui Auro dona feram.* *Incudere* verbum esse τῆς τορευτικῆς, docet ad hunc locum Casaubonus. *Emmeness.*

Massam picis urbe reportat] Aut qui oleum vel poma portaverat ad urbem; aut certe ideo ait: *Reportat*, quia pix in agris nascitur, et in urbe distracta, in agrum a plerisque reportatur. Varro dicit, antiquos nundinas feriatis diebus agere instituisse; quo facilius commercii causa ad urbem rustici commearent; et bene per hæc omnia quæ superius dixit, ostendit ferias non pollui. *Servius.*

Massam picis] Nam priscis agricolis magnus usus fuit picis, ad musta condienda, ad vasa picanda, uti ex Plinio, Columella, Palladio, Catone probat Beroaldus contra Servium. Dissimulo hic digladiationem Florid. Succ. II. 15. contra ipsum Beroaldum. *Cerda.*

Urbe reportat] Picem in urbe emtam asello plerunque dossuario in agrum reportabant. nam pice et resina potissimum ad vina condienda tunc utebantur, ut auctor est Plinius. *Servius* hic non est *Servius.* Taubmann.

276 *Ipsa dies alios alio dedit ordine Luna*] Plenissime de lunæ diebus omnibus expressit Hesiodus, Ἤματα δ' ἐκδιόθεν πεφυλαγμένος εὖ κατὰ μοῖραν Πεφραδέμεν δμώεσσι· τριηκάδα μηνὸς ἀρίστην Ἔργα τ' ἐποπτεύειν ἠδ' ἁρμαλιὴν δατέασθαι. quam rem breviter iste prælibat. Sed est ita, ipsa quoque luna omnes dies felices dedit, sed alios aliis rebus aptos. Inde ait *felices*; et hoc est ad opera sumenda aptos. felicibus operis. Alii *felices* pro fecundis accipiunt; ut, *felicemque trahit limum*. Servius.

Ipsa dies alios, &c.] Ab hac sententia non dissimilis illa Hesiodi: Ἄλλοτε μητρυιὴ πέλει ἡμέρη, ἄλλοτε μήτηρ: *Dies alia noverca, alia mater*: cum sapore ad versum Virgilii Juven. sat. I. *Ipsa dies pulcro distinguitur ordine rerum.* Plin. XVIII. 32. dicit Virgilium in hac Lunarium dierum digestione secutum fuisse ostentationem Democriti. *Cerda.*

Ipsa dies, &c.] Quæ Hesiodus de observatione dierum felicium et infelicium tractat, ea breviter hic prælibat: parum et ipsa tamen probata Plinio XVIII. 32. Videatur Varro de re rustica, I. 37. et inprimis Politianus Epist. XII. 7. ad Picum Mirandulam. sed et Melanchthonis Notæ in Hesiodum. *Taubmann.*

Ipsa dies alios, &c.] De diebus lunaribus observandis Varro de r. r. I. 37. *Emmeness.*

Alio ordine] Hoc est, non omnes dies facit æquales; sed diversi ordi-

nis et mundi, cum ipsa sit una et eadem. *Servius.*

277 *Felices operum*] Quibus feliciter possunt opera exerceri, vel ad opera sumenda: vel certe *felices*, aptos felicibus operis. *Idem.*

Quintam fuge] Ut quinta luna nullius operis initium sumas. Dicitur enim hic numerus Minervæ esse consecratus, quam sterilem esse constat. Unde etiam omnia sterilia quinta luna nata esse dicuntur: ut, Orcus, Furiæ, Gigantes. *Idem.*

Pallidus Orcus] Quia pallidos facit. nam ipse niger est. Probus, *Orchus* legit. Cornutus vetat aspirationem addendam. Hesiod. Orcum quinta luna dicit natum. Celsus, et Jurisjurandi deum pallidum dictum, quia jurantes trepidatione pallescunt. nam apud Orcum defunctæ animæ jurare dicuntur, ne quid suos, quos in vita reliquerunt, contra fata adjuvent. *Idem.*

Orcus] Pluton, deus inferni. *Idem.*

Pallidus Orcus] Scribendum *Orchus* ex aliquot antiquis codicibus, et ex Valerii Probi præcepto, qui tria nomina Latina, post *c* adspirationem recipere tradit: *Lurcho*, *pulcher*, et *orchus*, et ita antiquiores scripsisse testatur. *Pierius.*

278 *Eumenides satæ*] Id est, natæ, et ut sæpe dictum est, κατ' εὐφημισμὸν, *Eumenides* vocantur, quod non habent bonam voluntatem, id est, mentem; sicut *Parcæ*, quia nulli parcant. *Servius.*

Nefando] Sacrilego. *Idem.*

279 *Cœum*] Nomina sunt Gigantum. Per Cœum autem et Typhœum, et Japetum, omnes gigantes intelligimus: quos quinta luna dicit esse natos. *Idem.*

Cœumque Japetumque] De hisce gigantibus, et eorum pugna, Apollod. biblioth. l. I. Et Noster Æn. VI. 580. *Hic genus antiquum terræ, Titania pubes, Fulmine dejecti, fundo volvuntur in imo. Hic et Aloidas geminos, immania vidi Corpora, qui manibus magnum rescindere cœlum Aggressi, superisque Jovem detrudere regnis.* Omnium maxime terribilis exstitit Typhoëus, Græce ἑκατόγχειρ. Ovid. Met. III. 303. *Centimanus*, qui cælitibus metum incussisse dicitur. Idem Met. V. 321. *Emissumque ima de sede Typhoëa terræ Cælitibus fecisse metum; cunctosque dedisse Terga fugæ, &c.* Emmen.

280 *Et conjuratos cœlum rescindere fratres*] Othum et Ephialtem dicit, qui fuerunt filii Neptuni, et novem digitis singulis crescebant mensibus: qua freti altitudine cœlum voluerunt evertere: sed confixi sunt sagittis Apollinis et Dianæ. *Servius.*

281 *Pelio Ossam*] Monti Thessaliæ. Pelio *o* longa est, sed fit brevis sequente vocali: ut, *sub Ilio alto*. Idem.

Imponere Pelio Ossam] Synalœpha bis neglecta poterat videri inanem eorum conatum exprimere: quod et Fabricio visum est. Hunc autem totum locum J. C. Scaliger Poët. v. 3. contra Græculorum et Criticorum subtilitatem defendit. Porro *Pelion* et *Ossa* et *Olympus* Thessaliæ montes sunt; Centaurorum stabula. Hic autem locus optime intelligitur ex Herodoti Polymnia et ex l. VI. Lucani. *Taubmann.*

Ossam] Alium montem Thraciæ. *Servius.*

282 *Involvere*] Signantur vires stupendæ, et ultro omnem modum. Quantæ illæ vires, quæ potuerunt rotare Olympum supra alios montes, et instar lapidis, emissi e funda in altum, devolvere. *Cerda.*

Olympum] Tertium montem Macedoniæ: et tertium, quasi majorem, involvere ait. *Servius.*

283 *Pater*] Juppiter. *Idem.*

Disjecit] Dejecit. *Idem.*

Exstructos disjecit fulmine montis] In Romano codice legere est *dejecit*. Exstructi enim erant montes, ita inferius *aut alta Ceraunia telo dejecit.* Majorem tamen vim, et validiorem impetum

ostendit verbum *disjecit*, ut excussos eos alio alium dicat. *Pierius.*

Pater exstructos disjecit fulmine montis] Ovid. Met. I. *Tum Pater omnipotens misso perfregit Olympum Fulmine, et excussit subjectum Pelion Ossæ.* et Fast. v. de eadem fabula: *Fulmina de cœli jaculatus Juppiter arce Vertit in auctores pondera vasta suos.* Verbum illud *exstructos montis* a Virg. sumsit idem Ovid. Fast. v. *Exstruere hi montes ad sidera summa parabant, Et magnum bello sollicitare Jovem.* Cerda.

284 *Septima post decimam fœlix*] Aut septimamdecimam dicit; aut hoc dicit, Fœlix quidem est septima, sed fœlicior decima: ut primum locum decimæ tribuat, quæ sit valde fœlix; secundum septimæ, quæ post decimæ fœlicitatem sit secunda; ut ea nulla sit fœlicior, excepta decima. Aut certe sicut quidam volunt, quartamdecimam dicit, ut fœlix sit septima duplicata: id est, cujus numerus post decimam invenitur: quo die re vera melius vites ponimus. *Servius.*

Septuma post decumam felix] In antiquis codicibus legere est: *Septuma post decumam*, ut hujusmodi pleraque. Sed non ab re fuerit locum hic apertius explicare, ut finis jam statuatur eorum solicitudini, qui tam anxie quærunt, utrum Virg. eam intellexerit Lunam, quæ jam in decrementum abit, an quid aliud sibi voluerit. Sane vero septimam separatim a decima intelligere monemur Hesiodi carmine: quem Virg. imitatur. Ait enim ille: καὶ ἑβδόμον ἱερὸν ἦμαρ. Quartam decimam vero idem domandis bubus, et curandis canibus et mulis aptam dicit. *Pierius.*

Felix et ponere vitem] Sic Heinsiana lectio. In Longobardico est: *Felix est ponere vites.* Græcanica figura, qua sæpe Virgilius et Horatius utuntur. Sed prior lectio magis placet, quia omnino verbum *est* subintelligitur: et ea lectio in Longobardico, aliena manu contaminata est. *Idem.*

285 *Domitare boves*] Instruere, quomodo possint ferre laborem arandi: et sciant ad jugum pariter incedere. *Servius.*

Licia telæ] Dicuntur illa fila, quæ stamini intexuntur. *Cerutus.*

286 *Nona fugæ melior, contraria furtis*] Non ut quibusdam imperitis videtur, Virgilius aut fugam servis suadet, aut eis indicat dies, quibus, se a rapinis abstineant. Nam et *fugam* de profectione et cursu legimus: ut, *Simul arva fuga, simul æquora verrunt;* unde velocem equum *fugacem* dicimus: et *fuga* potest etiam honesta esse; ut si quis hostem, si quis imminentem tyrannum, si quis sævum judicem fugiat. *Servius.*

Contraria furtis] Illuc spectat, ut domino sit spes inveniendi, quod amiserit, et servus rapere aliquid aufugiens formidet. *Idem.*

Nona fugæ melior] i. itineri et profectioni. nam et hoc *fuga* significat: et *fugacem equum* velocem dicimus. Tunc autem Luna lumen sufficit contra latronum furta et insidias. Alii de fuga e periculo interpretantur: et quia tunc spes sit amissa recuperandi, fures sibi metuant. *Taubmann.*

287 *Adeo*] Valde. Terentius, *Adolescentem adeo nobilem.* Servius.

Melius se nocte dedere] Per noctem melius nostro obsequuntur labori. *Nocte* autem non est adverbium, sed nomen, ablativique casus. adeo ut ei Horatius junxerit præpositionem: ut, *Ut jugulent homines surgunt de nocte latrones.* nam abverbium *Noctu* facit, sicut *Diu.* Sallustius, *Diu noctuque laborare, festinare.* Idem.

Multa adeo melius gelida se nocte dedere] In Mediceo codice, et aliquot aliis antiquis, dictiones ita transpositæ, *Multa adeo gelida melius.* Utraque lectio suavis et elegans est. *Pierius.*

288 *Sole novo*] Oriente die, et Sole

adhuc recenti, necdum fervent. *Servius.*

Sole novo] Græci ἥλιον νέον. Poëta ipse Georg. II. *novos soles.* et Æn. IV. *novo lumine.* et Ge. III. *mane novum.* Omnia ista de exortu diei Plin. XVIII. 21. *Sarculatio soles novos admittit.* Apul. l. II. *Sol novus diem fecit.* Aliter vero hic atque in Ecl. VI. hic *Sol novus*, est exoriens, ibi recens factus; versus est: *Utque novum terræ stupeant lucescere solem.* Cerda.

Aut cum sole novo] In veteribus aliquot codicibus *Vel cum* scriptum est. Sed *aut* in pluribus. *Pierius.*

Inrorat] Illustrat. Aut simpliciter *inrorat:* matutino enim tempore ros cadit. Et dicit hoc loco, et die et noctu insistendum labori. *Servius.*

Eous] Id est, lucifer: de quo etiam Cinna in Smyrna sic ait, *Te matutinus flentem conspexit Eous, Et flentem paulo vidit post Hesperus idem.* Idem.

289 *Nocte leves melius stipulæ*] Antiqui codices, quotquot legi, hoc ordine legunt, quod aliquanto ornatius est, quam *Nocte leves stipulæ melius.* Pierius.

Arida prata] Jam matura. *Servius.*

290 *Tondentur*] Secantur. *Idem.*

Noctis] Accusativus pluralis. *Idem.*

Noctis lentus non deficit humor] In Romano codice *noctes* legitur: et in Longobardico *nocte*, una minus litera. Sed enim *noctes* aut *noctis* accusativi casus, lectio castior ex Arusiano Messo dinoscitur. qui in libello de elocutionibus Virgilianis in exemplum quod eleganter *deficit illam rem* dicere possumus, Virgiliano hinc utitur testimonio, *Noctes lentus non deficit humor.* Adde vero, quod Servius exponit *deficit, deserit:* quod proxime accedit ad messem. *Pierius.*

Non deficit] Non deserit. Unde et qui deserunt exercitum ad hostes transeuntes, defectores vocantur. *Servius.*

291 *Seros ignes*] Nocturnos. *Idem.*

292 *Faces inspicat*] Incidit ad spici et aristarum imaginem. *Idem.*

Faces inspicat] *Inspicat*, findit in modum spicarum, cui multæ sunt aristæ. *Philargyrius.*

Faces inspicat] De inspicatis facibus Gratius vs. 484. Salmasius Plin. exercit. p. 1063. dicit esse lignum, minutatim concisum, in tenues astulas, veluti aristas, ut facilius flammam concipiant. Simplex *spicare* pro acuere idem Gratius habet vs. 118. ubi sermo est, de longis Macedonum sarissis: sed compositum *inspicare* hoc in loco significat in multas aristas concidere ad instar spicæ. vid Turn. advers. XXI. 25. et XXXVII. 25. qui *incidere faces et inspicare faces* idem esse vult, quod negat Vlitius ad Gratium p. 296. De faculis faciendis per hyemem lucubratione, præceptum exstat Catònis de r. r. c. 37. *Emmeness.*

293 *Interea longum cantu solata laborem*] Elegans plane et lectu dignissimum est XII. 1. in Colum. ubi de villicæ agit officio, quæ dum cura sua defungitur, cantiunculis frequenter se oblectat, et tempus fallit, quare recte Ovid. Trist. IV. 1. *Cantantis pariter, pariter data pensa trahentis, Fallitur ancillæ decipiturque labor.* Sic etiam, quod cantus levet laborem, Tibull. II. 1. per totam fere elegiam, et de textrice: *Atque aliqua assidue textrix operata Minervam Cantat, et a pulso tela sonant latere.* Emmeness.

294 *Arguto*] Sonoro, stridulo. *Servius.*

Arguto pectine] Idem epitheton pectini jungit Apul. Met. II. *Et pectinis arguti dente tenui discriminatus.* et Theodosius Imp. in l. temperant. C. de vestibus olosericis et auratis, lib. X. *Emmeness.*

295 *Aut dulcis musti Volcano decoquit humorem*] Hypermetrus versus est: unde et sequens a vocali inchoat. Bene autem ait, *Decoquit humorem.* id est, rem superfluam: sicut supra posuit, *Luxuriem segetum tenera de-*

pascit in herba. Servius.

Decoquit humorem] Hic versus longior est una syllaba, sed sine vitio, quoniam sequens a vocali incipit. *Philargyrius.*

Volcano] Id est, igne. Plaut. Amphit. I. 1. 185. *Quo ambulas tu, qui Vulcanum in cornu conclusum geris?* Noster Æn. VIII. 77. *Ac totis Vulcanum spargere tectis.* Emmeness.

296 *Trepidi*] *Trepidum* dicitur, quia, quod bullit, tremere videtur. *Servius.*

Et foliis undam trepidi despumat aheni] Sic in Mediceo et aliquot aliis scriptum observavit Pierius, et eodem teste, in Romano codice legere est *trepidis despumat ahenis.* *Trepidum* etiam agnoscit Servius. Sed Plantiniana ann. 1558. agnoscit *tepidi*, quæ lectio etiam occurrit in editione Stephani, et altera Antverpiensi a. 1570. quam habeo ex bibliotheca eruditissimi viri Arnoldi Buchelii. *Emmeness.*

Et foliis undam despumat] Ramo pampineo spumam aufert. Cum autem defrutum a defervendo sit dictum, Willichius *despumat* interpretatur *defrutat:* quomodo Columella *vinum defrutare* dixit. *Taubmann.*

Aheni] Vasis, in quo coquitur vinum, ex ære facti. *Servius.*

Aheni] Nonnulli malunt *aëni.* Probante Dausquio, spiritu deflato mollius est. De utraque scriptione luculentius disputat Gellius II. 3. *Emmen.*

297 *Ceres*] Frumentum. *Servius.*

Medio æstu] Id est, per diem, quando æstus est. *Idem.*

Medio æstu] *Medios cum Sol accenderit æstus.* ut Noster Georg. IV. 401. et Gellius V. 14. *Sole medio, rapido, et flagrante.* Apul. initio l. IV. Met. *Diem circa medium, cum jam flagrantia solis caleret.* Quando ἡμέρα ἐστὶ μέση, cum ἥλιος τὸ φλεγυῶδες ἐκλάμπεται, ut utar verbis Gregor. Nazianz. I. contra Julianum, quod tempus Ter. Ad. V. 3. 62. appellat *ipsum meridiem*, ubi Donatus: *cum sol*, inquit, *vehementior est.* Vide quæ notavimus ecl. II. 10. *Emmeness.*

299 *Nudus ara, sere nudus*] Sic Hesiodus, γυμνὸν σπείρειν, γυμνὸν δὲ βοωτεῖν, γυμνὸν δὲ ἀμᾶσθαι. Id est, adeo sereno cœlo, ut vestimentis non egeas. Sane quidam post hoc hemistichium dicitur subsecutus, *Habebis frigora, febres.* Nam non dicit nudum esse debere, quasi aliter non oporteat, aut possit: sed sub tanta serenitate dicit hæc agenda, ut et amictus possit contemni. *Servius.*

Hiems ignava colono] Quæ ignavum reddit colonum. *Idem.*

Hiems ignava colono] In Romano codice et plerisque aliis manu scriptis, *hiemps*, per sonum Græcæ literæ ψ finalem scribitur: de qua scribendi ratione Terentius Scaurus adeo sollicitus fuit, ut in præceptis suis hæc tradiderit: '*Hiems* quoque carere *p* litera debet: quia in versibus nunquam *p* nec *b* propinqua ejus respondet: sine quarum altera nusquam in Latinis ea nomina declinantur, quæ per ψ Græcam vocem efferuntur: ut princeps, celeps: quia principis, et celebis, scribitur. Hiems vero hiemis facit.' Est et *Colono*, unitatis numero in antiquis codicibus omnibus observatum. In Mediceo, una plus dictione, *colono est* legitur. *Pierius.*

Hiems ignava] Ἀεργός. Hieme colonus iners esse cogitur. Describit jam ἐν ὑποτυπώσει otia *Hiemis genialia*, sed et opera utilia. *Taubmann.*

300 *Parto*] Parato. *Servius.*

Agricolæ plerumque fruuntur] Dicit agricolas per hyemem his frui, quæ æstate paraverint. *Plerumque* dicit, quia dicturus est aliqua, quæ rusticus etiam hieme possit efficere. *Idem.*

301 *Mutua convivia curant*] Quo pacto genio indulgeant agricolæ hiberno tempore celebrandis conviviis, docet Longus Past. l. II. ὥστε αὐτοῖς τὸν χειμῶνα δοκεῖν καὶ θέρους καὶ μετοπώρου καὶ ἦρος αὐτοῦ γλυκύτερον. Mu-

tua illa convivia Pindarus appellat ἀμοιβαῖα δεῖπνα. Opp. Halieut. IV. 3. 226. ἀμοιβαῖα δεῖπνα. et IV. 71. ἀμοιβαίην φιλότητα. Quod veteres Latini, teste Gell. II. 25. et XVIII. 2. *Mutitare* vocant, pro quo mavult Turneb. XIV. 18. et cum eo Nobiliss. Heins. *mutuitare*. quem vide ad Fast. IV. 353. *Cur vicibus factis ineant convivia quæro.* De Phiditiis leg. Plutarch. in Lycurgo. Cic. in Catone. Aristot. polit. II. *Emmeness.*

302 *Invitat*] Ita Plaut. Amph. I. *Invitavit sese in cœna plusculum.* Sallust. Hist. IV. *Cum se cibo vinoque læti invitarent.* Taubmann.

Genialis hiems] Convivalis, voluptuosa. Nam quotiens voluptati operam damus, *indulgere* dicimur *genio*. Unde e contrario habemus in Terentio, *Suum defraudans genium.* Genium autem dicebant antiqui, naturalem deum uniuscujusque loci, vel rei, aut hominis. *Servius.*

Genialis hiems] Seneca epist. XVIII. *December est mensis, quo maxime civitas desudat. Jus luxuriæ publice datum est: ingenti apparatu sonant omnia; tanquam quicquam inter Saturnalia nunc intersit, et dies rerum agendarum.* Idem de tranquill. animi II. 15. *Legum conditores festos instituerunt dies, ut ad hilaritatem homines publice cogerentur, tanquam necessarium laboribus interponentes temperamentum.* Martial. XIII. 1. *Postulat ecce novos ebria bruma sales.* Emmeness.

Curasque resolvit] Quiescere facit a labore et curis. *Servius.*

Curasque resolvit] In veteribus aliquot codicibus, *curam* unitatis numero legitur: sed melius *curas*. Pierius.

Curasque resolvit] Catul. in epigr. *O quid solutis est beatius curis?* Martial. l. X. *Nox non ebria, sed soluta curis.* Sappho in Amate ad Venerem: Ἔλθε μοι καὶ νῦν, χαλεπᾶν δὲ λῦσον Ἐκ μεριμνᾶν. *Veni mihi o nunc Venus et gravibus solve curis.* Achill. Statius in Catull. *Cerda.*

303 *Pressæ carinæ*] Onerariæ. *Servius.*

Ceu pressæ] Tibull. *Presserat externa navita merce ratem.* Ex qua imitatione recte colligit German. in Virg. *pressas carinas*, esse, *oneratas mercibus.* Illud: *portum tetigere carinæ*, ita adumbrat Propert. l. III. *Ecce coronatæ portum tetigere carinæ.* et Val. Flac. Argon. I. *Visa coronatæ fulgens tutela carinæ.* Cerda.

Cum jam portum tetigere] Dat comparationem de navigantibus: quod sicut illi, expleta jam navigatione, et positis in sicco navibus, lætantur, et epulis vacant: sic etiam rustici finitis completisque æstivis laboribus, hieme convivia celebrant, et a curis solvuntur. *Servius.*

304 *Imposuere coronas*] Aut re vera coronas, aut spiras funium, accipimus. *Servius.*

Coronas] Puppi coronas imponebant, quod ibi sacrarium navigii erat: de quo Æn. X. 171. et Æn. IV. 118. vide Turneb. XIX. 2. Alii hic *coronas* accipiunt funes nauticos in modum coronæ complicatos: minus bene. *Taubmann.*

305 *Sed tamen et quernas glandes*] Sunt aliquæ derivationes, ex usu magis quam ex ratione venientes: ut *quernus*, *ficulnus*, *iligneus*, *colurnus*; a corylo, ilice, ficu, quercu. *Servius.*

Glandes stringere] Legere, excutere. *Taubmann.*

306 *Cruenta myrta*] Id est, matura. Quia matura cruoris colorem imitantur. *Servius.*

307 *Pedicas*] Laqueos, quibus pedes illaqueantur. *Idem.*

Gruibus pedicas] Inter hominis rustici voluptates. Horat. quoque Ep. II. *Pavidumque leporem, et advenam laqueo gruem Jucunda captat præmia.* Cerda.

Retia ponere cervis] Venatio cervorum ut plurimum cum retibus. Poëta ipse in Ecl. V. *Nec retia cervis Ulla dolum meditantur.* et Ge. III. *Ingenti*

clamore premes ad retia cervos. Jul. Pollux. l. v. Onomast. de cervis: *ἁλίσκονται δικτύοις*: *capiuntur retibus.* et Xenoph. de Cyri institutione I. eos ait capi *ἀρπεδόναις, laqueis, funibus.* Phrasin arripuit Ovid. Met. v. *Posuit casses.* Cerda.

308 *Auritos lepores*] Majores aures habentes. Horatius aliter ait, *Doctum et auritas fidibus canoris Ducere quercus.* Sensum audiendi habentes. *Servius.*

Auritos lepores] Macrob. VI. 5. *Auritos lepores non Maro primus usurpat, sed Afranium sequitur, qui in prologo ex persona Priapi ait: Nam quod vulgo prædicant, Aurito me parente natum, non ita est.* Observat Germanus a Græco Poëta in epigr. leporem dici, *θῆρα οὐατόεντα*: *feram auritam.* Huc spectat etymon. Volunt enim Grammatici *λαγωὸν* dici ab *οὖς auris*, et *λὰ* particula intensiva. *Cerda.*

309 *Balearis fundæ*] Hispanicæ: a Balearibus insulis Hispaniæ, ubi inventa est funda. *Servius.*

Balearis fundæ] Fundis nemo figit, sed intra insidias cogit, ubi inclusam feram jaculis petiit. ergo *ὕστερον πρότερον* est. *Baleares fundæ*, quia apud insulas Baleares fundarum usus repertus est, et *insulæ Baleares* primo *Gymnesiæ* dictæ: post vero cum a Græcis occupatæ sunt, quia cum lapidibus fundæ rotantes submoverent adversarios, qui eas incolebant, *παρὰ τὸ βάλλειν, Baleares* appellant. *Philargyr.*

Stuppea torquentem Balearis verbera fundæ] In Romano codice et aliquot aliis antiquis *stuppea* duplici *p* scriptum, ut apud Græcos. Est etiam in Romano codice *torquentes*, numero multitudinis, quod non ita placet. Quod vero *Balearem fundam* appellavit, dictum a plurimo ejus usu, qui apud Baleares est, quæ sola genti arma esse Trogus ait. Non autem, quod ibi inventa sit funda. Cujus inventores Plinius Syrophœnices memorat: Strabo vero *Ætolos.* Pierius.

Balearis verbera fundæ] Baleares insulæ circa Hispaniam sunt, quas Plin. miro elogio III. 5. appellat *fundas bellicosas.* et Livius l. XXVIII. *Nec quisquam alterius gentis unus tantum ea arte, quantum inter alios omnes Baleares excellunt.* a jactu fundarum, videlicet *ἀπὸ τοῦ βάλλειν.* Ad etymon signate Ovid. Met. II. *Balearica plumbum Funda jacit.* Ad Virgilii modulum Lucan. l. I. *Impiger et torto Balearis verbere fundæ.* Virg. supra: *Latum funda jam verberat amnem.* Cerda.

Balearis verbera fundæ] De Balearibus insulis Mela II. 7. *Baleares in Hispania contra Tarraconensia litora sitæ sunt; non longe inter se distant, et ex spatio suo cognominibus acceptis, majores minoresque perhibentur.* unde *Majorque* et *Minorque.* Præter insularum descriptionem Strabo l. III. funditores optimos esse Baleares docet: *σφενδονῆσαι ἄριστοι λέγονται. καὶ τοῦτ' ἤσκησαν διαφερόντως, ἐξότου φοίνικες κατέσχον τὰς νήσους.* Nec est, quod quispiam miretur, teste Floro III. 8. *certos ictus. quum hæc sola genti arma sint; id unum ab infantia studium. Cibum puer a matre non accipit, nisi quem, ipsa monstrante, percussit.* Non inerudita congessit Stewech. ad Veget. I. 16. *Emmeness.*

310 *Cum nix alta jacet*] In Romano codice *jecit*, una tamen corrupta littera. Sed *jacet* omnino melius. *Pier.*

311 *Quid tempestates autumni*] Verno et autumnali tempore fiunt tempestates, quando nec plena æstas est, nec plena hiems. Unde medium et confine utriusque temporis, ex conjunctione contrariarum rerum, tempestates efficit. Sane sciendum, ultimas partes, tam autumni, quam veris significare, quibus fiunt procellæ. quod de autumno, hic indicat versus, *Atque ubi jam breviorque dies, et mollior æstas*: de vere hic, *Spicea jam campis cum messis inhorruit.* Deinde ait, *Ruit.* Id est, præcipitatur, in fine est. Et in hoc talis est

sensus, Quid dicam quantum oporteat solicitum et studiosum esse agricolam tempore autumni et veris? *Servius.*

Autumni] Solemne est, tempestatem dare hoc anni tempore. Thucyd. l. VII. ἔτυχον δὲ καὶ βρονταί τινες ἅμα γενόμεναι, καὶ ὕδωρ, οἷα τοῦ ἔτους πρὸς μετόπωρον ἤδη ὄντος. Ubi vides initium autumni signari, ut a Poëta Hom. quoque Il. XVI. Ὡς δ' ὑπὸ λαίλαπι πᾶσα κελαινὴ βέβριθε χθὼν Ἤματ' ὀπωρινῷ, ὅτε λαβρότατον χέει ὕδωρ Ζεύς. Sed Calaber l. X. tempestatem exhibet εἴαρος ἀρχομένου. Reddit caussam Lucr. l. VI. cur tempestates accidant potissimum autumno, et vere; non æstate, et hieme. *Cerda.*

313 *Vigilanda viris*] Vigilanter providenda. *Servius.*

314 *Spicea jam campis*] Spicos de maturis frugibus abusive dicimus. Nam proprie est *spicus*, cum per culmi folliculum, id est, extremum tumorem, aristæ adhuc tenues in modum spiculi eminent. *Idem.*

Inhorruit] Intremiscit. *Idem.*

Spicea jam campis cum messis inhorruit] De agris, qui maturis frugibus referti sunt, *inhorrescere* dictum docet Robbertus Titius controvers. III. 23. Nam illi agri spicis ipsis atque aristis horrere quodam modo videntur, et setosi sunt. Sed vir doctus videtur lapsus. Valde pro Servio facit, a Virgilio conjungi horrentem spicam cum frumentis lactentibus. Quibus duabus notis definit ipse tempus veris ruentis inclinantisque: neque aliter illum queas explicare, nisi ineptiæ damnes. Tria enim dicit, *ver ruere, spicas horrere, frumenta lactescere.* Quid ergo inter extremum ver, et frumentum lactescens facit spica, quæ in adulta et extrema æstate? Facit etiam huc locus Homeri Il. XXIII. τοῖο δὲ θυμὸς Ἰάνθη, ὡσεί τε περὶ σταχύεσσιν ἐέρση Ληΐου ἀλδήσκοντος, ὅτε φρίσσουσιν ἄρουραι. Vides, ut una cum crescente segete horrorem conjungat. Itaque non solum agri dicentur horrere, cum segetes armatæ sunt aristis jam siccis, et adultis, veluti hastilibus; sed adhuc, cum seges ipsa tenera est, vel crescit. facit huc etiam locus Nonni Dionys. l. II. ubi ait: ταχὺ φθινομένης ἥβης. *Cerda.*

315 *Frumenta lactentia*] Adhuc tenuia, et lactis plena. Sane sciendum, Varronem in libris divinarum rerum dicere, Lactentem deum esse, qui se infundit segetibus, et eas facit lactescere. Et sciendum inter *lactantem* et *lactentem* hoc interesse: quod *lactans* est, quæ lac præbet: *lactens*, cui lac præbetur. *Servius.*

In viridi stipula] *Stipulæ* nomine pro culmo abutitur. *induceret arvis*, pro segetibus. *Philargyrius.*

316 *Flavis*] Maturis. *Servius.*

317 *Et fragili culmo*] Id est, quæ in fragili culmo erant. *Idem.*

Stringeret] Secaret. ut, *Hic ubi densas Agricolæ stringunt frondes.* Idem.

318 *Omnia ventorum concurrere*] Inter se, ut, *Mutati transversa fremunt.* Idem.

Omnia ventorum concurrere prælia vidi] In Romano codice, *consurgere*, habetur, sed *concurrere* ex Plinio castior lectio cognoscitur: apud quem ita habetur: *Virgilius messe ipsa concurrere prælia ventorum, damnosa imperitis refert. Tradunt Democritum, metente fratre ejus Damoso ardentissimo æstu, orasse; ut reliquæ segeti parceret, raperetque desecta sub tectum; paucis mox horis vaticinatio est approbata.* Pierius.

Prælia ventorum] Ovid. Metam. XIV. Sect. 12. *Aëraque et tumidum subitis conversibus æquor Astræi* (i. venti Astræo et Aurora geniti) *turbant, et eunt in prælia fratres.* Pimpontius eam tempestatem intelligit, quam per *vim tempestatis calamitosæ* significat JCtus, cujus et Cic. Verr. II. meminerit. *Taubmann.*

Prælia ventorum] Quantum damni ferant depræliantes venti terræ fru-

gibus et floribus ornatæ, Hesiodus in Θεογον. vs. 878. Αἱ δ' αὖ καὶ κατὰ γαῖαν ἀπείριτον ἀνθεμόεσσαν Ἔργ' ἐρατὰ φθείρουσι χαμαιγενέων ἀνθρώπων, Πιμπλᾶσαι κόνιός τε καὶ ἀργαλέου κολοσυρτοῦ. Emmeness.

319 *Quæ gravidam late segetem*] Eam procellam vel tempestatem innuit, quam per *vim tempestatis calamitosæ* significat jurisconsultus: cujus etiam in Verrem actione secunda meminit Cic. his verbis: *Eademque vi et injuria, dum penitus pecunias maximas cogeres, per omnes partes provinciæ, te, tanquam aliquam calamitosam tempestatem pestemque pervasisse demonstro.* German.

320 *Sublime expulsam eruerent*] Per sublime portarent erutam segetem. *Servius.*

Turbine nigro] Tempestate noxia. Horatius: *Hic niger est, hunc, tu Romane, caveto.* Idem.

321 *Culmumque levem*] *Culmus* dicitur ipse calamus: stipulæ vero folia, quæ ambiunt culmum. *Idem.*

322 *Agmen aquarum*] Impetus: ut, *Leni fluit agmine Tybris.* Est autem hic Ecbasis poëtica ad describendam tempestatem. *Idem.*

Agmen aquarum] Teste Salmasio Plin. exercit. pag. 85. *agmen* significat simpliciter fluentis aquæ motum, ut Ennius annal. l. v. *Quod per amœnam urbem leni fluit agmine flumen.* Et Solinus: *Multis aquarum agminibus auctum.* Emmeness.

323 *Fœdam glomerant tempestatem*] In describenda tempestate fœda magna erat seges imitationis in Poëtis Græcis et Latinis. Scriptores quoque passim exsultant hoc dicendi genere, et quoties incidit hæc occasio, magnifice attolluntur. Vide duas in Livio descriptiones, alteram lib. XXI. alteram XL. circa finem. Et Cœcilii apud Minutium pulcerrimam. Præterea Sulpicium l. II. sacræ historiæ, et Valer. Maxim. I. 6. Nolui nunc Poëtas indicare. *Cerda.*

324 *Collecta ex alto nubes*] Ab Aquilone, qui utique de alto flat, id est, a septentrione: et tempestates gravissimas facit. Nam Auster humilis est. ut, *Mundus, ut ad Scythiam, Riphæasque arduus arces Consurgit; premitur Libyæ devexus in Austros.* Servius.

Collecta ex alto nubes] Sic et passim νεφεληγερέτα Ζεὺς, a cogendis et colligendis nubibus. Videtur autem non inferiori dignitate a Lucretio l. I. descriptus ἐπομβρίας impetus ab eo versus initio, nec ratione fluunt alia stragemque propagant. *Germanus.*

Ex alto] Ab Aquilone, qui utique de *alto* flat, i. a septentrione, ut Serv. exponit. P. Sabinus de mari accipit, unde nubes concipiuntur. alii simpliciter, de sublimi loco, quasi ad μετέωρον respectum sit. *Taubmann.*

Ruit arduus æther] Tonitribus percrepat. ut, *Cœlique ruina.* Servius.

325 *Sata læta boumque labores*] Hesiodus: Ἔργα βοῶν δ' ἀπόλοιτο, καὶ ἡμιόνων ταλαεργῶν. Supra enim dixit: *hæc cum sint hominumque boumque labores.* quomodo Homerus: ἀνδρῶν πίονα ἔργα. et Apollonius Rhodius Argonauticorum l. IV. ἠέ τιν' ὄμβρον Ἄσπετον, ὅστε βοῶν κατὰ μυρία ἔκλυσεν ἔργα. Tyrtæus quoque apud Pausaniam in Messeniacis: εἰκοστῷ δ' οἱ μὲν κατὰ πίονα ἔργα λιπόντες. *Ursinus.*

326 *Implentur fossæ*] Homerus: πάντες μὲν ποταμοὶ πλήθουσι ῥέοντες. *Cerda.*

Cava flumina] Profunda et alta. Lucanus, *Rutubamque cavum.* Servius.

Cava flumina] Catullus *cavam paludem* dixit. Ovid. in Ibin: *cavam undam.* Cerda.

327 *Fretis spirantibus*] In motu positis. Alibi, *Qua vada non spirant, nec fracta remurmurat unda.* Servius.

Spirantibus] Motu concitatis. Æneid. X. *Qua vada non spirant, nec fracta remurmurat unda.* Taubmann.

328 *Nimborum in nocte*] Sunt quidem codices antiquissimi, in quibus *nimborum nocte* absque *in* leguntur: sed *nimborum in nocte*, ut in Mediceo

et plerisque aliis habetur, longe numerosius et elegantius mihi videtur. *Pierius.*

Corusca Fulmina] Coruscantia. ut, *Sibila lambebant linguis vibrantibus ora.* Servius.

329 *Molitur*] Agitat, et jacit. *Idem.*

330 *Terra tremit*] Terræ motus efficitur. Vel *tremit terra*, tremere videtur: et pavent hi, qui terram colunt. *Idem.*

Fugere feræ] Hoc quoque in tempestate signat Hesiod. ἔργ. II. Καὶ τότε δὲ κεραοὶ καὶ νήκεροι ὑληκοῖται. . . . Φεύγουσιν: *Bestiæ, quæ in silvis degunt, cornutæ atque incornutæ, fugiunt.* et prius dixerat: θῆρες δὲ φρίσσουσι: *horrent feræ.* Cerda.

331 *Humilis pavor*] Qui humiles reddit, ut, *Pallidus Orcus.* Servius.

Humilis pavor] Animos humiles et quasi ad terram abjectos reddens. Lucret. *correpunt membra pavore.* Taubmann.

Ille flagranti Aut Atho, aut Rhodopen] Secundum Epicureos per transitum loquitur, qui dicunt fulmina non judicio deorum, sed ex nubibus fieri. nam montes quid necesse fuerat fulminari? Athos autem mons est Græciæ, Rhodope mons Thraciæ. *Servius.*

Flagranti telo] Βάλεῖ et κεραυνῷ ψολόεντι, Hom. Ita Varro Atacin. *flagranti dejectus fulmine.* Lucret. l. VI. *ardenti sonitus cum provolat ictu.* Taubmannus.

332 *Aut Atho, aut Rhodopen*] In Romano codice, in Mediceo, et aliquot aliis antiquis *Athon* scriptum est, refragrante syllaba. Nam de declinationis usu, deque nominativo nominis, alibi dictum. *Pierius.*

Atho] Etiam Aldinæ impressionis codices *Athon* habent, sed *Atho* legendum, ut sit accusativus Græcus Atticus, cujus ultima producta, ut Voss. l. II. 24. de art. Gramm. Cicero l. III. de republ. *Athonem* habet, ut Priscian. l. VI. testatur. Montis hujus descriptionem tradit aliquam Strabo in excerptis lib. VII. Sed accuratiorem Mela II. 2. *Athos mons est adeo elatus, ut credatur altius etiam, quam unde imbres cadunt, surgere. Capit opinio fidem, quia de aris, quas in vertice sustinet, non abluitur cinis, sed quo relinquitur aggere manet. Cæterum non promontorio, ut alii, verum totus exstat, totoque longo dorso procedit in pelagus: qua continenti adhæret, a Xerxe, in Graios tendente, perfossus transjugatusque est, factus freto navigabili pervius.* Cui tanti est, de altitudine legat Vossium ad hunc locum. Stat. Theb. V. 52. tamen affirmat, miræ fuisse altitudinis: *ingenti tellurem proximus umbra Vestit Athos, nemorumque obscurat imagine pontum.* Ad hunc montem alludit Justinus II. 10. Juven. X. 174. *Creditur olim Velificatus Athos.* Pro eo Claudian. Rufin. I. 335. *seu remige Medo Sollicitatus Athos.* Italis hodie *Monte Santo.* Plurimi illic fuerunt lepores, unde Ovid. de arte am. II. 517. *Quot lepores in Atho, &c.* Vide de hoc monte Servium Æn. XII. 701. *Emmeness.*

Aut alta Ceraunia] Montes sunt Epiri, a crebris fulminibus dicti. Unum enim fulmen, quod colorat; aliud, quod transfigit; aliud, quod afflat: ut est, *Ex quo me divum pater atque hominum rex Fulminis afflavit ventis.* Servius.

Alta Ceraunia] Ἀπὸ τοῦ κεραυνοῦ, quod non raro propter altitudinem feriantur fulmine. Epiri montes sunt, Pausan. l. XV. Ἠπείρου κατὰ τὰ ὄρη τὰ Κεραύνια. Mela II. 3. in descriptione Epiri Cerauniorum montium facit mentionem, et I. 19. *Altera parte montes in Caspium pelagus obversi, Ceraunii dicuntur. Iidem alicubi Taurici, Moschi, Amazonici, Caspii, Coranici, Caucasii: ut aliis aliisve appositi gentibus, ita aliis aliisque dicti nominibus.* Interpretem vide ad hunc locum. Salmas. Plinian. exercit. p. 800. Recte *alta*, quæ Lucanus V. 653. *summa* dicit, et Horat. voce composita, od. I. 3. *acro-*

ceraunia. Pro quo Pausanias l. I. πρὸς τὰ ἄκρα τῶν ὀρῶν, ἃ Κεραύνια ὀνομάζουσι. De hoc jugo Noster Æn. III. 506. *Provehimur pelago vicina Ceraunia juxta; Unde iter Italiam, cursusque brevissimus undis.* De hoc trajectu etiam meminit Strabo l. VI. Ὁ δ' εἰς τὴν περαίαν ἐκ τοῦ Βρεντεσίου πλοῦς ἐστιν, ὁ μὲν ἐπὶ τὰ Κεραύνια καὶ τὴν ἑξῆς παραλίαν τῆς τε Ἠπείρου καὶ τῆς Ἑλλάδος. *Emmeness.*

333 *Ingeminant Austri*] Repetunt suos flatus venti. *Servius.*

Ingeminant austri] Si alicui minus placeat Pierii tertio et interpretatio ad vs. sequentem, activum pro passivo sumat, *ingeminant* pro *ingeminantur.* Quod frequenter fieri docet Vechn. hellenol. I. 12. Virg. Æn. IV. 206. *nec umquam Solvitur in somnos, oculisve aut pectore noctem Accipit, ingeminant curæ.* Idem Æn. V. 221. *Tum vero ingeminat clamor, cunctique sequentem Instigant studiis.* Emm.

334 *Plangit*] Resonare facit. Alii legunt *Plangunt:* ut sit, *nemora et littora plangunt,* id est, resonant. *Serv.*

Litora plangunt] In Romano codice, et perveteribus aliquot aliis antiquis, *plangit* scriptum est, unitatis numero: cujus suppositum est *densissimus imber.* Præterea Servius hoc idem agnoscere videtur, quum exponit *plangit,* resonare facit, licet et alterum improbet. In Mediceo abrasus est apex supra *g* litteram, et *i* vocalis tantum supra *t* apposita. Quod quidem *plangunt* prius fuisse ostendit. Est et paraphrasis addita superne: *scindunt,* ut sit active: *Austri et imber plangunt litora:* non autem *litora plangunt,* id est, *resonant,* absolute. Nam ita prorsus legendum ostendit paraphrasis, quæ supra dictionem *Austri,* atque *densissimus* sita est. Quippe *et* copulativa. *Pierius.*

335 *Hoc metuens cæli menses, et sidera serva*] Id est, duodecim signa quibus menses cognoscimus. *Servius.*

Sidera] Vel tempestates, vel planetarum motus. Sciendum autem (ut diximus) de planetis quinque, duos esse noxios, Martem et Saturnum: duos bonos, Jovem et Venerem: Mercurius vero talis est, qualis ille, cui jungitur. Unde etiam fingitur minister esse deorum: quod eorum obtemperat potestati. Hinc est quod dicit, *Quos ignis cæli Cyllenius erret in orbis.* Id est, utrum in septentrionalem, an in australem partem inclinetur: aut cui planetarum cohæreat, ut qualitatem Mercurii ex illo possis agnoscere. Cyllenius autem ignis propter stellam Mercurialem dicitur; quia in Cylleno monte Arcadiæ dicitur natus esse Mercurius. *Idem.*

Serva] Ita Menander (indice Puteano) dixit: τηρῶ τὸν ἥλιον, τά τ' ἄστρα. Hinc et Medicorum τηρήσεις. *Taubmann.*

336 *Frigida Saturni sese quo stella receptet*] Id est, nocens. ut, *Frigidus, o pueri, fugite hinc, latet anguis in herba.* Ideo autem hoc dicit, quia Saturnus deus pluviarum est. Unde etiam senex fingitur: nam senes semper novimus esse gelidos. hic autem in Capricorno facit gravissimas pluvias, et præcipue in Italia. Unde et Horatius ait, *Seu tyrannus Hesperiæ Capricornus undæ.* ut in Scorpio grandines: item in alio fulmina: in alio ventos. Unde præcipit nos scire debere, in quod se signum recipiat sidus Saturni. Sane perite ait *receptet:* ut ex frequentativo verbo nobis ostenderet Saturnum bis ad unumquodque signum reverti: quod alii planetæ minime faciunt. Solus enim est, qui et longius a Sole discedat, et bis ad unumquodque signum recurrat. *Servius.*

Frigida Saturni stella] i. e. noxia. Ecl. III. *Frigidus, o pueri, fugite hinc, latet anguis in herba.* Saturnum et Plin. II. 8. *gelidæ ac rigentis naturæ* ait. Lucan. l. X. *Frigida Saturno glacies et zona nivalis.* Idem *Deus pluviarum,* vulgo dicitur; et *Senex*

etiam, quod senes semper gelidi sint. *Taubmann.*

337 *Quos ignis cæli Cyllenius erret in orbes*] Ordo est, in quos orbes cœli erret Cyllenius ignis. Et bene *Erret*, nam planetæ vocantur ἀπὸ τῆς πλάνης, id est, ab errore. nam interdum ad austrum, interdum ad septentrionem, plerunque contra mundum, nonnunquam cum mundo feruntur. *Servius.*

Ignis Cyllenius] i. stella Mercurii, ita dicta a *Cylleno* Arcadiæ monte, ubi ipsum *candida Maja conceptum fudit*, ut ait Æn. VIII. 139. *Taubmann.*

338 *In primis venerare deos*] Post hæc cognita, da præcipue operam sacrificiis, quibus tempestates, et pluviæ possint repelli. Et mire hoc statim subjunxit: quia occurrebat, quid prodest tempestates futuras videre? Et bene ait *In primis*, præcipue, et ante omnia. nam alia neglecta possunt habere emendationem: tempestas adveniens, nisi ante prævideris, universa subvertit. *Servius.*

In primis venerare deos] Monitum hoc de conciliando divino amore, debetur Hesiodo, qui sic Ἔργ. 464. Εὔχεσθαι δὲ Διὶ χθονίῳ, Δημήτερί θ' ἁγνῇ, Ἐκτελέα βρίθειν Δημήτερος ἱερὸν ἀκτήν. Quinam Dii in agricolatione facientes adjuvent, tradit Varro r. r. I. 1. et formulas nonnullas memoriæ prodidit Cato de r. r. et Tibull. II. 1. *Di patrii, purgamus agros, purgamus agrestes, Vos mala de nostris pellite limitibus: Neu seges eludat messem fallacibus herbis, &c.* Emmeness.

339 *Annua Sacra refer Cereri*] Anniversaria magna, sicut in Æneide; *Annua quæ differre nefas:* Et *Ambarvale sacrificium* dicit. *Servius.*

Annua Sacra refer Cereri] Anniversaria magna. Æn. VIII. *Annua quæ differre nefas.* et *Ambarvale sacrificium* dicit. Etiam Turneb. XVIII. 14. *Cereales cœnas* apud Plautum hinc interpretatur opimas et lautas: quod *Cerealibus* populariter solerent Genio indulgere. *Taubmann.*

Magnæ Cereri] Quia *Ceres*, quæ et *Tellus*, dicta est *Magna mater*, quod prima Deorum et hominum sit genetrix et educatrix. et proinde *Ops* etiam nominata, ab ope præbenda: Homero etiam ζείδωρος, i. *vitæ elargitrix:* quod victum mortalibus suppeditet. Vide Vinc. Chartarium. *De Imaginib. Deorum.* Taubmann.

339 *Lætis operatus i. h.*] Aut dans operam conviviis: aut postquam opera cuncta compleveris. *Servius.*

Lætis operatus in herbis] *Operari* et *facere* pro sacrificandi verbo usurpant Latini, ut ῥέζειν ἐπὶ τοῦ θύειν. Tibull. II. 5. *Tunc operata deo proles discumbit in herba.* Horat. Od. III. 14. *Unico gaudens mulier marito, Prodeat justis operata divis.* Livius lib. I. de Tulli regis exitu, *operatum his sacris se abdidisse.* Alioqui *operari* proprie est opus facere, seu operam in aliqua re ponere. Æneid. III. *Connubiis, arvisque novis operata juventus.* Pontanus.

340 *Extremæ sub casum hiemis*] Circa finem hiemis, antequam ver incipiat. *Servius.*

Extremæ sub casum hiemis] Antiqui codices manuscripti, quotquot versavimus, *sub casu* legunt, Latino casu; præter Mediceum, in quo *casum* accusativus est: idque omnino melius. *Pierius.*

Extremæ sub casum hiemis] Hieme præcipiti, et Vere jam jam ineunte. Vide Macrob. III. 11. *Taubmann.*

Jam vere s.] Ver, pluviale tempus est: sed circa finem incipit esse serenum. Dicit ergo *vere sereno*, ut sit jam tunc et ver, et serenum. *Servius.*

341 *Tunc pingues agni*] Subaudi *sunt;* qui aut epulis, aut sacrificiis sunt apti. *Idem.*

Tum pingues agni, et tum mollissima vina] Antiqua omnia exemplaria, quotquot habui, uno exemplo legunt *pingues agni et* absque synalœpha; neque temere tot manus diversis locis atque temporibus convenire creden-

dum. Bona vero pars non *tunc*, sed *tum* utroque loco legunt: *Tum pingues agni et tum moll. vi. Tum somni dulces.* In Mediceo quidem *pingues agni et* habetur: sed *tunc* duobus locis superioribus, tertio vero *tum* scriptum. Adverto vero etiam apud Servium eundem esse verborum ordinem, quem in veteribus exemplaribus ostendimus inveniri, si cui tamen ea lectio magis placuerit, quæ in vulgatis codicibus habetur, nihil quicquam obstamus: nam et elegans et venusta ea quoque structura est. *Pierius.*

Tum pingues agni] Tempore veris agni pingues, quia adhuc sugunt. vina vero delicatissima, deposita tum asperitate, et jam defæcata; hoc enim significat *mollissima:* somni sunt dulces fortasse propter pauciores curas: umbræ vero magnæ in montibus. *Servius.*

Mollissima vina] Carentia asperitate, et defæcata. *Servius.*

Mollissima vina] *Molle vinum* dicitur maturum et suave. Ei opponitur *durum*, ut apud Terent. Heaut. III. 1. quod potui necdum tempestivum est. Sic et Græci σκληρὸν et μαλακὸν οἶνον dicunt. Turneb. XII. 8. et XXVIII. 24. Ejusmodi vinum insuave et durum Lucilius *Crucium* dixit. Alexis eleganter de vino Corinthio: Οἶνος ξενικὸς παρῆν. ὁ γὰρ Κορίνθιος βασανισμός ἐστι. De dulci elegantissime Varro: *Cape hanc caducam Liberi mollem dapem.* Taubmann.

242 *Densæ in montibus umbræ*] Quia tunc incipiunt arbores frondescere. *Servius.*

243 *Tibi*] In honorem tuum, et in tuam gratiam. *Idem.*

Adoret] Propitiet. Nam sunt, qui *adorare* ab *ador* derivent, quod ejus sit usus præcipuus in sacrificiis: sed rectius fortasse Lipsius Elect. II. 6. quæ vide. *Taubmann.*

244 *Cui tu lacte favos et miti dilue Baccho*] Id est, Cui tu liba de lacte, melle, et vino. Nam superfluum est, quod quidam dicunt, contra religionem dixisse Virgilium, licere Cereri de vino sacrificare. Pontificales namque hoc non vetant libri. Quod autem ait Plautus in Aulularia, cujus ipsi utuntur exemplo, *Cererine nuptias facturi estis? Qui? Quia temeti nihil allatum intelligo.* non est huic loco contrarium. nam aliud est sacrificium, aliud nuptias Cereri celebrare: in quibus re vera vinum adhiberi nefas erat, quæ Orci nuptiæ dicebantur; quas præsentia sui pontifices ingenti solennitate celebrabant. Alii hunc locum aliter accipiunt, ut *Miti Baccho*, non sit septimus casus, sed dativus, et duo nomina intelligimus, Liberi et Cereris: nam supra quoque ait, *In primis venerare deos.* ut sit sensus, cui Cereri, et miti Baccho favos lacte dilue: id est, eis sacrifica melle et vino permistis. *Servius.*

Favos] *Favi* vocantur ædiculæ, in quibus apes mella faciunt, quarum cellularum forma dicitur esse ἑξάγωνος. *Cerutus.*

Miti dilue Baccho] Tu agricola misce mulsum, est enim periphrasis mulsi. Dari vinum Cereri in sacris præcipit Cato in re rustica c. 134. *Idem.*

345 *Terque novas*] In sacro Ambarvali ter circum arva ducebatur hostia. Non a duobus fratribus, ut Festus, sed a duodecim, ut Plin. XVIII. 2. Gell. VI. 7. administrata fuerunt ambarvalia. De his Tibull. II. 1. et Polyb. IV. 21. Μαντινεῖς δὲ μετὰ τὴν μεταλλαγὴν αὐτῶν, καὶ καθαρμὸν ἐποιήσαντο· καὶ σφάγια περιήνεγκαν τῆς τε πόλεως κύκλῳ, καὶ τῆς χώρας πάσης. Vid. Taubm. Ecl. III. 77. et me Ecl. V. 75. *Emmeness.*

Felix hostia] Id est, fœcunda. Et dicit Ambarvale sacrificium: quod sæpe de porca fœcunda et gravida fieri consueverat. vel *fœlicem* dicit, cujus sacrificio et immolatione fœcunditas agrorum merebatur. *Serv.*

Felix hostia] Felix ibat hostia, quæ

non reluctabatur, cum ad aras duceretur, invita enim amovebatur teste Macrobio III. 5. Quin hic commendari immolationem fœcundæ porcæ dicimus Catone c. 134. et Varrone testibus de r. r. II. 4. *Sus Græce dicitur ὗς, olim θύτης ab illo verbo, quod dicitur θύειν, quod est immolare. Ab suillo enim pecoris genere immolandi initium primum sumptum videtur: cujus vestigia, quod initiis Cereris porci immolantur, et quod initiis pacis fœdus cum feritur, porcus occiditur, et quod nuptiarum initio, &c.* Emmeness.

346 *Omnis quam chorus*] *Chorus* proprie est coævorum cantus atque saltatio. *Servius.*

347 *Cererem clamore vocent*] Invocent, dari copiam frumentorum. *Idem.*

Et Cererem clamore vocent] Talia vota multa complectitur Tibullus I. 1. ex iis unum hoc convenit: *Agna cadet vobis, quam circum rustica pubes Clamet, io messes, et bona vina date.* Emmen.

349 *Torta redimitus tempora quercu*] Id est, habens in memoria victum priorem, a quo Cereris revocatus est benignitate. Nam olim homines glandibus vescebantur. *Servius.*

350 *Det motus incompositos*] Id est, saltationem aptam religioni, nec ex ulla arte venientem. Sallustius, in Catil. *Saltare elegantius, quam necesse est probæ.* Idem.

Carmina dicat] Hymnos. *Idem.*

Carmina] Hymnos in laudem Cereris. Etiam Ecl. v. 72. *Cantus* et *Saltatio* adhibetur. *Taubmann.*

351 *Atque hæc ut certis possimus discere signis*] In Romano codice, *possemus dicere* legitur: sed *possimus discere* magis receptum: nam quæ sequuntur, pertinent ad disciplinam. Et pari errore legitur paulo inferius in impressis codicibus aliquot: *Quid menstrua Luna moveret.* quum dubio procul *moneret* ex congruitate sententiæ, atque ex antiquis codicibus sit legendum: Poëta enim loquitur de præsignificatione futuræ tempestatis per sidera, quam disciplinam Græci προχειμάζειν vocant, ut Plinius. *Pierius.*

Atque hæc ut certis, &c.] *Quinta pars Libri*, quæ *Prognostica tempestatum* tractat. Quorum alia *Nautis*, alia *Agricolis*, alia *Pastoribus* familiaria. *σήματα* dicuntur Arato: unde noster pleraque transtulit: et Plinius XVIII. 24. et 35. fere recenset. *Taubmann.*

353 *Menstrua Luna*] Unde et *μήνη* dicitur. *Servius.*

Menstrua Luna] Luna Græce *μήνη* dicitur, ut Isid. XI. 1. Unde *μὴν* et mensis. De menstrua Luna, sic Catull. carm. 35. *Tu potens Trivia, et notho es Dicta lumine Luna. Tu cursu Dea menstruo Metiens iter annuum, Rustica agricolæ bonis Tecta frugibus exples.* Et *menstruum tempus* nominat Varro I. 27. *quod Luna circumiens comprehendit.* Cic. de nat. Deor. I. 31. *Menstruo spatio Luna complet.* Emmeness.

354 *Caderent austri*] Desinerent venti. Ex hoc etiam loco prognostica sunt translata de Arato, pauca de multis. *Servius.*

Caderent austri] Uti apparet ex contextu Virgilii *cadere* hoc loco est, incumbere, ad excitandas tempestates: dicit enim certa esse signa, quibus superventuras sciamus tempestates. Ita Terentius Varro in Sesquiulysse: *Adversi venti ceciderunt, quod si pergant diutius mare volvere, vereor, &c.* Aliter verbi hujus usum accepit Livius l. XXV. *Cadente jam Euro, qui per dies aliquot sævierat.* id est, cessante. Et Virg. ipse Æn. I. 158. *Sic cunctus pelagi cecidit fragor.* Sed et Ovid. Met. l. VIII. *cadit eurus et humida surgunt Nubila, dant placidis cursum redeuntibus austri.* Cerda.

Quid sæpe videntes] In antiquis aliquot exemplaribus *quod* habetur, lectio Servio agnita. In Romano tamen codice et Mediceo, *quod* indefinitum. *Pier.*

356 *Ventis surgentibus*] Flare in-

cipientibus. Unde e contrario, *Cum venti posuere*, id est, flare desierunt. *Servius.*

Aut freta ponti] Litora pelagi, quæ feriuntur fluctibus. Duo autem dicit naturalia. Futura enim tempestate, et ante ventum, fluctus moventur: et fragor auditur ex sylvis, arcana quadam ratione naturæ. *Idem.*

257 *Tumescere*] Plinius XVIII. 35. *Mare sæpe et silentio intumescit, flatuque altius solito jam intra se esse ventos fatetur. Equidem et montium sonitus, nemorumque mugitus prædicunt tempestatem.* Avienus: *traxere tumorem Æquora.* Cicero *inflatum mare* dixit. Scholiastes Arati ἡ θαλάσση, οἰδίας οὔσης, μετεωρίζεται. Vide et Turneb. VI. 4. ubi de *cæco fluctu*, et κύματι κωφῷ, Livii et Hom. disputat. *Taubm.*

Aridus fragor] Sonitus, qualis solet fieri ex aridis, cum franguntur, arboribus. Ergo *aridus*, nimius. Omne enim, quod aridum est, cum frangi cœperit, nimium efficit sonum. Fragor etiam a fractarum rerum nominatus est sonitu. *Servius.*

Et aridus altis Montibus audiri fragor] In Romano codice *arduus* habetur, sed longe castior lectio est *aridus*, ut in Mediceo et aliis scriptum; quod quidem Homericum est αὖον ἄϋσεν. *Pierius.*

358 *Aut resonantia longe Littora misceri*] Δὶς τὸ αὐτὸ, id est, bis idem dixit. *Servius.*

359 *Misceri*] Perturbari. ut, *Misceat agens telis.* Idem.

360 *Jam sibi tum curvis male temperat unda carinis*] Scias, inquit, in pelago esse gravissimam tempestatem, cum mergi ad littora confugiunt. Postea autem ait: *Jam sibi tum unda male temperat curvis carinis.* Id est, sibi non parcit, sed crescit in perniciem suam. nam in carinam scindendam consurgit. *Idem.*

Jam sibi tum curvis] In Romano codice, *jam sibi tum a curvis* legitur: una plus præpositione, ut in Æn. II. *Temperet a lachrymis.* Idque Servius etiam videtur agnovisse. *Pierius.*

362 *Clamoremque ferunt*] Id est, si cum clamore revertuntur. nam plerunque plura dicit signa, e quibus unum non sufficit, sed omnia animadvertenda: ut, *Tum cornix plena pluviam vocat improba voce. Et sola in sicca secum spatiatur arena.* Servius.

Marinæ fulicæ] Ad discretionem fluvialium. *Idem.*

363 *Fulicæ*] Dicitur et *fulix* teste Cic. de Div. *rauca fulix.* item in Arat. *cana fulix.* est autem avis aquatica, anati forma consimilis, paullo tamen minor, quæ vocabulorum horum sit confusio Salmas. Plin. exercit. pag. 92. 93. *Emmen.*

364 *Altam supra volat ardea nubem*] *Ardea* dicta est, quasi ardua: quæ cum altius volaverit, significat tempestatem. Lucanus, *Aut siccum quod Mergus amat: quodque ausa volare Ardea sublimis pennæ confisa natanti.* Servius.

Ardea] Dicta q. *ardua.* Et est ex avium *præpetum* genere, quæ altius volant. Dicitur et *avis Diomedea.* Porro, quæ de nomenclatura harum volucrum curiosius disputant Turneb. XIX. 22. et XXV. 18. et Rob. Titius in Locis Controversis IX. 16. et Yvo Villiomarus in Locos Titii, apud ipsos legi malim. Yvo quidem contra omnes adserit, *Fulicam* et *Mergum* tam differre, quam αἰθυίαν et κέπφον: et Ciceronem perperam ἐρωδιὸν, i. *ardeam* ex Arato vertisse *Fulicam*, &c. Vide mihi et Edoardum Vuottonium lib. VII. de differentiis animalium. *Taubmann.*

366 *Præcipites cœlo labi*] Sequitur vulgi opinionem. non enim omnia prudenter a Poëta dicenda sunt. Quod autem videmus e cœlo stellas quasi labi, ἀπόῤῥοιαι sunt ignis ætherii, quæ fiunt cum vehementior ventus altiora conscenderit; et trahere exinde aliquas particulas cœperit, quæ simulant casum stellarum. Nam

stellæ cadere non possunt, quarum natura est, ut stent semper; unde et stellæ vocantur. Sane sciendum est, ut ait Aratus, ab illa parte ventum flaturum, in quam ille ignis ceciderit. *Servius.*

Stellas cœlo labi] Sequitur *vel* Epicureorum deliria, qui stellas humore terreno ali nugabantur: *vel* opinionem vulgi, cui ἀπόῤῥοιαι illæ ignis ætherei putantur stellæ transvolantes aut decidulæ. *Non* enim *omnia*, ut ait Servius, *prudenter a Poëta dicenda sunt.* Seneca Nat. Q. I. 1. *Stultissimum est existimare, aut stellas decidere, aut transilire, aut aliquid illis abradi, &c.* Videatur et Plinius, et Aristoteles. *Taubmann.*

Noctisque per umbram] Sic in Romano et Mediceo codice, unitatis numero. Quod hoc loco melius, quam *umbras*, quod in nonnullis editionibus reperias. *Pierius.*

367 *A tergo albescere*] Voluit exprimere Arati τὸ ὄπιθεν ὑπολευκαίνεσθαι. *Berom.*

369 *Conludere plumas*] Moveri. Terentius, *Congrum istum maximum in aqua sinito ludere*; id est, moveri. Virgilius, *Ludere pendentes pueros.* Servius.

370 *At Boreæ de parte trucis cum fulminat*] Hoc vult dicere, Ubique ingentes efficit pluvias, ab istis ventis mota tempestas. *Idem.*

372 *Natant*] Inundantur. Cic. Philip. III. *Natabant pavimenta vino.* Vult dicere, Ubique gravissimas efficere pluvias tempestatem, ab his ventis motam. *Taubmann.*

373 *Humida vela legunt*] Colligunt. ut noster Æn. III. 532. *Vela legunt socii.* In antiquis Mss. ut Pierius, in pl. num., invenitur *legunt*: in nonnullis exemplaribus, *legit*. Emmeness.

Nunquam imprudentibus imber Obfuit] Alii *in* vacare volunt; alii augentis habere significationem: ut sit, Nunquam imber obfuit valde prudentibus. quæ res valde non sunt idoneæ. Unde melius est ita intelligere, Nunquam imber obfuit, non ante provisus: tam clara sui dat signa: ut *Imprudentibus*, ignaris accipiamus: nam hoc dicit, Nunquam nescienti nocet imber, quia se designat ante venturum. et scimus leviora esse mala, quæ ex opinione contingunt. *Serv.*

375 *Aëriæ fugere grues*] Aërii coloris; aut altum volantes. Dicit autem grues de vallibus fugere, non pluviam de vallibus surgere. *Idem.*

Aëriæ fugere grues] Juxta Plin. XVIII. 35. qui serenitatis signum esse docet, cum grues *silentio per sublime volant.* tempestatis tamen indicium est, vel, ut utar verbis Hesiod. Ἔργ. II. 405. χείματος ὥρην Δεικνύει ὀμβρηροῦ, cum grues *in Mediterranea festinant.* De gruibus quæ dicta sunt, vide 120. *Emmeness.*

Aut bucula cœlum Suspiciens patulis] Hic locus omnis de Varrone est. Ille enim sic: *Tum liceat pelagi volucres, tardæque paludis Cernere inexpleto studio certare lavandi: Et velut insolitum pennis infundere rorem: Aut arguta lacus circumvolitavit hirundo, Et bos suspiciens cœlum (mirabile visu) Naribus aërium patulis decerpsit odorem. Nec tenuis formica cavis non evehit ova.* Servius.

Aut bucula cœlum Suspiciens patulis, &c.] Sic Stat. Theb. I. *Patulo cœlum ore trahentem.* Ex Arateis Cic. *Mollipedesque boves, spectantes lumina cœli, Naribus humiferum duxere ex aëre succum.* Inter alia, vel serenitatis, vel tempestatis signa, Plin. de bobus XVIII. 35. Et *boves cœlum olfactantes, seque lambentes contra pilum.* Pro eo Theophrast. λείξας τὴν προσθιὰν ὁπλήν: Gratius Cyneg. vs. 289. *Celsasque adprensat naribus auras.* ad hunc locum v. Vlitii curas secundas p. 27. *Emmeness.*

377 *Aut arguta lacus circumvolitavit hirundo*] Ex loco supra citato Plinii constabit hoc prognosticon: *Hirundo tam juxta aquam volitans ut penna sæpe*

percutiat. Pro eo Pedo Albinovanus in Eleg. in Mœcen. obitum: *scopulis se condit hirundo, Verberat egelido garrula vere lacus*. Lacus ex Lucilio et Servio ad Æn. I. 730. scimus, tabulatum esse, quo tectorum superiora ornantur; unde lacunar. Sed hic de aquis dici crediderim. *Idem*.

378 *Et veterem in limo ranæ cecinere querelam*] Fabula duplex est. Nam ut Ovidius dicit, Ceres cum Proserpinam quæreret, ad relevandam sitim, accessit ad quendam fontem. tunc eam Lycii rustici a potu prohibere cœperunt: et conturbantes pedibus fontem, cum contra eam emitterent turpem naribus sonum; illa irata eos convertit in ranas; quæ nunc quoque ad illius soni imitationem coaxant. Sed hoc non est valde aptum. nam illa magis insultatio fuerat, quam querela: et pœnam sacrilegii juste pertulerunt. Unde magis Æsopus est sequendus; qui dicit hoc: Cum Juppiter omnibus animalibus reges daret, et ranis, ni fallor, colendum brevissimum lignum dedisset; illæ questæ et aspernatæ sunt eum, et tunc eis hydrum iratus dedit, qui vescitur ranis. *Servius*.

Et veterem] In codicibus aliquot antiquis: *aut veterem* legitur. Utrimque procedit. *Pierius*.

Veterem querelam] Quam expressit Aristoph. βρεκεκεκὲξ κοὰξ κοάξ. Auctor Philomelæ: *Garrula limosis rana coaxat aquis*. Querebantur autem ranæ (secundum Æsopum) sibi a Jove *lignum* pro rege datum esse: deinde et *hydrum*. Possis et ad Fab. referre, ubi Lycii rustici in ranas convertuntur. Quam fabulam descripsit Ovid. Met. VI. Sect. 4. *nunc quoque turpes Litibus exercent linguas. pulsoque pudore, Quamvis sint sub aqua, sub aqua maledicere tentant. Vox quoque jam rauca est*. Cicero ex Arateis: *Vos quoque signa videtis, aquai dulcis alumnæ; Quum clamore paratis inanes fundere voces, Absurdoque sono fontes et stagna cietis*. Ita Idem ad Attic. XV. 16. *Equidem etiam pluvias metuo, si prognostica nostra vera sunt. ranæ enim ῥητορεύουσιν*. *Taubmann*.

379 *Sæpius et tectis penetralibus extulit ova, &c.*] Hunc locum ex Arato tractat Plutarchus in libello de solertia animalium. Τὰς δὲ τῶν σπερμάτων διαθέσεις καὶ διαψύξεις ἐκ τῆς ὑετοῦ ποιεῖται σημεῖον ὁ Ἄρατος· Ἢ κοίλης μύρμηκες ὀχῆς ἐξ ὤεα πάντα, &c. Plura ibi de lectione hujus loci disputantem consulito, et præterea Leopardum emend. VII. 26. qui legendum ἤια censet. Formicam præsagiendi facultate præditam docet Plinius XVIII. 35. *Segniterque et contra industriam suam absconditæ formicæ, vel concursantes, aut ova progerentes, ventosum imbrem*, nempe, denuntiant. De *silicibus itinere earum attritis, semitaque facta* in opere idem luculentus testis XI. 30. *Emmeness*.

380 *Bibit ingens Arcus*] Sequitur iterum vulgi opinionem. *Servius*.

Bibit Arcus] Opinione vulgi. Vitruvius IX. 4. *Per calorem videmus non minus aquæ vapores a fontibus ad nubes per arcus excitari*. Propert. III. 3. *Purpureus pluvias cur bibit arcus aquas?* Tibullus I. 4. *Venturam amjiciat imbrifer arcus aquam*, i. aquam velut amictum inducat, ut Scalig. ibi restituit. Plautus Curcul. I. 2. *ecce autem bibit arcus! pluet Credo hercle hodie*. Hinc et *Iris nuncia* dicitur *Junonis*, i. aëris, in quo imbres. Vide et Turneb. XXIX. 31. et XXII. 23. Item Cælium XXII. 29. *Taubmann*.

382 *Corvorum exercitus*] Multitudo. *Servius*.

Corvorum exercitus, &c.] Et hoc prognosticon Arato debetur, qui sic de corvis: δήποτε καὶ γενεαὶ κοράκων καὶ φῦλα κολοιῶν Ὕδατος ἐρχομένοιο Διὸς πάρα σῆμ' ἐγένοντο. et alibi: μακρὸν ἐπιῤῥοιζεῦσι τιναξάμενοι πτερὰ πυκνά. Huic accedit Nicand. Theriac. κόραξ τ' ὀμβρήρεα κρώζων. Plutarch. in præceptis salub. κοράκων λαρυγγισ-

ϕοὺς σημεῖα πνευμάτων καὶ ὄμβρων. Lucret l. v. *Corvorumque greges, ubi aquam dicuntur et imbres Poscere.* Plinius idem XVIII. 35. Quod futura vaticinari sciant, multis probat Cerda. Quibus addo Turnebi testimonium XXII. 23. Quemadmodum apud Æschylum στρατὸς ὀρνέων, sic hoc in loco *corvorum exercitus.* et Æn. v. 824. *Phorcique exercitus omnis:* id est, dii qui sub Phorco agunt, ut Serv. *Emm.*

383 *Jam varias pelagi volucres, et quæ Asia circum, &c.*] Hæc vera lectio: et sensus talis est: Jam varias pelagi volucres, et eas quæ circum prata rimantur in dulcibus stagnis Caystri, videas certatim largos humeris infundere rores. Nam si *Jam variæ* legeris, sensus nulla ratione procedit: Caystrus autem Asiæ fluvius est. Asia vero, palus: unde fecit Asia prata. Et de palude Asia *A* longa est. nam de provincia corripitur, ut, *Europa atque Asia pulsus.* Et est Homericus versus, Ἀσίῳ ἐν λειμῶνι Καΰστρίου ἀμφὶ ῥέεθρα. *Servius.*

Jam varias pelagi volucres, et quæ Asia circum] In aliquot veteribus exemplaribus ita habet dictionum ordo, *jam volucres pelagi varias.* Quod tantundem est. In aliquot pro *et quæ Asia,* legere est *atque Asia:* sed omnino inemendate. In Rom. Cod. *varis:* quod non placet; quia enuntiatum est hujus verbi *videas,* nisi quis *varie* adverbium maluerit, ut ad varios lavationis modos, quos enumerat, referatur; *rores,* quippe, *certatim humeris infundere, fretis caput objectare, in undas currere, et lavandi incassum studio gestire:* Sed enim omnino lectio est castior, *varias pelagi volucres,* epitheto proprio. *Pierius.*

Asia circum] Ad Asiam paludem. Est enim *Asia,* sive *Asium,* (ut Serv. et Probus annotant) paludis atque etiam prati nomen, in Lydia, Caystro flumini propinqua; volucribus celebrata, et præsertim cygnis, unde *ales Caystrius* Ovidio Trist. v. 1. Atque ut hic *Asia prata,* ita Æn. VII. 701. *Asia palus* dicitur: ubi Notas vide: ut et *Asia myrtus,* Catullo Carm. LVII. Ramus putat *Asia* pro limosa etiam accipi posse: quia ἄσις, ιος, Græcis sit ἰλὺς, *limus.* Vide Interpret. ad illud Hom. Iliad. B. Ἀσίῳ ἐν λειμῶνι Καΰστρίου ἀμφὶ ῥέεθρα. *Limoso in prato Caystri circa fluenta.* Taubmann.

384 *Dulcibus in stagnis*] Nam et *salsa* sunt. *Stagnum* autem est a Gr. στεγνὸν, auctore Varrone lib. IV. quod contineat aquam. Unde *stativæ aquæ* dicuntur, quæ contrariæ sunt manantibus: ut docet *Scalig. in Conject.* Idem.

Rimantur prata] Pascuntur in pratis, cibum per terræ rimas requirentes. Nam *rimari* hinc tractum est a porcis, qui glandes rimantur de rimis terrarum. *Servius.*

Caystri] Circa Ephesum est amnis, Mela. I. 17. oritur in jugis Cylbianis. Plin. v. 29. de hoc et ejus avibus Ovid. Met. II. 253. *Fluminea volucres medio caluere Caystro.* Emmeness.

386 *Nunc currere in undas*] Vetusti codices partim *undis,* partim *undas* habent, utrumque plur. num. *Pier.*

387 *Et studio gestire lavandi*] Gestire est lætitiam suam corporis habitu significare. nam ut homines verbis lætitiam suam exprimunt, ita aves corporis gesticulatione. *Servius.*

Gestire] Ad hæc verba Donatus in Ter. E. III. 5. 7. *Gestire proprie est, sensum corporis gestu indicare: quod magis brutorum est animalium.* Nec abit a sententia Servii. *Emmeness.*

Incassum] Ideo ait, quia plumarum compositio aquam minime ad corpus admittit. *Servius.*

388 *Rauca pluviam vocat improba voce*] Rauca contra naturam suam. *Idem.*

Plena] Ita libri plerique, atque ita laudat etiam Fabius v. 9. alii tamen leg. *rauca.* Et notat Servius *Cornicem* et *rauca* voce, et *solitariam* pluvias

prædicere: *Corvos* contra, vs. 410. *Tum liquidas, &c.* Taubmann.

Et vocat] Poëtice ait: non enim vocat, sed denuntiat pluviam. Et notandum cornicem, et rauca voce, et solam, pluviam prædicere: Corvos vero serenum, et plures, et voce tenui ac purissima contra naturam suam: *Tum liquidas corvi presso ter gutture voces.* Servius.

Vocat] Putabant antiqui, cornices pluviam non tantum præsagire, sed etiam vocare. Vide Turneb. l. XXII. 23. et versus Lucret. supra, v. 382. *Taubmann.*

389 *Sola in sicca secum spaciatur*] De hoc elegantiss. signatismo, quem temere vellicant Grammatici, vide Turneb. VII. 19. et Gifan. Ind. Lucret. Sed tu mihi non tam signatismum nota, quam litteram *A* in *AquA* ponenda sexies inculcatam: itemque melancholici similem in arena incessum. *secum sola spaciatur*, sane elegantissimum. Ita in Ceiri *secum respectat Athenas.* Nostri: Bey sich selbst. *Idem.*

390 *Nec nocturna quidem*] In Romano Cod. *Ne nocturna*, sed *nec* melius. *Pierius.*

Carpentes pensa] i. Lanitium, quod lanipendiæ, aut lanificæ ad pensum datur, intra constitutum tempus expediendum. Plaut. Merc. II. 3, *ancilla pensum faciat.* Propert. III. 4. *sua pensa ministræ Carpebant.* Taubm.

391 *Testa cum ardente viderent*] Propter utilitatem noluit dicere lucernam, nec iterum lychnum: sicut in heroico carmine. ut, *dependent lychni.* Medius vero in his libris est stylus, sicut diximus supra. *Servius.*

392 *Putris concrescere fungos*] Nam, ut dicit Plinius, cum aër humidus esse cœperit, favilla quæ cum fumo solet egredi, prohibita aëris crassi[illegible]lucernis residet, et quasdam [illegible]rum imitatur imagines. *Id.*

[illegible] *concrescere fungos*] Sane [illegible]re lucerna crepitat, ex oleoque flamma aliquid exspuit micans, scintillæ fiunt: sed quæ residentes in naso lucernæ, mixta fuligine, quam flamma immiscuit, atrum quendam efficiunt fungum: ut ait Turn. XXII. 18. Servius caussam hujus concretionis ita explicat: Quum aër humidus esse cœperit, favilla, quæ cum fumo solet egredi, prohibita aëris crassamento in lucernis residet, et quasdam velut fungorum imitatur imagines. Vide et P. Victor. XXXIII. 21. *Taubmann.*

393 *Nec minus ex imbri soles*] Id est, serenitates. Et versa vice dat prognostica, quibus agnoscamus ex tempestivo cælo serenitatem futuram. *Servius.*

Nec minus ex imbri soles] Antiqui aliquot cod. *eximbres soles* legunt: ea compositione qua *exlex* et *exspes* dicitur. Sed ita deesset aliquid. Quare melior ea lectio, quæ in Mediceo codice cum vulgatis sentit. Dicente præsertim Servio, dari etiam præcepta, quibus e tempestuoso cœlo futuram serenitatem agnoscamus. *Pierius.*

Ex imbri] *Vel*, post imbrem. *vel* (ut Servio videtur) ex cælo tempestuoso: quod Arato χειμῶνοθεν est. *vel* (quod Pimpontio placet) *Ex imbri*, i. ex observatione signorum tempestatis cognosces opposita: si scil. illa prognostica quæ tempestatis sunt, abfuerint, serenitas significatur: cum contrariorum eadem sit scientia. Antiqui aliquot leg. *eximbres Soles.* Taubmann.

Aperta serena] Aër enim densatur nubilo, et rarescit sereno. ut, *Densat, erant quæ rara modo: et quæ densa, relaxat.* Servius.

396 *Nec fratris radiis obnoxia surgere Luna*] *Obtusa* subaudi a superioribus: nam hoc dicit, Nec tamen Luna videtur obtusa, quæ est radiis Solis obnoxia. nam, ut dicunt Physici, ab eo accipit lumen. *Idem.*

Nec fratris radiis obnoxia surgere

Luna] Luna *a lucendo* nominata, ut Cic. de nat. Deor. II. 27. *Luce* tamen *propria caret*, juxta Macrob. in somn. Scip. I. 19. *et de Sole mutuatur, quare necesse est eam fonti sui luminis esse subjectam, &c.* Festus in voce *mulus: Mulus vehiculo Lunæ adhibetur, quod ut mulus non suo genere, sed equis creetur, sic ea solis, non suo fulgore luceat.* Unde apud Catull. Carm. XXXV. *et notho es Dicta lumine Luna.* Ad hunc locum vide Janum Dousam F. qui indicem tradit eorum qui Lunam suo lumine lucere opinati sunt. His oppono, qui in Astronomicis alicujus momenti est, Manilium l. II. *Tu quoque fraternis sic reddis curribus ora, Atque iterum ex iisdem repetis: quantumque reliquit Aut dedit ille, refers: et sidus sidere constas.* Ideo Luna deficiens l. IV. dicitur: *exutus Phœbeis ignibus ignis.* et paullo post: *Quod Luna defecit in astris Orba sui fratris.* Quod Sol fratris nomine indigitetur, præter citatos auctores discimus ex Seneca ad Marciam c. 18. et Petr. Vict. var. lect. XXXIII. 20. Quemadmodum etiam Sol Lunæ frater, sic Luna Solis soror appellatur, ut Stat. Theb. II. 139. *donec pater igneus orbem Impleat, atque ipsi radios vetet esse sorori.* Emmeness.

Obnoxia] Si Festo fides, *obnoxius* dicitur, qui *pœnæ obligatus est propter delictum.* Quod interpretatur Acidalius in Stichum divin. et interp. p. 480. *Obnoxius*, inquit, *proprie, qui ob noxam aliquam suam alteri concedit, suo jure non utens, animi fractus conscientia.* Hujus vocabuli vim luculentius exponit Gell. VII. 17. Et Taubmannus ad Plautum in Stich. III. 2. 41. Cui loco ὁ πάνυ Salmasius, et eo non inferior J. Fr. Gronovius non mediocrem lucem adferunt. *Idem.*

397 *Tenuia*] Proceleusmaticus est pro dactylo, quam rem quotiescunque facit Virgilius, servat locum Synizesi: ut, *tenuia.* item et, *Genua labant.* Nubes tenues, pro velleribus accipiendæ. *Servius.*

Tenuia] Proceleusmaticon *Tenuia* sæpe usurpat Virg. nam Ge. II. *vellera tenuia*, et Ge. IV. *tenuia spiramenta.* Rhemnius Fannius, sive, ut alii volunt, Priscian. *tenuior unda.* Pers. V. *tenuia rerum Officia.* Sil. VI. *tenuis opum.* Cerda.

Tenuia vellera] i. flocci, qui sunt illa κροκίδια et particulæ a panno et velleribus obvolantes. Vide Turneb. et Pimpont. in Paralipom. Virgil. ubi docetur *vellerum* nomine etiam plumam venire. Sic autem Noster appellat nubes attenuatas, ad lanæ similitudinem: de quibus Plinius XVIII. 35. *Si nubes ut vellera lanæ spargentur multæ ab Oriente, aquam in triduum præsagiant.* Lucan. l. IV. *Phœbus aquis densas in vellera nubes Sparserat.* Etiam Martial. IV. 3. *densum tacitarum vellus aquarum*, nivem vocat. *Taubmann.*

399 *Dilectæ Thetidi Alcyones*] Ceyx filius Luciferi, habuit uxorem Alcyonem: a qua cum prohibitus isset ad consulendum Apollinem de statu regni, naufragio periit. Cujus corpus cum ad uxorem delatum fuisset, illa se præcipitavit in pelagus. Postea miseratione Thetidis et Luciferi conversi sunt ambo in aves marinas, quæ *Alcyones* vocantur. Sane sciendum est, quod cum de muliere dicimus, hæc Alcyone facit: cum de avibus, hic et hæc Alcyon, hi et hæ Alcyones. Istæ autem aves nidos faciunt in mari, media hieme. Quibus diebus tanta est tranquillitas, ut penitus nihil in mari possit moveri. Inde etiam dies ipsi *Alcyonia* nominantur. *Servius.*

Dilectæ Thetydi Alcyones] Plurimum Alcyon sine adspiratione scribi, docet Dausquius. Fabula de Ceyce et Alcyone notior est, quam ut hic narretur. Aves marinæ factæ sunt, quæ dum nidos extruunt in mari, mitescit mare, et fit tranquillum, ut excludere pullos suos queant. Describit eas Plinius X. 32. *Fœtificant*

bruma, qui dies Alcyonides vocantur, placido mari per eos, et navigabili. Faciunt septem ante brumam diebus nidos, et totidem sequentibus pariunt. De admirandis nidis illic plura. De septem diebus, quibus Alcyones nidulantur, Gell. III. 10. Pierius l. XXV. hieroglyph. Ovid. Met. XI. 745. *Perque dies placidos hiberno tempore septem Incubat Alcyone pendentibus æquore nidis.* Inde facile intellectu est illud Plautinum in Prol. Casin. vs. 25. *Ludus datus est argentariis. Tranquillum est. Alcedonia sunt circa forum.* Idem in Pœn. I. 2. 143. *Tranquillum quam mare est olim, cum ibi Alcedo pullos educit suos.* Ex Festo hoc constat *Alcedo* ab antiquis pro *Alcyone* dictum. *Em.*

Non ore solutos] Scilicet manipulos. Alii *soluto ore* accipiunt, id est, nimium patenti. *Servius.*

400 *Immundi*] Luto gaudentes. Horatius, *Et amica luto sus.* Idem.

Immundi sues] Ut Horatio dicitur Epist. I. 2. *Amica luto sus.* sic Colummell. I. 4. *In pastu locus huic pecori aptus uliginosus, quod delectatur non solum aqua, sed etiam luto.* et paulo post: *Prodigunt in lutosos limites et lustra, ut volutentur in luto, quod est illarum requies, ut lavatio homini.* Aratus: *οἱ δὲ σύες φορυτῷ ἐπιμεργαίνουσαι.* De ipso prognostico ita Plinius XVIII. 35. *turpesque porci alieno subsultu manipulos fœni lacerantes.* Emmeness.

401 *Magis ima petunt*] Deprimuntur ad valles. *Servius.*

403 *Nequicquam seros exercet noctua cantus*] Id est, non. Persius, *Nequicquam fundo suspiret nummus in imo.* Item Virgilius, *Et summo clypei nequicquam umbone pependit.* Idem.

Noctua] Avis est, lucifuga: quæ significat pluviam, si cecinerit post Solis occasum. De hac autem talis est fabula. Nyctimene postquam cum patre concubuit, et agnovit facinus esse: in silvis se abdidit; et lucem refugit: ubi deorum voluntate conversa est in avem: quæ pro tanto facinore omnibus avibus est admirationi. *Idem.*

Noctua] Plinius: *Vespertinum Noctuæ silentium, serenitatis est præsagium: contra garrulitas, pluviæ.* Cur autem noctua sive Νυκτιμένη sit *lucifuga*, vide apud Ovid. Met. II. sect. 12. *Taubmann.*

404 *Sublimis in aëre Nisus*] Nisus rex Megarensium, pater Scyllæ, de quo plenius in Bucolicis diximus. *Idem.*

Sublimis in aëre Nisus] In Romano Cod. *in æthere.* Sed omnino melius *in aëre.* Quia paulo post sequitur, *Secat æthera pennis.* Missum facio, *sullimis*, *b* in *l* mutata: quod plerique codices antiqui scribunt. *Pier.*

Nisus] Quo pacto Nisus, rex Megarensium, in volucrem, quæ *haliæetus* sive *falco* nuncupatur; et item filia ipsius *Scylla*, (quæ amore Minois hostis capta, patri fatalem capillum præsecuerat) in *Cirin* sive *egrettam* mutati sint, docuit Ovid. Metam. VIII. initio; Noster ex industria in cultissimo et fortasse supremo Poëmatio, quod Megaris, quo secesserat, motus memoria rei et loci, scripsit, et *Ceiris* inscripsit. Pausanias in Atticis. Alii hæc aliter: sed mihi placet Scaligerum sequi, cujus Notas in id Poëmation vide. *Taubmann.*

405 *Pœnas dat*] Adversante sibi patre. Scylla ejusdem Nisi filia, quæ patri suo abscissam comam purpuream Minoi obtulit contra patrem pugnanti, et inde in avem conversa est: quas aves dicit nunc discordes nimis esse inter se. *Servius.*

Pœnas dat] Ita Æn. II. *Pœnas dant sanguine Teucri.* et Æn. VI. *dantem Salmonea pœnas.* et VIII. *Quas pœnas mihi, Turne, dabis.* Sumsit ex Græcis, qui sæpe *δοῦναι δίκην.* *Cerda.*

Pœnas dat] Quia patri fatalem crinem sacrilega manu absciderat. Propert. III. 18. *Tuque o Minoa venundata Scylla figura, Tondens purpurea regna paterna coma.* De hoc

crine, Ovid. Met. VIII. 10. *Crinis inhærebat magni fiducia regni.* in seq. vers. tota fabula. *Emmeness.*

406 *Fugiens*] Patrem scilicet. *Serv.*

Æthera] Aërem. *Idem.*

407 *Atrox*] Crudelis et immitis. *Idem.*

Stridore] Sonitu alarum. *Idem.*

410 *Tum liquidas corvi presso ter gutture voces, &c.*] Plinius in naturali historia dicit corvos esse obliviosos, et plerunque minime ad nidos suos reverti. sed quadam ratione naturæ hæc congerunt ad suos nidos, quæ vermes possint creare: ex quibus relicti eorum pulli aluntur interdum. Horum oblivionem probat etiam ex rebus, quas cum absconderint, derelinquunt: quod etiam mustelæ dicuntur efficere. *Idem.*

Liquidas voces] Claros sonitus, qui impediuntur imminente tempestate. Aëris subtilitas facit vocem magis sonoram, quæ cum proficiscitur a corvis, serenioris cœli est indicium, ut Plin. XVIII. 35. Obscuram vocem amittunt, mutata tempestate, ex sententia Lucret. l. v. *Et partem mutant cum tempestatibus una Raucisonos cantus, &c.* Emmeness.

411 *Ingeminant*] Quod Virgilius dixit, *ingeminant*, Plinius XVIII. 35. *continuant*, scripsit: nihil enim aliud est ingeminare ter, et quater, quam continuare. *Cerutus.*

Cubilibus] Id est, nidis, in quibus cubant, ἧχι κείουσιν, ut Aratus, non ubi pullos habent. Cubile ferarum aliarumque bestiarum esse receptaculum, docui superius vs. 183. Sic pro alveario, Ge. IV. 45. *Rimosa cubilia.* Emmeness.

413 *Inter se foliis strepitant*] Ut Pierius in Mediceo, et antiquis fere omnibus exemplaribus *in foliis;* sed locutio Virgilio nostro perquam familiaris, ut vs. 411. *cubilibus altis*, et vs. 432. *Sin ortu quarto.* Phædr. I. 2. *ranæ vagantes liberis paludibus.* et sexcenta talia. *Idem.*

Imbribus actis] Exactis et jam desitis. Dicunt autem corvos, pullorum oblitos, serenitatis præsagio admoneri reditus. Nam oblivione potius quam ἀστοργίᾳ pullos negligere traduntur. Ita Fast. II. distichio 128. Corvus aquatum missus, *Immemor imperii sedisse sub arbore fertur.* Taubmann.

415 *Haud equidem credo*] Proponit sibi quæstionem acerrimam, et de intima philosophia: quam tamen tota facilitate dissolvit. Nam quærit cur homines, quos constat esse prudentiores animalibus, per se non sentiant qualitatem aëris futuram, sed eam magis ex aliis animalibus colligant. Et hoc dicit, homines prudentiam habere naturalem; et suo judicio posse vel lætos esse vel tristes, quæ res in hæc animalia cadere minime possunt, quæ nihil suum habentia, naturam aëris sequuntur: et pro ejus qualitate, aut læta videntur, aut tristia: nec prædicere aëris naturam videntur; sed eam vel prosperam, vel adversam advenientem sequuntur. Nos vero et læti inter nubila esse possumus, et in serenitate soliciti. *Servius.*

Haud equidem credo] Ἐπιείκεια orationis: ut cum alibi dicit; *Reor: si credere dignum est: ut perhibent.* De quo Scalig. IV. 1. item III. 26. ubi hos versus divinos laudat. tu vide ibid. *Taubmann.*

416 *Aut rerum fato prudentia major*] Id est, non est illis divinitus concessum ingenium, nec prudentia, quæ est major rerum fato: Alibi, *metus omnes, et inexorabile fatum Subjecit pedibus.* Servius.

418 *Juppiter*] Aër: ut Horatius, *Manet sub Jove frigido Venator.* Idem.

Juppiter humidus austris] Apollonius Rhodius l. II. Διὸς ἰκμαίοιο. Quem locum explicans interpres, ita scribit: ἰκμαίου, τοῦτ' ἔστι διύγρου, ἐπεὶ αἴτιος γέγονε τῆς πνοῆς τῶν ἀνέμων. *Ursinus.*

419 *Densat*] *Denset* legendum per secundam conjugationem ex veteri-

bus exemplaribus, non *denset*. ita etiam Lucret. l. I. *Nec tali ratione potest denserier aër*. Iterum: *quia se condenseat aër*. Ovid. Fast. III. *et rarum pectine denset opus*. Apul. de Mundo: *Si aër actus in nubem, nubilum denset*. In Horat. quoque od. I. 28. docti agnoscunt hanc lectionem: *Mista senum ac juvenum densentur funera*, non *densantur*. Prudent. hym. 5. cathem. *Densetur cuneis turba pedestribus*. Et in Hamat. *agmina denset*. Plin. XX. 14. de mentha herba: *densere lac non patitur*. Ad eundem modum in Catull. *tardet* pro *tardat* legendum sentit Scal. ex consensione veteris scripturæ, in eo versu: *tardet ingenuus pudor*. Cerda.

Denset] Æn. v. *in nubem cogitur aër*. *Denso* autem Vett. et denseo agnoscunt. Vide Priscian. l. VIII. p. 837. *Emmeness*.

Relaxat] Rariora reddit, et quasi aperit. unde vs. 393. *aperta serena*. Jam et Philosophi quidam *Densum* et *Rarum*, πύκνωσιν καὶ μάνωσιν, principia fecerunt. Vide Pimpont. *Idem*.

420 *Et pectora motus Concipiunt*] In antiquis aliquot codicibus *pectore* legitur sing. ablativo, ut *species* sit suppositum. In Mediceo, *pectore*, est alia scriptione. *Pierius*.

422 *Avium concentus*] Commistus cantus, id est, symphonia. *Servius*.

423 *Lætæ pecudes*] Aëris serenitate gaudentes. *Idem*.

424 *Solem ad rapidum*] Velocem. Et notandum, hæc signa magis fida et subtiliora esse, quæ ex Sole et Luna colligimus. *Idem*.

Lunasque sequentis Ordine respicies] Non ordinem respicies, sed *Ordine*, id est, rationabiliter Solem sequentes. Luna enim Solis circulum sequitur, licet ipsa sit inferior. Donatus dicit *Lunas*, noctes accipiendas: sed male. non enim signa, quæ dicturus est, ex nocte, sed ex luna colligimus. *Idem*.

425 *Numquam te crastina fallet Hora*] Hyperbole est: ne hora quidem te decipiet. *Idem*.

426 *Neque insidiis noctis capiere, &c.*] Decipieris. Nam Aphæresis est, et plerunque scimus nos decipi serenitate. *Idem*.

Insidiis noctis serenæ] Tale illud Æn. v. *et cæli toties deceptus fraude sereni*. Cerda.

Insidiis noctis] Æn. v. *cæli deceptus fraude sereni*. Quamvis enim nox serena sit, sequens dies pluvius est. *Taubmann*.

427 *Revertentes cum primum colligit ignis*] Cum incipit renasci. *Servius*.

428 *Obscuro cornu*] Non clare lucenti. *Idem*.

Si nigrum obscuro comprenderit aëra cornu] Mediceus codex et antiqua omnia exemplaria, quæ legi, *aëra* habent quarto casu. manifestum enim est obscuritatem eam, quæ lunaribus cornibus obvenit, aëre ex obfuscato procedere. Sed enim Varro *Obstrum cornu* appellat, ut Virg. *nigrum*. Observat enim ille modo summum, modo infimum, modo utrumque cornu obstrum, modo mediam inter utrunque partem obfuscatam, variis itidem temporibus pluvias portendere: quare magis placet ea lectio, quæ nigrum ait cornu obscuro aëre. *Pierius*.

Si nigrum obscuro] De hoc præsagio Arat. ἄλλοθι δ' ἄλλο μελαινομένη, δοκέειν ὑετοῖο: *Alias aliter nigricans, conjicito pluriam*. Basil. Hom. VI. Hex. παχεῖα δὲ ταῖς κεραίαις φαινομένη ὄμβρον λάβρον ἀπὸ νεφῶν: *Si fuerit crassa cornibus aquam e nubibus impetuosam*. Plin. *Si nigra, pluvias portendere creditur*. Iterum: *nigrescens, imbres*. In extremo loco de plenilunio loquitur. Allusit Claudian. de Bel. Gild. qui ociosos putat, qui notaverint, an Luna *conceptis livescat turbida cornis*. Lucan. l. v. exsequens præsagia tempestatis: *Lunaque non gracili surrexit lurida cornu*. Iterum: *tum lurida pallens Ora tulit vultu sub nubem tristis ituro*. Politian. de suo Rustico: *sin atra recedat, Tecta subit metuens hiemen*. Veg. l. I. *color cæruleus indicat pluvias*. loquitur

de Luna, et cæruleum colorem pro nigro aut fusco posuit. Ptolomæus etiam dixit, Lunam, si fuerit *μέλαινα, ὠχρὰ, παχεῖα*, *nigra, pallida, crassa*, esse *χειμώνων καὶ ὄμβρων δηλωτικήν*: *Indicem hiemis atque imbrium.* Extremum alius mihi suppeditavit. Ex his omnibus collige locutiones. Nam in sermone Lunæ idem sunt Græcis *μέλαινα, ὠχρὰ, παχεῖα*, et Latinis, *nigror, livor, luror, atricies, color cæruleus.* Cerda.

429 *Maximus agricolis pelagoque parabitur imber*] Id est, si non habuerit pura cornua, et intra eam nigrum aërem videris, erit ubique pluvia: sicut supra, *omnia plenis Rura natant fossis, atque omnis navita ponto.* Servius.

430 *Si virgineum suffuderit ore ruborem*] Si forinsecus habuerit ruborem. nam de interiori parte, *infuderit* diceret. *Idem.*

431 *Aurea*] Id est, pulchra; ut, *At non Venus aurea contra.* Idem.

Phœbe] Id est, Luna. Venit autem ab eo quod est Phœbus. Et sciendum quædam propria nomina fœmininum ex se facere; neutrum autem nulla: ut Phœbus, Phœbe: Iulius, Iulia: Tullius, Tullia. non ut appellativum, doctus, docta, doctum. *Idem.*

Vento semper rubet aurea Phœbe] Non semper, sed potius plerumque, ex antiquorum nempe sententia, qui de Luna, nescio quid fabularum commenti sunt; nam ut Turnebus advers. XXII. 23. existimatum est a veteribus, Lunam carmine magico sollicitatam rubore suffundi, velut verecundantem, aut etiam noctu veneficarum facta cernentem: Horat. sat. I. 8. *Lunamque rubentem, Ne foret his testis, post magna latere sepulchra.* Quod et in defectu quoque ei evenire veneficiis credebant: Ovid. Am. II. 5. *Quale rosæ fulgent inter sua lilia mistæ: Aut ubi cantatis Luna laborat equis.* Papinius Thebaid. IV. *qualis per nubila Phœbus Atracia rubet arte color.* Emmeness.

432 *Sin ortu quarto*] Aratus tertiam dicit animadvertendam esse Lunam: hic quartam, non illud improbans, sed hoc magis probans. nam ad hoc pertinet, *Namque is certissimus auctor.* Servius.

433 *Pura neque obtusis*] Sic in veteribus codicibus legitur, collisione illa nescio quid mollius sonante, quamvis nonnullæ editiones *nec* habeant. *Pierius.*

Pura] De præsagio Lunæ puræ ac splendide micante Arat. *πάντη γὰρ καθαρὴ, καὶ μάλ' εὔδια τεκμήραιο*: *Omnino pura cum sit, serenitatem observato.* Plin. *Si splendens exorta puro nitore fulsit, serenitatem.* Iterum: *si plenilunium per dimidium pura erit, dies serenos significabit.* Veget. *lætus orbis, ac lucidus serenitatem navigiis repromittit, quam gestat in vultu: præcipue si quarto ortu, neque obtusis cornibus rutila, neque infuso fuerit humore fuscata.* Cerda.

Obtusis cornibus] Hæc locutio in Luna ducta est a Græcis, nam Aratus: *παχίων δὲ, καὶ ἀμβλείῃσι κεραίαις*: *crassa, et obtusis cornibus.* Iterum de eadem: *ἢ νότῳ ἀμβλύνεται*: *si Austro hebetatur.*—*καθαρὸν φάος ἀμβλύνηται*:—*lucidus fulgor hebetetur.* Plin. *in quinta, cornua ejus obtusa.* Virgil. de stellis: *acies obtusa.* Arnob. l. II. *obtusi hæc luminis, acutioris illa et fulgidæ claritatis.* Cic. II. Academ. apud Non. per *hebetudinem* expressit: *Quid? Lunæ quæ lineamenta sint, potesne dicere? cur ejus nascentis alias hebetiora, alias acutiora videantur cornua?* Idem.

434 *Et qui nascentur ab illo*] In Romano codice *nascetur* unitatis numero: quod non probatur: sicuti neque etiam *nascuntur*, instanti tempore: ut habetur in Longobardico. *Pierius.*

435 *Exactum ad mensem*] Usque ad mensis ultimam partem. Unde et *exacti menses* dicuntur, qui circa partum sunt. Ipse in sequentibus, *Exactis gravidæ cum mensibus errant.* Serv.

436 *Votaque servati solvent in litore nautæ*] Solvebant enim litoralibus diis

et plurimum Castori et Polluci, qui ab itinere erant reduces, vota in navigatione, vel periculo nuncupato. Hinc Catull. carm. IV. *Nec ulla vota litoralibus diis Sibi esse facta, cum veniret a mare Novissimo hunc ad usque limpidum lacum.* Voti exemplum habes apud Tomasin. de donariis c. 25.

CASTORI. ET. POLLVCI
SACRVM
OB. FELICEM. IN. PATRIAM.
REDITVM. TOT. SVPERATIS.
NAVFRAGII. PERICVLIS
.... EX. VOTO. CVM.
SOCIIS.
L. M. P.
C. VALERIVS. C. P. AGELLVS.
....

Loco hoc citato plura. *Emmeness.*

437 *Glauco et Panopeæ et Inoo Melicertæ*] Glaucus piscator fuit de Anthedone civitate: qui cum captos pisces super herbam posuisset in littore; et illi, recepto spiritu, rursus mare petissent: sensit quarundam herbarum potentiam, quibus conversus est in numen marinum. Panopea autem est Nympha marina. *Inoo* autem patronymicum est a matre Ino. Melicerta, proprium numinis. Sane Ino et Melicerta filius, postquam sunt in numina commutati, Græce Palæmon et Leucothoë sunt appellati: Latine Portumnus, et Mater Matuta. His ergo numinibus dicit mox sacrificaturos nautas in littore eis diebus quibus prædicta serenitas affuerit: eo quod sint in mari servati. *Servius.*

Glauco, et Panopeæ] Versus e Græco Parthenii, quo magistro in Græcis Virgilius usus est, auctore Macrobio v. 17. Vide Gell. XIII. 25. et Pontanum in Actio. *Marinis* autem *diis*, quos Catullus Carm. IV. *Littorales* vocat, in periculis vovere solebant: si littus attigissent, vota persoluturos: Turneb. XXV. 21. *Glauci* ἀποθέωσις describitur ab Ovid. Met. XIII. sect. 15. *Taubmann.*

Panopeæ] *Panopea* (sive *Panope*) Doridis nymphæ F. παρὰ τὸ πᾶν, καὶ τὸ ὄπτω, ut *fons pellucidus unda*, Ovid. *Idem.*

Inoo Melicertæ] Inus filio. Sane *Ino*, et *Melicerta* filius, postquam sunt in numina commutati, Græce *Leucothoë et Palæmon* sunt appellati. Latine *Albunea* sive *Mater Matuta*, et *Portumnus*. Vide Æn. v. 823. *Inousque Palæmon*. et Ovid. Met. IV. sect. 12. *Idem.*

Glauco, et Panopeæ, et Inoo Melicertæ] Ut infirmioribus etiam manum porrigamus, scandendus est versus, quem grammatici nonnulli male dividunt. Sic igitur dicamus more Asgri. *Glauco.* spon. *et Pano.* dact. *peæ et.* dact. *Ino.* spon. *o Meli.* dact. *certæ.* spon. *Panopea* vero ex vi nominis serenitatis Deam, et tranquillitatis auctorem significat: prospectumque undecunque clarum et apertum. Nam quæ procelloso cælo clausa fuerant, dispulsis nubibus, cuncta aperiuntur: obtutuique nostro liquido se offerunt. idque ostendit πᾶν καὶ ὢψ ὠπός. *Pier.*

438 *Sol quoque et exoriens, et cum se condit in undas*] Dicitur enim occidens Sol, se in mare tingere. *Servius.*

Sol quoque et exoriens, et cum se condit in undas] Ex poëtarum fabulis, nihil hac opinione est notius, solem exorientem prodire ex aquis, et a terris recedentem undis condi. Unde Tacit. de mor. Germ. c. 45. *Trans Suionas aliud mare pigrum, ac prope immotum, quo cingi cludique terrarum orbem, hinc fides; quod extremus cadentis jam solis fulgor in ortus edurat, adeo clarus, ut sidera hebetet. Sonum insuper emergentis audiri, &c.* De cadente Strabo l. III. μείζω δύνειν τὸν ἥλιον ἐν τῇ παρωκεανίτιδι μετὰ ψόφου παραπλησίως, ὡσανεὶ σίζοντος τοῦ πελάγους κατὰ σβέσιν αὐτοῦ διὰ τὸ ἐμπίπτειν εἰς τὸν βυθόν. Flor. II. 17. *Non prius signa convertit, quam cadentem in maria solem, obrutumque aquis ignem, &c.* Emmeness.

439 *Signa dabit*] Pluviarum, vel serenitatis. *Servius.*

Certissima signa] De quibus nemini sit necesse dubitare. *Idem.*

Solem certissima signa sequuntur] Sic in Romano codice, in Mediceo, et in Longobardico præsenti tempore legitur, *sequuntur*, quod majoris est dignitatis: complectiturque ita in se et præteritum et futurum. Nonnullæ tamen editiones habent *sequentur*. Pierius.

440 *Et quæ mane refert*] Ortu diei. *Servius.*

Surgentibus astris] Superveniente nocte. *Idem.*

441 *Maculis variaverit ortum*] Non clara et pura luce resplendens in ortu suo. *Idem.*

Ille ubi nascentem maculis variaverit ortum] Aratus: Μὴ οἱ ποικίλλοιτο νέον βάλλοντος ἀρούραις Κύκλος, ὅτ' εὔδιον κεχρημένος ἤματος εἴης, Μηδέ τι σῆμα φέροι, φαίνοιτο δὲ λιτὸς ἀπάντη. Calpurnius Bassus, si modo ejus sunt commentaria illa in Germanicum edita, ut nonnulli affirmant, ita de hac rescribit: *Si sol in ortu suo maculosus sit, atque sub nube latens, aut dimidia parte apparuerit, imbres futuros innuit.* Ursinus.

442 *Conditus in nubem*] Id est, si orbis ejus quasi concavus fuerit. quod ipse exprimit dicens, *Medioque refugerit orbe.* Servius.

443 *Urget*] Imminet et insistit.

444 *Satis*] Segetibus. *Idem.*

Notus] Ventus. *Idem.*

Sinister] Noxius. *Idem.*

Arboribusque satisque Notus pecorique sinister] De Noto seu Austro, Plin. II. 47. *Humidi*, scil. venti, *Africus, et præcipue Auster Italiæ.* Idem paullo post: *æstuosus Auster.* Et mox: *noxius Auster, et magis siccus; fortassis, quia humidus frigidior est.* Recte *urguet*, quemadmodum etiam Juven. IV. 59. *velut urgueat Auster.* Pro eo Horat. sat. II. 6. 18. *Nec mala me ambitio perdit, nec plumbeus Auster.* Idem od. II. 14. Morbiferum hunc ventum esse mortalibus innuit: *Frustra per Autumnos nocentem Corporibus metuemus Austrum.* Multiplicis corruptionis caussam esse, passim occurrit, præcipue marcorem adducere floribus, quod ex Ecl. II. 58. *Floribus Austrum Perditus, &c.* vide ibi not. Taubm. Inde Statius Silv. III. 130. *Pudentesque rosæ primos moriuntur ad Austros.* Qui Propertio IV. 5. *rosaria coquere*, id est, corrumpere, dicitur. Idem etiam *infelix* apud Pers. VI. 12. *quid præparet Auster Infelix pecori.* Emmeness.

445 *Sub lucem*] Oriente luce. *Serv.*

Densa inter nubila] Operto Sole nubibus. *Idem.*

446 *Diversi rumpent radii*] Abscondito Sole et operto diversi radii per nubem erumpent. *Idem.*

Diversi rumpent radii] In nonnullis *erumpent*. In Romano codice *rumpunt*, bisyllabum, præsenti tempore. In Mediceo et aliquot aliis pervetustis: *diversi rumpent*, est et *divorsi*. Et Asper grammaticus eo loco, ubi disputat adversus eos, qui passim geminum *ii* per unum tantum scribere volebant, ut *radI* pro *radii*, dum duo necessario oportere scribi contendit, versum hunc citat, et *rumpent* omnino scribit. *Pierius.*

Aut ubi pallida surget] In Mediceo et aliquot aliis antiquis *surget* futuro tempore. Sunt tamen et qui *surgit* præsenti legant. *Idem.*

447 *Tithoni croceum linquens Aurora cubile*] Tithonus frater Laomedontis regis, adamatus est ab Aurora. Cumque optasset prolixiorem vitam, conversus est in cicadam. *Servius.*

Tithoni croceum] Definitur ortus Solis. Et est *Tithonus* Auroræ maritus, frater Laomedontis. Repetitur Æn. IV. 585. et Æn. IX. *Taubmann.*

Croceum cubile] Legitur sæpe κροκόπεπλος ἠὼς, quasi croceo peplo aut veste induta: sed sub crepusculum maxime: paulo post enim ῥοδοδάκτυλος dicitur. Vide Arist. Rhet. III. 2. *Idem.*

448 *Male defendet pampinus uvas*] Id est, non defendet. nam decussis pampinis etiam vim grandinis patitur. *Servius.*

Male defendet] Pari locutione Horat. epist. l. I. 20. *male parentem asellum.* et Tertul. de pal. *studia palestræ male senescentia.* Versus qui sequitur, de grandine saliente in tectis, apparet factus ad vestigia Apollonii lib. II. qui grandini effusæ a Jove, dat κόναβον τεγέων, *tectorum strepitum.* Cerda.

Heu, male tum mitis defendet pampinus uvas] In Mediceo et aliis fere omnibus antiquis, *defendet* habetur per *e*, futuro quippe tempore, uti superius *surget*. Prognostica enim, de futuris esse debent. *Pierius.*

450 *Emenso Olympo*] Percurso et perlustrato cœlo, cum jam descendet ad occasum. *Servius.*

Emenso Olympo] Sic in passiva significatione alibi Livius: *Postquam multo majorem partem itineris emensam cernunt.* Active sumitur frequentius a probatis scriptoribus, et etiam Nostro Æn. v. 627. *Cum freta, cum terras omnes, tot inhospita saxa Sideraque emensæ ferimur.* Et Æn. VII. 160. *Jamque iter emensi, &c.* Emmeness.

451 *Profuerit meminisse magis*] Ideo *Magis*, quia a Sole venientia vespertina signa, meliora sunt. *Servius.*

452 *Varios errare colores*] De hoc prognostico capiendus Claudian. de Bell. Gildon. *Ora licet maculis asperserit occiduus Sol.* Cerda.

453 *Cæruleus pluviam denuntiat*] Breviter collecta conclusio. *Servius.*

Cæruleus pluviam denuntiat] Aratus: Ἢ εἴ πω μελανεῖ, καί σοι τὰ μὲν ὕδατος ἔστω Σήματα μέλλοντος: *Aut si quando nigrescet, hæc tibi signa erunt pluviæ futuræ.* Nigrum certe Arati colorem, per Cæruleum explicat Poëta. *Cerda.*

Igneus Euros] Aratus: τὰ δ' ἐρευθέα πάντ' ἀνέμοιο: præcessit σήματα: *si vero signa omnia erunt rubea, ventum indicant.* Vegetius: *ventis urgentibus igneus.* Idem.

454 *Sin maculæ incipient*] In antiquis aliquot *incipiunt*, et superius *decedit*. Sed futurum in utroque receptum magis. *Pierius.*

455 *Omnia tunc pariter vento*] Id est, ubique et pluviæ et venti erunt. *Servius.*

456 *Fervere*] Æstuare et impleri. Cuncta hæc erunt in occasu consideranda. *Idem.*

Fervere] Sic Æn. VIII. 677. *Fervere Leucaten.* Tertiæ scilicet conjugationis verbum est *fervo*, ut ad hunc locum Servius, et Priscianus l. IX. p. 866. Sic compositum *effervere.* vs. 471. Eleganter aquæ dicuntur fervere. et ictus marini, ut Nonius Marcellus c. 6. Lucilius l. IX. ex sat. Lid. *Fervit aqua, et fervet; fervit nunc, fervet ad annum.* Ovid. epist. Heroid. XVIII. 26. *Sollicitum raucis ut mare fervet aquis.* Et Noster hoc lib. vs. 327. *Fervetque fretis spirantibus æquor.* Emmeness.

Me nocte] Gratiorem sensum fecit, interposita suæ personæ commemoratione. nam hoc dicit, nulli se suadere illa nocte navigare. *Servius.*

Non illa quisquam me nocte] Tali excursu utitur sæpe Virg. ut infra l. III. *Ne mihi tum molles sub divo carpere somnos, Neu dorso nemoris libeat jacuisse, &c.* Germanus.

458 *At si, cum referetque diem c. r.*] Hoc ad futuræ serenitatis pertinet signum. nam si de ipso die dicas, de quo præmisit, stultissimum est. *Serv.*

460 *Claro Aquilone*] Serenifico: quia est et nubilus, sicut fere omnes venti. Horatius, *Albus ut obscuro deterget nubila cœlo Sæpe Notus, neque parturit imbres Perpetuos.* Idem.

461 *Denique quid vesper serus vehat*] Conclusio est, quæ hoc continet, Signa quæ possumus ex stellis, vel ex ventis colligere; melius ex Sole colligimus. *Idem.*

Denique quid vesper serus vehat] In Romano codice, *ferat* legitur, quod paraphrastice positum fuisse crediderim. *Pierius.*

Quid vesper serus vehat] Talem fere inscriptionem habet lepidissimus liber M. Varronis ex satyris Menippeis, juxta Gellium XIII. 11. et Macrob. saturnal. III. 7. *Nescis quid vesper serus vehat*, in proverbium abiit, cui simile est illud Livii; *nondum omnium dierum Sol occidit*. Sed de his Erasmum consule. *Emmeness*.

462 *Quid cogitet Humidus Auster*] Id est, in quam partem se flectat; utrum ad serenitatem, an ad pluvias, ut diximus supra. *Servius*.

Quid cogitet humidus auster] Sunt qui legendum disputent, *quid cogat et humidus Hauster*. Sed passim in antiquis exemplaribus *cogitet* habetur. *Pierius*.

Quid cogitet] Huic annectit Germanus parem locutionem Propertii lib. III. *quid flamine captet Eurus*. Et ego Statium Thebaid. l. III. *quid ferrea Clotho Cogitet*. Variat locutionem idem, Silv. lib. v. *Quid Boreas hibernus agat?* Ita ab Nonno Dionys. l. III. auræ dicuntur divinatrices, μάντιες αὖραι. *Cerda*.

Humidus auster] Allusum ad etymon. est enim νοτὶς humiditas. Inde Auster ipse νότος quasi humidus. Oppian. Hal. III. νότος ὑγρός. et l. IV. Venat. δροσεροῖο νότοιο. Orpheus vocat generationem ὄμβροιο: *imbris*. Ovid. Met. III. *Austros imbriferos*. Plautus Mercat. *imbricus*. Horat. epod. x. *udo Noto*. Ennius annal. 16. *imbricitorem* vocat. *Idem*.

463 *Solem quis dicere falsum Audeat*] Id est, fallacem. Sallustius: *Ambitio multos mortales falsos fieri coëgit*. Serv.

Solem quis dicere falsum Audeat] Hinc Manil. l. II. *Quod fortuna ratum faciat, quis dicere falsum Audeat, et tantæ suffragia dicere sortis?* Cerda.

464 *Cæcos tumultus*] Conjurationes et latentes insidias. *Servius*.

Ille etiam cæcos instare tumultus Sæpe monet] Cicero in consulatu suo: *Quid vero Phœbi fax tristis nuntia belli, &c.* Quid sit tumultus docet Cic. Philipp. VIII. 1. *Potest enim esse bellum sine tumultu: tumultus esse sine bello non potest. quid enim est aliud tumultus, nisi perturbatio tanta, ut major timor oriatur? unde etiam nomen ductum est tumultus. Itaque majores nostri, tumultum Italicum, quod erat domesticus, tumultum Gallicum, quod erat Italiæ finitimus, præterea nullum tumultum nominabant*. Emmeness.

465 *Et operta tumescere bella*] Quos hic *operta bella* paullo ante nominat *cæcos tumultus*. Sæpissime in descriptione iræ, superbiæ, et rebellionis, Latini scriptores utuntur verbo *tumere*, et vocabulo *tumidus*. Ovid. Fast. II. 607. *Jupiter intumuit*. id est, ira incensus. De superbia Cic. Tusc. quæst. III. 39. *Sic igitur inflatus, et tumens animus, in vitio est. Sapientis autem animus, semper vacat vitio, numquam turgescit, numquam tumet*. Quemadmodum hic *operta tumescere bella* dicuntur, sic Cic. ep. ad Att. XIV. 4. *Negotia tument*, id est, seditiones et bella erumpunt. Huc refer verba Velleji II. 15. *Mors Drusi jam pridem tumescens bellum excitavit Italicum*. Eadem locutione utitur Plato in Gorgia; οἰδεῖν πόλιν. *Emmeness*.

466 *Ille etiam extincto miseratus Cæsare Romam*] Bonum epilogi reperit locum: ut in Augusti gratiam defleat Cæsaris mortem. Constat autem occiso Cæsare in senatu, pridie Iduum Martiarum, solis fuisse defectum, ab hora sexta usque ad noctem. quod quia multis protractum est horis, dicit in sequentibus, *æternam timuerunt secula noctem*. Servius.

Ille etiam extincto miseratus, &c.] Scaliger constanter negat, ullam Solis eclipsim his versibus designari. Potius intelligitur (inquit) res prodigiosa, quæ circa Solem acciderit toto anno cædis Cæsaris. Plinius enim refert, *illum annum prodigiosum fuisse Solis pallore continuo, et quodam quasi ejus defectu perpetuo;* quod non tacuit Tibullus: *Ipsum etiam Solem defectum*

lumine vidit Jungere pallentes nubilus annus equos. Neque aliter Ovidius, Metam. lib. xv. *Solis quoque tristis imago Lurida sollicitis præbebat lumina terris.* Sed, neque pridie Iduum, quod vult Servius, interfectus est Cæsar; neque pridie Idus, quibus interfectus, conjunctio Luminarium fuit. De Emendat. temp. lib. v. *Scaliger.*

467 *Ferrugine texit*] Ferrugo, est purpura nigrior, Hispana. Alibi, *Et ferrugine clarus Hibera.* Servius.

Cum caput obscura, &c.] Defectus Solis semper prodigiosus. Putat Ursinus expressum a Virg. locum Apollonii Arg. l. iv. Ἠὲ καὶ ἠέλιος μέσῳ ἤματι νύκτ' ἐπάγῃσιν Οὐρανόθεν. τὰ δὲ λαμπρὰ δι' ἠέρος ἄστρα φαείνοι. Dicit: *Solem die medio noctem induxisse e cælo, astra visa.* Ego a Petronio in Sat. locum Virgilii, nam loquens de prodigiis bellorum civilium: *Continuo clades hominum, venturaque damna Auspiciis patuere Deum: namque ore cruento Deformis Titan vultus caligine texit: Civiles acies jam tum spirare putares.* Lucan. inter prodigia belli civil. l. i. *Ipse caput medius Titan cum ferret Olympo Condidit ardentes atra caligine currus, Involvitque orbem tenebris, gentesque coëgit Desperare diem.* Eodem pertinent verba Capitolini in Gordian. *Indicium non diu imperaturi Gordiani hoc fuit, quod eclipsis solis facta est, ut mox crederetur, neque sine luminibus accensis quicquam agi posset.* Cerda.

468 *Impia secula*] Quibus fuerat Cæsar occisus. *Servius.*

Æternam timuerunt secula noctem] Propter diutinum, et prolixum Solis defectum; id est, timuerunt, ne semper ille defectus maneret. *Idem.*

469 *Tempore quamquam illo tellus*] Ac si diceret, Quamquam illo tempore non solum Sol defecerit; sed etiam diversæ res, et elementa, quasi fleverint Cæsaris mortem, et inaudita portenta fuerint: ut ex reliquorum comparatione, minus mirum videatur solem defecisse. *Idem.*

Æquora ponti] Non sine caussa addidit *ponti*, quia sunt et campi æquora. ut, *Ac prius ignotum ferro quam scindimus æquor.* Idem.

Æquora ponti] Inundatione. Ita Lucan l. i. *superique minaces Prodigiis terras implerunt, æthera, pontum.* Taubmann.

470 *Obsceni canes*] Mali ominis, ob latratus luporum more abominabiles. *Obscenitas* ominis proprie. nempe quia obscena omnia et fœda antiquis visa tristia et infausta: ut contra pura purgataque, læta et felicia. Hinc *obscena dicta* appellat Accius δύσφημα. Ovid. de eodem prodigio: *Inque foro, circumque domos, et templa deorum, Nocturnos ululasse canes.* Æn. iii. *obscenas volucres* vocat Harpyias. *Idem.*

Obscenæ canes] *Obscenæ* legendum, non *obsceni* docet Nobiliss. Heinsius Met. iii. 140. præcipue cum agitur de venatu, quamvis nec meus codex excusus Antverpiæ 1558. nec duo alii, satis antiqui, fœmininum agnoscant. Obscenus, an absque diphthongo, an cum diphthongo scribatur, Dausquius in *obscenus*, et *scena*, prolixius disputat. Per obscenas canes intellexeris insolitum, et ominosum latratum edentes, de quibus sic Appian. de bell. civ. iv. 591. Γιγνομένων δὲ τούτων, τέρατα καὶ σημεῖα ἐν Ῥώμῃ πολλὰ καὶ φοβερὰ ἦν. κύνες τε γὰρ ὠρύοντο ὁμαλῶς οἷα λύκοι, σύμβολον ἀηδές. Pro quo Jul. Obsequens de prodigiis c. 122. *Nocturni ululatus, flebiles, canum auditi.* Lucan. i. 548. *flebile sævi Latravere canes.* Emmeness.

Importunæque volucres] In alienum tempus ruentes: ut striges, aut bubones, nocte gaudentes, per diem possent videri. *Servius.*

Importunæque volucres] Alieno nempe tempore volitantes, quæ apud Lucan. i. 558. dicuntur *fœdasse diem*, quia diurno tempore bubones, striges, et ejusmodi generis aves apparere non solent; *importunus* enim dicitur, qui rationem habet nullam occasionis,

loci, vel temporis, sed ea agit quæ animo est lubitum. Sic Terent. Heaut. I. 2. 23. *Imo ille fuit senex importunus semper.* Horat. sat. II. 96. *Importunus amat laudari.* Id est, qui nunquam desinit molestus esse, nisi laudibus ornetur. Inde *importunitatem* appellat Donat. ad Terent. Andr. I. 4. 4. *Quæ temporis non habet commoditatem.* Emmeness.

472 *Vidimus undantem ruptis fornacibus Ætnam*] Malum enim omen est, quoties Ætna, mons Siciliæ, non fumum, sed flammarum egerit globos. et ut dicit Livius, *Tanta flamma ante mortem Cæsaris ex Ætna monte defluxit, ut non tantum vicinæ urbes, sed etiam Rhegina civitas afflaretur.* Servius.

Undantem] Undæ modo flammas evomentem. *Idem.*

Undantem] Undæ modo flammas evomentem. Æn. XII. *Undabat vertex flammis.* ita Euripid. dixit νᾶμα παμφάγου πυρός. Arist. Met. II. τὸ τῆς φλογὸς ῥεῦμα: et πυρὸς ποταμός. *Taubmann.*

Fornacibus] Lucret. quoque de Ætna l. VI. *vastis Ætnæ fornacibus.* et Virg. ipse in Æt. *ruptique cavis fornacibus ignes.* Ovid. Metamorph. XV. *sulphureis ardet fornacibus Ætna.* Claudius Marius Victor l. II. pro *fornacibus* posuit *caminis: Non aliter, quam dum ruptis sæva Ætna caminis Egerit immistis stridentia sulphura flammis.* Cerda.

473 *Flammarumque globos*] Arnob. l. II. *flumina torrentia flammarum globis.* Auson. in Sapientib. *Quin flamma totum se per ambitum dabat, Volvens in altum fumidos æstu globos.* Ammian. l. XXIII. *metuendi globi flammarum prope fundamenta crebris assultibus erumpentes.* Plin. II. 103. de Ætna, *flammarum globos eructet.* ita apparet legendum in Plin. tum ex his, quæ in margine adnotat Dalecamp. tum ex Virg. quem videtur imitatus Plinius. *Cerda.*

Flam. globos] Ita Æn. III. 574. *Attollitque globos flammarum, &c.* ubi hæc quasi de industria tractat. Vide et Plin. II. 103. 107. Justin. lib. IV. *Taubmann.*

Liquefacta saxa] Igne soluta. *Serv.*

474 *Sonitum toto Germania cælo Audiit*] Bene *Germania,* quam vicerat Cæsar, ut eo occiso, in rebellionem videretur exurgere. *Idem.*

Armorum sonitum] Hoc prodigium quoties accidit. Tibul. II. 5. *Atque tubas, atque arma ferunt strepitantia cælo Audita.* Lucan. de prodigiis bell. civ. *Tum fragor armorum.* Ovid. Met. XV. *Arma ferunt nigras inter crepitantia nubes, Terribilesque tubas, auditaque cornua cælo Præmonuisse nefas.* Petron. Satyr. *Armorum strepitu cælum furit, et tuba mortem Sideribus transmissa ciet.* Plin. II. 57. *Armorum crepitus, et tubæ sonitus auditos e cælo, Cimbricis bellis accepimus; crebrosque et prius, et postea. Tertio vero consulatu Marii ab Amerinis et Tudertibus spectata arma cælestia ab ortu occasuque inter se concurrentia, pulsis quæ ab occasu erant.* Appian. Civ. IV. ἀνδρῶν τε μεγάλαι βοαὶ, καὶ κτύπος ὅπλων, καὶ δρόμος ἵππων, οὐχ ὁρωμένων, ἠκούετο. In lib. III. Sibyllinorum oraculorum leguntur versus isti: *Signaque saxa dabunt, et in alta prælia nube Cernetis peditumque equitumque sonantibus auris, Quali venantes prædam clamore fatigant.* Et superius: *cælo labentur ab alto In terram ardentes enses.* Plura *Cerda.*

Armorum sonitum] Locus in Val. Maximo insignis I. 6. 12. *Quo constat in delubris Deum, sua sponte signa conversa: militarem clamorem, strepitumque armorum, adeo magnum Antiochiæ, et Ptolemaide auditum, ut in muros concurreretur: sonum tympanorum Pergami abditis delubris editum.* Similia invenias portenta apud Julium Obsequentem de prodigiis cap. XXXV. 118. et 125. *Emmeness.*

475 *Insolitis tremuerunt motibus Alpes*] Aut novis, id est, nunquam antea in Alpibus factis. aut magnis et majoribus solito. *Servius.*

Motibus Alpes] Lucan. l. I. *tum cardine tellus Subsedit, veteremque jugis nutantibus Alpes Discussere nivem.* Taubmann.

476 *Vox quoque per lucos volgo exaudita silentis*] Crebra fit de hisce prodigiis, de voce e lucis audita, mentio. Val. Max. I. 6. 7. *Talis vox sine ullo auctore ad aures ejus pervenit, Mancine, mane.* Testis luculentior inter veteres non occurrit, quam Livius I. 31. *Visi etiam audire vocem ingentem, ex summi cacuminis luco.* II. 7. *Adjiciunt oracula huic pugnæ; silentio proximæ noctis ex silva Arsia ingentem editam vocem.* .quæ Silvani fuisse creditur, ut Jul. Obsequens de prodigiis, c. 8. et V. 32. *Eodem anno M. Cæditius de plebe nunciavit tribunis, Se in nova via, ubi nunc sacellum est, supra ædem Vestæ, vocem noctis silentio audisse, clariorem humana, quæ magistratibus dici juberet, Gallos adventare.* et XXII. 18. *Noctu audita ex delubro vox est, Abstinerent manus: Deam sua templa defensuram.* De Gallis adventantibus etiam Juvenalis sat. XI. 111. *et vox Nocte fere media, mediamque audita per urbem, Litore ab Oceani Gallis venientibus, et Diis Officium vatis peragentibus, his monuit nos.* Ovid. Met. XV. 792. *Cantusque feruntur Auditi, sanctis et verba minacia lucis.* Monuerim hoc obiter, citato loco similia iis contineri prodigia, quæ Cæsaris post mortem audita et visa enarrat Virgilius. Nec ab his abit Lucanus I. 169. Lubet addere, Romanos, misere superstitiosos, invenisse Deam aliquam, *Monetam* dictam, quæ a monendo sortita nomen fuit, teste Cicerone de nat. Deor. III. 1. et de divinat. II. 34. *Emmeness.*

477 *Simulacra modis pallentia miris*] Id est, umbræ. ita Tull. Off. III. ait esse in hominibus simulacra virtutis. Et certe Capitolin. qui in Maximino dixit: *Simulacra bellorum agere.* Et Ennodius, qui in Paneg. *congressionis simulacro atteri, et figura certaminum.* nihil aliud innuunt, quam belli et congressionis umbram. Sæpe hoc delectatus est Virgilius. Nam in Æn. VII. *Multa modis simulacra videt volitantia miris.* et Æn. I. *Conjugis ora modis attollens pallida miris.* Sententiam ipsam aliter extulit Cicer. in suo consulatu: *Jam vero variæ nocturno tempore visæ Terribiles formæ bellum motusque monebant.* Petron. vero in Satyr. exsequens prodigia ita: *Ecce inter tumulos, atque ossa arentia bustis, umbrarum facies diro stridore minatur.* Ovid. Met. XV. loquens de prodigiis, quæ antecesserunt mortem Cæsaris: *umbrasque silentum Erravisse ferunt.* Et Lucanus de his, quæ antecesserunt bella civilia: *venientes cominus umbræ.* Cerda.

478 *Sub obscurum noctis*] Circa noctis obscurum. *Servius.*

Pecudesque locutæ, Infandum] Aut infanda verba protulerunt; aut hoc ipsum infandum fuit, quod sunt contra naturam locutæ. *Idem.*

Pecudesque locutæ Infandum] *Infandum*, non male horribiliter, quamvis a Servio abire, religioni putem. *Infandum*, quemadmodum *malum*, et similia, vim habet interjectionis, docente Servio Æn. I. 252. De sermone brutorum, multa exstant: Achillis equum cum eo locutum, ejusque obitum prænuntiasse, sunt qui volunt. Ut Julius Obsequens de prodigiis c. 7. *Canis et serpens verbis expressis sunt locutæ.* Juxta eundem c. 103. *Bos locuta est, et canis Arimini.* De bove testatur non uno loco Livius XXIV. 10. *Bovem in Sicilia locutum* XXVII. 11. *Et Priverni satis constabat bovem locutum.* et XXXV. 21. *Consulis Cn. Domitii bovem locutum,* ROMA CAVE TIBI. Appian. de b. c. lib. IV. βοῦς τε φωνὴν ἀφῆκεν ἀνθρώπου. Tibul. II. 5. *Et simulacra Deum lacrymas fudisse tepentes, Fataque vocales præmonuisse boves.* Per pecudes sæpe boves significari, dubium non est ex nostro Marone, Columella, et aliis. Lucan. I.

561. *Tum pecudum faciles humana ad murmura linguæ.* Emmeness.

479 *Sistunt amnes*] Plin. II. 103. inter prodigia: *Amnes retro fluere et nostra vidit ætas, Neronis principis annis supremis.* Papin. Theb. l. VII. nonnihil variat in hoc prodigio: *aversique suis de cursibus amnes.* Sicut et Petron. *nec vaga passim Flumina per notas ibant morientia ripas.* Rhodanum magno prodigio retroivisse scribit Greg. Turon. hist. IV. 31. *Cerda.*

480 *Illacrimat templis ebur*] Scilicet simulachrorum. *Servius.*

Et mæstum illacrimat templis ebur] In Oblongo illo antiquo *lacrimat.* Sed in Romano, et Mediceo, et aliquot aliis antiquis *illacrimat*, specie magis Virgiliana. Gaudet enim Poëta noster quas præpositivas particulas nominibus abstulerit, eas verbis applicare. *Pierius.*

Et mæstum illacrimat templis ebur] Tibul. *Et simulacra Deum lacrimas fudisse tepentes.* Silius l. VIII. *lacrymæque vetusta Effigie patris late fluxere Quirini.* Lucan. l. VII. *rotantia fletu Usque ad Thessaliam Romana, et publica signa.* Et l. I. *Indigetes flevisse Deos.* Ovid. Met. XV. *Mille locis lacrymavit ebur.* Seneca in Thyeste: *flevit in templis ebur.* De fletu simulacri Apollinis videndus S. Augustinus Civ. III. 11. *Cerda.*

Æraque sudant] Signa sunt laboris futuri. *Servius.*

Æraque sudant] Hujus illustrationem debes Ursino, qui conjungit ex prodigiis Apollon. l. IV. ξόανα ἱδρώοντα αἵματι: *simulacra cum sudore sanguinis.* Et epigr. l. I. Ἄρτεμις ἱδρώουσα παράγγελός ἐστι κυδοιμοῦ: *Sudans Diana nuntia est tumultus.* Ex interprete Apollonii in dictum locum ὅταν μέλλει τι συμβαίνειν χαλεπὸν, εἴωθε τὰ ἀγάλματα ἱδροῦν: *Cum quid mali imminet, consueverant sudare simulacra.* Adjungo Lucanum, qui inter prodigia belli Civilis l. I. *urbisque laborem Testatos sudore lares.* Appian. qui Civ. l. IV. de prodigiis, quæ præcesserunt cædem proscriptorum, καὶ τῶν ξοάνων τὰ μὲν ἵδρουν, τὰ δὲ καὶ αἷμα ἵδρουν: *ex simulacris nonnulla sudore, nonnulla sanguineo sudore perfusa.* Ab his non abit sudor ex lapidea statua Antonii, quam rem inter prodigia belli Actiaci narrat Plutarch. in Antonio. Huc pertinent verba Ciceronis Divinat. I. *Quid Lacedæmoniis, paullo ante Leuctricam calamitatem, quæ significatio facta est, cum in Herculis fano arma sonuerunt, Herculisque simulacrum multo sudore manavit?* Ibidem inter prodigia belli Marsici: *Deorum simulacra sudavisse.* Sed vide, si placet, uti in sequenti libro ista irrideat Cicero. Inter prodigia, quæ præcesserunt mortem Commodi, hoc: *Herculis signum æneum sudavit in Minutia per plures dies.* Verba sunt Lampridii. *Cerda.*

481 *Insano*] Magno. ut, *Quid tantum insano juvat indulgere labori?* Et sciendum flumina, cum supra modum crescunt, non tantum ad præsens inferre damnum, sed etiam alia futura significare. *Servius.*

Proluit insano contorquens vortice silvas Fluviorum, &c.] Alium esse Rhodanum, alium Padum, norunt, qui Geographorum scripta attingere inceperunt. Sunt tamen, qui Eridanum nunc cum Rhodano, nunc cum Vistula confundunt. Hinc erroris origo videtur manare, quia Strabo l. V. negat in orbe inveniri amnem Eridanum. Si autem idem sit cum Pado, ut Plin. III. 16. descriptionem ejus accuratam petes ex Mela II. 4. Et bene *rex fluviorum*, nam unus ex septem Padi ostiis, *magnus Padus* appellatur: inde Scholiast. Dionysii Alexandr. de situ orbis, postquam Eridanum eundem ac Padum esse asseruit, appellat πάδον μέγιστον τῶν εὐρωπαίων ποταμῶν, μετὰ τὸν Ἴστρον καὶ εἰς τὴν ἀδριατικὴν ἐκπίπτειν θάλασσαν. Et quemadmodum Tibris regnator aquarum, ut Dionys. Alexandr. Θύμβρις

εὐῤῥείτης ποταμῶν βασιλεύτατος ἄλλων. Sic Eridanus hoc loco rex, sive, ut diximus, quod multa in se flumina currentia ex Alpibus recipit: sive, quia ipsius simulacrum in cælum sit receptum inter astra. Auctus multis aliis amnibus, ex quibus triginta in mare defert, ut Plinius, citus prosilit, et violento suo impetu secum abripit terræ partes ingentes, ut ex Nostro Ge. IV. 372. *Eridanus; quo non alius per pinguia culta In mare purpureum violentior influit amnis.* Imo silvas integras. Lucan. II. 408. *Quoque magis nullum tellus se solvit in amnem, Eridanus, fractasque evolvit in æquora silvas, Hesperiamque exhaurit aquis.* Nobilitatum hoc flumen est lapsu Phaëtontis, ut Ovid. Met. II. 323. *Quem procul a patria diverso maximus orbe Excipit Eridanus: spumantiaque abluit ora.* Esse hujus nominis fluvium testatur Pausanias in Attica. De metro verbum: ut Noster primo loco habet anapestum, sic Horat. sat. II. 8. 1. simili pede utitur secundo loco. vide Torrent. *Emmeness.*

482 *Fluviorum rex Eridanus*] Padum dicit. *Fluviorum* autem *rex*, per Italiam. aut certe per totum orbem, secundum quod dicit Lucanus, qui ait, cum de isto flumine loqueretur, *Non minor hic Nilo, si non per plana jacentis Ægypti Libycas Nilus stagnaret harenas. Non minor hic Istro, nisi quod, dum permeat orbem, Ister casuros in quælibet æquora fontes Accipit, et Scythicas exit non solus in undas.* Dicit ergo tantum tunc excrevisse Eridanum, ut etiam silvas moveret, et erueret arbores. *Servius.*

484 *Tristibus extis*] Visceribus pecorum, tristia portendentibus. *Idem.*

Tristibus extis] Id est, tristia portendentibus, teste enim Suetonio in Jul. Cæs. c. 81. *Haruspex Spurinna monuerat immolantem, caveret periculum, quod non ultra Martias Idus proferretur.* Et paullo post: *Dein pluribus hostiis cæsis, cum litare non posset, introiit curiam, spreta religione: Spurinnamque irridens et ut falsum arguens; quod sine ulla noxa Idus Martiæ adessent; quanquam is venisse quidem eas diceret, sed non præteriisse.* Alludit Ovid. Met. XV. 794. *Victima nulla litat: magnosque audire tumultus Fibra monet, cæsumque caput reperitur in extis. Extorum in extispicina*, ut Salmas. in Plinian. exercit. p. 129. *primum præcipuumque jecur, etsi pulmonem quoque et cor ceteraque inspicerent. quin imo extorum nomine plerumque jecur intelligebant. Fibræ jecoris sunt extremitates, λοβοὶ τοῦ ἥπατος.* Emmeness.

Fibræ minaces] *Fibras* dicit venas aliquas, quæ si forte apparerent in visceribus, malum omen erat, quæ nunc apparuere. *Servius.*

485 *Aut puteis manare cruor*] Nec cessaverunt eodem tempore, aut fibræ minaces apparere, aut puteis manare cruor. *Idem.*

486 *Lupis*] De hoc prodigio errantium per urbes luporum, ut Livius l. XXXII. *Romæ non in urbem solum, sed in Capitolium penetraverat lupus.* Et l. XXXIII. *Lupus Esquilina porta ingressus, frequentissima parte urbis cum in forum decurrisset, Tusco vico, atque inde Melio, per portam Capenam prope intactus evaserat.* Et l. XLI. *Lupus etiam Romæ interdiu agitatus cum Collina porta intrasset per Esquilinam magno consectantium tumultu evasit.* Lucan. ante bell. civil. l. I. *Silvisque feras sub nocte relictis Audaces media posuisse cubilia Roma.* Appian. Civil. l. IV. de prodigiis ante proscriptionem, et eadem proscriptorum. *λύκοι τὴν ἀγορὰν διέθεον, οὐκ ἐπιχωριάζον ἐν πόλει ζῶον: lupi per forum discurrere, quod animal in urbe nunquam assueverat.* Cerda.

487 *Non alias cælo ceciderunt plura sereno*] Omen est in eo, et quia sereno cælo missa sunt fulgura, et quod plura missa sunt. *Servius.*

Non alias cælo ceciderunt plura sereno] Αἰθρίας καὶ εὐδίας. Virg. Æn. VIII.

Arma inter nubem cœli regione serena Per sudum rutilare vident, et pulsa tonare. et IX. *Audiit, et cœli genitor de parte serena Intonuit lævum.* Horat. *Diespiter per purum tonantes Egit equos volucremque currum.* Et Lucret. l. VI. *Denique cur nunquam cœlo jacit undique puro Jupiter in terras fulmen, sonitusque profundit?* Et Aristot. Meteor. II. *καὶ διατί ποτε τοῦτο γίνεται κατὰ τὸν οὐρανὸν ὅταν ἐπινέφελον ᾖ μόνον, ἀλλ' οὐχὶ συνεχῶς οὕτως, αἰθρίας δ' οὔσης, οὐ γίνεται;* Maxime autem prodigiosa fulmina ab antiquis putabantur, quæ per purum mittebantur, ut etiam ex Xenophontis Hellen. videre est: *ἐξ αἰθρίας ἀστραπὰς καὶ βροντὰς αἰσίους αὐτῷ φανῆναι.* unde et Cicero: *Aut cum terribili percussus fulmine civis, Luce serenanti vitalia lumina liquit.* Calab. M. *ἀννεφέλου περ' ἐόντος οὐρανοῦ αἰγλήεντος.* *Germanus.*

488 *Diri cometæ*] Criniti, et pessimi: quia sunt et boni, ut diximus in Æneide, facti ex Jove, vel Venere. quam rem plenissime Avienus exequitur. *Servius.*

Diri] Ideo, quia auctore Sueton. Neron. c. 36. *Stella crinita summis potestatibus exitium portendere vulgo putatur.* Tacit. ann. l. XIV. *Cometes effulsit, de quo vulgi opinio est, tanquam mutationem Regis portendebat.* Et l. XV. *Sidus cometes sanguine illustri semper Neroni expiatum.* Tibull. II. 5. *belli mala signa cometem.* Sil. l. I. *terret fera regna cometes.* et l. IV. *Regnorum eversor rubuit lethale cometes.* Lucan. l. I. *crinemque mutandi Sideris, et terris mutantem regna cometem.* Cic. Nat. l. II. loquens de cometis: *nuper bello Octaviano magnarum fuerunt calamitatum prænuntiæ.* Dio in Vespas. *His, qui de comete nescio quid inter se colloquebantur, ait: Non mihi, sed Parthorum Regi mortem portendit; ille comatus est, ego calvus sum.* *ἐκεῖνος γὰρ κομᾷ, ἐγὼ δὲ φαλακρός εἰμι.* Pet. Apollonius I. Excid. Hieros. *cometæ mortem secum, et portenta ferentis.* Ista omnia, quid aliud, quam diritatem indicant. Ideo ergo Poëta, *diri.* Cerda.

Arsere] Cic. poëmate de suo Consulatu, quod, ut semel dicam, habetur de Divinat. l. I. ardorem dat cometis, stellis, fulminibus, Soli: *claro tremulos ardere cometas.* Iterum: *Concursusque graves stellarum ardere micantes.* Et: *fulminis ardor.* Et de Phœbi face: *flammato ardore volabat.* Idem.

Cometæ] Ad Etymon satis clare Manil. l. I. *Flamma comas imitata volat tenuesque capillos.* Idem.

Diri cometæ] Cum Servio sentiunt, qui a misera superstitione absunt longius. Eum vide ad Æn. X. 270. Multa etiam de stellis crinitis Aristot. Meteor. I. 6. et 7. Farragini, quam congessit Cerda, adde, si ita lubitum est, versum Claudian. de bello Getico. vs. 243. *Et nunquam terris spectatum impune cometem.* Et in hunc locum Barthii commentarium, satis prolixum, imo sexcenta similia, quibus adstruere volunt, stellas crinitas, sive cincinnatas, iram Divinam prænuntiare. Eorum opinionem falsissimam esse, eruditissima oratione disputat Andreas Duditius, et, nostra memoria, omnis illud doctrinæ promtuarium et præsidium Vir Cl. Joannes Georgius Grævius. Utramque orationem operæ pretium est legere, Trajecti ad Rhenum editam anno cIↄ Iↄc LXV. *Emmeness.*

489 *Paribus concurrere telis*] Quia in civili bello Romani contra Romanos, eisdem et similibus telis armisque pugnaverunt. Lucanus, *Pares aquilas, et pila minantia pilis.* Servius.

490 *Iterum videre Philippi*] Civitas est Thessaliæ: in qua primo Cæsar et Pompejus, postea Augustus et Brutus cum Cassio, dimicaverunt. *Idem.*

Iterum videre Philippi] De hac urbe accurate Appian. de bello Civ. IV. *Οἱ δὲ Φίλιπποι πόλις ἐστὶν ἡ Δάτος ὀνομάζετο πάλαι, καὶ Κρηνίδες ἔτι πρὸ*

Δάτου, κρῆναι γάρ εἰσι περὶ τῷ λόφῳ ναμάτων πολλαί. Φίλιππος δὲ, ὡς εὐφυῆ ἐπὶ Θρᾷκας, χωρίον ὠχύρωσέ τε καὶ ἀφ' ἑαυτοῦ Φιλίππους προσεῖπεν, &c. Cui regioni tribuenda sit, contenditur inter scriptores. Ponit eam Divus Lucas in actis Apost. XVI. 12. primam civitatem esse Macedoniæ. Mela II. 2. inter Thraciæ urbes numerat. Alii Thessaliæ putant. Procul dubio in finibus ita jacet et Macedoniæ et Thraciæ, ut utri adscribenda sit, vix erui possit: quemadmodum de Venusio Horat. sat. II. 1. Non in campis Philippicis cæsus est Pompejus, qui fugatus est in Pharsalicis, multum a Philippicis remotis, sed in iis superati Cassius et Brutus, quod bellum enarrat Florus IV. 7. Erat planicies instruendis et explicandis aciebus idonea circa mœnia hujus urbis, quos *campos Philippenses* nominat Tacit. ann. IV. 35. inde Lucan. I. 680. *Latosque Hæmi sub rupe Philippos.* Danda venia est Virgilio, aliisque Poëtis, imo et ipsi Floro eandem arenam insedisse Cassium et Brutum affirmanti, quæ fatalis Cn. Pompejo fuerat. Lipsius duorum Philipporum meminit, et in Thessalia, ubi Pompejus dictus ad Peneum flumen, et in Macedonia, ubi Brutus et Cassius contra Cæsarem et Antonium dimicarunt. Eum vide ad Vell. Paterc. II. 70. Quod verissimum ex Stephano de urbibus postquam de Philippis Macedonicis scripsit addit, ἐκλήθησαν Φίλιπποι καὶ αἱ Θῆβαι Θεσσαλίας καὶ Γόμφοι, &c. *Emmeness.*

491 *Nec fuit indignum superis*] Quasi exclamatio est ad deos. *Servius.*

Bis sanguine nostro Emathiam, et latos Hæmi pinguescere campos] Hunc locum adumbrasse videtur Lucanus l. VII. Nam cum respectu ad bellum Cæsaris et Pompeji, quod præcessit, et Bruti, quod insecutum est, ita cecinit, loquens cum ipsa Thessalia, ubi utrumque est gestum: *Quo non Romanos violabis vomere manes? Ante novæ venient acies, scelerique secundo Præstabis nondum siccos hoc sanguine campos.* Hoc enim quid est aliud, quam bis Emathiam pinguescere Romano sanguine? *Cerda.*

492 *Emathiam et latos Hæmi pinguescere campos*] *Emathia* Thessalia est, dicta ab Emathio rege. *Hæmus* autem mons est Thessaliæ. *Servius.*

Emathiam] In Geographicis, aut minus attentam aut oscitanter hallucinari Poëtarum nationem, non est, quod multis disputetur. *Emathiam* Thessaliæ esse regionem, nullus veterum affirmavit, sed Macedoniæ. Nostro tamen quodammodo patrocinatur Mela II. 3. ostendendo vicinitatem utriusque loci: *a Macedonia*, inquit, *prima est Thessalia.* De Macedonia, et de antiquo ejus nomine Emathia, vide Bernecc. ad Just. VII. 1. Sed de his memini dicere superius. *Emmeness.*

Latos Hæmi campos] De planitie camporum Philippensium dictum superius. *Hæmus* recte scribitur aspirate, quod solide etsi contendit Dausqnius in Orthographicis; magis tamen patet ex origine, quam tradit Apollod. Biblioth. l. I. πολὺ ἐπὶ τῷ ὄρει ἐξέκλυσεν αἷμα· καί φασιν ἐκ τούτου τὸ ὄρος κληθῆναι. Mons positus est intra Thraciam et Macedoniam, de cujus altitudine Mela II. 2. *Ex quibus Hæmus in tantam altitudinem abit, ut Euxinum et Adriam ex summo vertice ostendat.* Ex hujus jugi verticibus maximos amnes provenire testatur Herodotus IV. 49. ἐκ δὲ τοῦ Αἵμου τῶν κορυφέων τρεῖς ἄλλοι μεγάλοι ῥέοντες ποταμοὶ, &c. *Emmeness.*

Pinguescere] Aut fœcundos fieri ex humano cruore; aut *pinguescere* dixit Poëtice: quasi humana corpora terra devorans, pinguis effici potuerit; sicut ex carnium commixtione frequenter humana caro pinguescit. *Servius.*

Pinguescere] Idem discimus ex Ovidii epist. Heroid. I. 53. *Jam seges*

est ubi Troja fuit, resecandaque falce Luxuriat Phrygio sanguine pinguis humus. Semisepulta virum curvis feriuntur aratris Ossa, &c. Emmeness.

493 *Scilicet et tempus veniet*] Eodem modo Theocr. in Arast. ἥξει καιρὸς ἐκεῖνος, ὁππανίκα καὶ τὸ φιλάσεις. Et Homer. ἔσσεται ἦμαρ. *Germanus.*

494 *Incurvo*] Una pars orationis est. *Servius.*

495 *Scabra robigine*] Aspera. unde et scabies dicitur a corporis asperitate. *Idem.*

Scabra robigine pila] In antiquis plerisque codicibus, *robigine* per *o*, de quo dictum. Attius *peila* militum per *ei* scribendum instituit. *Pierius.*

Scabra rubigine] Catull. *Ne nostrum scabra tangat rubigine nomen.* Lucan. l. I. *Et scabros nigræ morsu rubiginis enses.* Fracast. Syphil. l. I. *scabraque ussit rubigine culmos.* Ovid. Met. VIII. de fam. *scabri rubigine dentes.* Et Fast. I. *Interea crescat scabræ rubiginis expers.* Pulcre dixit Val. Max. II. 9. *Horridæ vetustatis rubigine obsitum imperium.* Cerda.

Pila] Pilum est, quod habet lignum longitudine plerumque bicubitali, crassitudine digitali, spiculum unius spitamæ, palmi inquam majoris, eousque attenuatum et acutum, ut mox primum post jactum necessario flectatur, sitque inhabile ad remittendum. De hoc genere teli vide Polyb. hist. VI. 21. Appian. initio libri de bel. Gall. Vegetium I. 20. Lipsium de mil. Rom. III. 4. Pila, quæ duo portare solebant, jaciebantur, cum jam jam stricturi essent gladium, et in hostem procurrerent Romani milites, ut Nobiliss. Schelius ex veteribus abunde demonstrat, et reliqua omnia pereruditе disputat, quæ hoc de genere teli memoriæ prodita sunt umquam. Proprium fuit Romanis, ut Servius ad Æn. VII. 664. *Pilum proprie est hasta Romana, ut gesa Gallorum, sarissæ Macedonum.* Imo usque adeo proprium fuit, ut pro ipsis Romanis sumatur crebro: teste enim Festo: *Pilumni dicuntur Romani, quia pilis uti assueti sunt.* Hinc Lucanus I. 7. *Pila minantia pilis.* id est, Romani Romanis excidium minantes, et VII. 518. *stetit omne coactum Circa pila nefas.* Et nihil Poëtis familiarius. *Emmeness.*

496 *Galeas inanis*] Concavas: ut, *galeam ante pedes projecit inanem.* Servius.

Galeas inanis] Galeæ descriptionem pete ex Vegetio I. 20. et commentatore Stewechio. Plura ex Lipsio de Mil. Rom. III. 1. *Usque ad præsentem prope ætatem consuetudo permansit, ut omnes milites pileis, quos Pannonicos vocabant, ex pellibus uterentur: quod propterea servabatur, ne gravis galea videretur in prælio homini, qui gestabat aliquid semper in capite.* De pennaceo serto galeæ imposito, cujus species erat pulchra, et hosti formidabilis, Polyb. VI. 21. *Emmeness.*

497 *Grandia ossa*] Aut multa, aut ingentia: quasi antiquorum heroum. *Servius.*

Grandia effossis mirabitur] Virgilii auspiciis Claudian. Paneg. Stilicon. I. *Dicite Bisaltæ, vel qui Pangæa juvencis Scinditis, offenso quantæ sub vomere putres Dissiliant glebis galeæ, vel qualia rastris Ossa peremptorum resonent immania Regum.* Et Prudent. contra Symm. II. *mirabere seris Posteritas seclis inhumata cadavera late, Quæ Pollentinos texerunt ossibus agros.* Similis est locus Arnobii l. II. *Non infantes sub uberibus matrum stentoreos legitis edidisse vagitus, quorum ossa variis in regionibus eruta, vix repertoribus fecerunt fidem humanorum reliquias esse membrorum?* De eadem historia qua Virgilius, Ovidius loquitur: *Morte jacent merita, testes estote Philippi, Et quorum sparsis ossibus albet humus.* Lege epigramma Græcum l. III. contra rusticum eruentem vomere sepulturas mortuorum. *Cerda.*

498 *Di Patrii Indigetes, et Romule,*

Vestaque mater] Patrii dii sunt qui præsunt singulis civitatibus: ut Minerva Athenis: Juno Carthagini. *Indigetes* autem, proprie sunt dii, ex hominibus facti; quasi in diis agentes. Abusive autem omnes dii generaliter possunt dici Indigetes, tanquam nullius rei egentes. Romulum autem ideo invocat, quia ipse jam inter deos colebatur. Et recte eum ad Augusti salutem invocat, quasi ex eo descendentis, et qui illius sit urbis imperator, quam Romulus condiderat. *Servius.*

Di patrii] Votum ad deos tutelares et Romæ præsides pro Augusto. Similis precatio est illa Horatii Od. I. 2. *Dii patrii* Græcis sunt πολιοῦχοι, θεοὶ πολῖται, ἀστυνόμοι δαίμονες. Vide et Ovid. extrema Metam. Atque hi ante expugnationes urbium evocabantur, ne cum diis belligerare viderentur. Formulæ hujus concepta verba vide apud Macrob. III. 9. Ne autem Dii patrii urbis Romæ evocari ab hoste possent, proprium eorum, immo et ipsius Urbis, nomen verum religiose occultatum fuit. De quo Plin. XXVIII. 2. Plutarchus, ἐν ῥωμαϊκοῖς. et Brisson. l. I. Formul. *Taubm.*

Di patrii Indigetes, et Romule, Vestaque mater] *Indiges, indigetis facit. Hoc nomine Æneas ab Ascanio appellatus est, cum pugnans cum Mezentio nusquam apparuisset, in cujus nomine etiam templum construxit.* ut Festus. Interpretationes nominis alias tradit Servius Æn. XII. 794. *vel, quod Di Indigetes nullius rei indigeant, vel quod sint Di patrii, vel ab invocatione Indigetes dictos volunt, quod indigito est precor et invoco. Vel certe Indigetes sunt Dii ex hominibus facti: et Dii Indigetes, quasi in diis agentes.* Nonnulli distinguunt inter Deos patrios et Indigetes, heroas ita appellatos affirmantes, pro quibus facit Gloss. vet. *Indigetes.* Ἡμίθεοι, Κουρῆτες. De Heroibus, Diis annumeratis, Macrob. [in] somnio Scip. I. 9. et Cic. de leg. II. 2. Inde Turneb. XIX. 29. cum interpunctione legit, *Di patrii, Indigetes*, distinguens inter Deos patrios, qui penates, et Indigetes, qui Δαίμονες ex Æschine et Symmacho indigitantur, cui accedit mea Antverpiana, quæ in lucem prodiit anno 1558. Nec dissimilis locus Ovidii XV. 861. *Di precor, Æneæ comites, quibus ensis et ignis Cesserunt, Dique Indigetes, genitorque, Quirine.* Etymologias, superius traditas, tanquam meras ineptias explodit Salmasius in exercitat. Plin. pag. 71. *Deus indiges*, inquit, proprie est quem Græci θεὸν ἐγχώριον vocant. θεοὶ πατρῷοί τε καὶ ἐγχώριοι. *Indiges* dictus ab *Indu* et *ago*. sic *indigena*, ὁ αὐθιγενής, qui ibi genitus est: *Indiges* qui ibi agit et incolit, ὁ ἐνναέτης. Apollonius, ἀλλὰ καὶ αὐτὴ Νῆσος ὅμως κεχάροιτο, καὶ οἱ λάχον ἔργα κεῖνα Δαίμονες ἐνναέται. De Samothraciis Diis loquitur. Δαίμονες ἐνναέται ad verbum sunt Dii Indigetes. Glossæ: *Indigetes*, ἡμίθεοι, κουρῆτες, iidem et τοπικοὶ, et locales. Servius: *Dii topici, id est, locales, ad alias regiones nunquam transeunt.* Ammianus Marcellinus l. XIX. *Oppidum est Abydum in Thebaidis parte situm extrema: hic Besæ dei localiter appellati oraculum quondam futura pandebat.* Besa θεὸς ἐγχώριος καὶ τοπικὸς Abydi. idem est χθόνιος θεὸς, Deus in ipso solo factus, et degens. et docte χθόνιον θεὸν reddit Dionysius *Indigetem.* Sic χθονίους ἰνυχίδας Tragicus quidam dixerat, τοὺς αὐτόχθονας. Hesychius χθονίους ἰνυχίδας, αὐτόχθονας καὶ οὐκ ἐπήλυδας. χθόνιοι igitur sunt indigetes, καὶ ἐγχώριοι. ἐντόπιοι θεοὶ Platoni dicuntur in Phædro. Et notandum *indigetem* non simpliciter et absolute dici, sed *deum Indigetem.* quod confirmat nostram sententiam. *Indiges* igitur adjectivum, ut *patrius.* Sic enim *Deus patrius*, θεὸς πατρῷος; ut *Deus indiges*, θεὸς ἐντόπιος, atque ita Æneas post obitum dictus est, Deus Indiges amnis Numici, θεὸς ἐνναέτης ποταμοῦ

Ναμικέων. Atque haec etiam fuisse videtur scientia Dionysii, qui *Indigetem* χθόνιον vertit. Simili voto claudit opus suum Vellejus Paterculus. Plinius Panegyr. ad Trajanum. *Emm.*

Vestaque mater, Quæ Tuscum Tiberim, et Romana Palatia servas] Poëtice. Nam verum nomen ejus numinis, quod urbi Romæ præesset, sciri sacrorum lege prohibetur. quod ausus quidam tribunus plebis enuntiare, in crucem levatus est. *Serv.*

Vestaque mater] Cujus sacra virgines exercebant, perpetuum ignem conservantes, quæ inde *Vestales*, sive *sanctæ*, ut Horat. od. I. 2. Græcis ἑστία, ut Cic. de nat. Deor. II. 27. et de leg. II. 12. *Cumque Vesta, quasi focum urbis, ut Græco nomine est appellata (quod nos prope idem Græcum interpretatum nomen tenemus) complexa sit; ei colendæ virgines præsint, ut advigiletur facilius ad custodiam ignis, et sentiant mulieres in natura fœminarum omnem castitatem pati.* Emmeness.

499 *Tuscum Tiberim*] *Tuscum* etiam *Tiberim* adpellat Noster Æn. VIII. 473. *hinc Tusco claudimur amni.* et Æn. XI. 316. *Est antiquus ager Tusco mihi proximus amni.* Quia dirimit Latium ab Hetruria, vel quia fluit per Tyrrheniam, ut de hoc nobilissimo amne Strabo l. v. 'Ρεῖ δὲ ἐκ τῶν Ἀπεννίνων ὀρῶν ὁ Τίβερις· πληροῦται δ' ἐκ πολλῶν ποταμῶν, μέρος μὲν δι' αὐτῆς φερόμενος τῆς Τυῤῥηνίας, &c. Haud dissimilia Plinius III. 5. *Tiberis antea Thybris appellatus, et prius Albula, e media fere longitudine Apennini finibus Aretinorum profluit.* Per i malunt scribi, quam per y, ut Dausquius. Græce tamen per Θ scribere amat Dionysius Alexandrinus in libello de situ orbis: Θύμβρις ἐϋῤῥείτης ποταμῶν βασιλεύτατος ἄλλων, Θύμβρις ὃς ἱμερτὴν ἀποτέμνεται ἄνδιχα ῥώμην. *Emmeness.*

500 *Juvenem*] Augustum. Ecl. I. *Hic illum vidi juvenem, &c.* ita Horat. Epist. I. 8. Neronem imperatorem vocat *juvenem*. Taubmann.

Everso seclo] *Ruentis Imperi rebus*, ut Horat. loquitur Od. I. 2. *Idem.*

502 *Laomedonteæ luimus perjuria Trojæ*] Excusat Augusti tempora, et eum dicit suis viribus non compensare damna reipub. quæ ex majorum vitiis descendisse confirmat. Horatius, *Negligis immeritis nociturum postmodo natis Te fraudem committere.* Servius.

Laomedonteæ luimus perjuria Trojæ] Fabulam tradit nobis Ovidius Met. XI. 200. et seq. et Apollodorus in biblioth. l. II. de Apolline et Neptuno, qui mercenarii fuerunt Laomedontis, seu λατρεῖς, ut Lycophron: sed mercede pacta defraudati, ob perjurium Laomedontis, διὰ τοῦτο Ἀπόλλων μὲν λοιμὸν ἔπεμψεν. Ποσειδῶν δὲ κῆτος ἀναφερόμενον ὑπὸ πλημμυρίδος, &c. Alludit Horat. od. III. 3. excidium Trojæ narrans: *Ex quo destituit Deos Mercede pacta Laomedon, mihi, &c.* Et Noster Æn. III. 248. *Laomedontiadas* pro perjuris ponit. et IV. 542. *Necdum Laomedonteæ sentis perjuria gentis.* Pro quo Sil. Ital. *Ac nondum nostro infaustos generique, soloque Laomedonteæ noscis telluris alumnos.* Ideo circumscribens Laomedonta utitur hoc versu Lycophron: ἐλατόρησαν κοιράνῳ ψευδωμότῃ. *Emm.*

504 *Atque hominum queritur*] Cum cælestes possis mereri. *Servius.*

505 *Ubi fas versum, atque nefas*] Apud homines scilicet, qui spernunt licita, appetentes illicita. *Idem.*

507 *Squalent abductis arva colonis*] Ad bella scilicet. ut, *Et latos vastant cultoribus agros.* Idem.

Squalent] Pro eo Statius Theb. l. IV. *rarescunt alta colonis Mænala.* id est, desolantur necessitate bellorum: conquisitores enim, et id genus hominum, ex quovis sibi loco militem scribunt, inde Noster Æn. VIII. 8. *latos vastant cultoribus agros.* Nec mirum, nam teste Plinio XVIII. 5. *Fortissimi viri, et milites strenuissimi, ex agricolis nascuntur.* Veget. de re milit. I. 3.

Aptiorem armis rusticam plebem, quæ sub divo et in labore nutritur. Emm.

508 *Et curvæ rigidum*] Pari sententia Lucret. l. v. *Inde minutatim processit ferreus ensis, Versaque in opprobrium species est falcis ahenæ.* et Virg. ipse in Æn. VII. 635. *Veneris huc, et falcis honos, huc omnis aratri Cessit amor; recoquunt patrios fornacibus enses.* De Mithridate scribit Appianus, omnia quæ essent silvarum, traduxisse ad belli machinas: tauros etiam aratores, ut inde nervos conficeret ad usum belli. et Ovid. Fast. I. *Sarcula cessabant, versique in pila ligones, Factaque de rastri pondere cassis erit.* Ut vero hæc præcipua est belli nota, ita contraria est pacis. Martial. XV. 34. de falce: *Pax me certa ducis placidos curvavit in usus, Agricolæ nunc sum, militis ante fui.* Cerda.

509 *Hinc movet Euphrates, illinc Germania bellum*] Undique bellum movetur. *Euphrates* namque Orientis est fluvius: Germania autem Occidentis provincia. *Servius.*

Hinc movet Euphrates] Q. d. Undique movetur bellum: ab Ortu et Occasu Solis. *Euphratis* autem mentione innuit Parthicum bellum, quod Antonius imperfectum reliquerat. Et Parthi quidem æmulatione imperii, Germani vero immanitate, Romanis erant terribiles. *Taubmann.*

Euphrates] De Euphrate sic Mela III. 8. *In parte quæ pelagi ostio adversa est, Babyloniorum Chaldæorumque fines sunt, et duo clari amnes, Tigris Persidi propior, ulterior Euphrates.* De origine et nomine hujus fluminis Plutarch. in lib. περὶ ποταμῶν. Et Polyb. IX. 35. Divisit Romanum imperium a Parthico: Cic. ad famil. l. XV. passim. Multa etiam de hoc flumine Marshamus in chron. p. 547. et seqq. *Emmeness.*

510 *Vicinæ ruptis inter se legibus, &c.*] Et externa et civilia bella desæviunt. *Servius.*

512 *Ut cum carceribus*] Hoc vult dicere, Res quidem publica habet optimum imperatorem: sed tanta sunt vitia temporum præteritorum, quæ in dies singulos aucta sunt; quemadmodum in processu equorum cursus augetur; ut ea, licet optimus rector, refrænare non possit: sicut et auriga a ferventi cursu equos plerumque non potest revocare. *Idem.*

Ut cum carceribus sese effudere quadrigæ] Servius negat esse comparationem, quæ si ponatur in fine, vitiosum habeatur. Quintilianus tamen vult esse comparationem, quia interdum præcedit rem: interdum sequitur. Quod quidem in Homero Porphyrius observavit. Et, *ut* dictio, sæpe signum est comparationis. *Pier.*

Quadrigæ] Quattuor equi, sed sine vehiculo juncti. quemodo moris erat in Circo Maximo *Equiria* etiam celebrare: nec quadrijugo tantum curru. Etiam Columella *quadrigas* appellavit equos III. 9. *Taubmann.*

Ut, cum carceribus sese effudere quadrigæ] *Carcer*, teste Varrone de L. L. l. IV. a coërcendo, quod ex eo noxii exire prohibentur. Sic *carceres*, in plurali numero plerumque quidem, ut Charis. Sosip. l. I. p. 19. Servius ad Æn. I. 158. et Ovid. ep. Heroid. XVIII. 166. Septa erant in circo maximo, ut Donatus de urbe Roma III. 14. quibus coërcebantur equi, usque dum mitterentur agitatores, et procurrendi e carceribus, sublevata mappa, sive signo dato per magistratum, fieret copia. Et quia ostiis arcuatis et *fornicatis*, qualia fuerunt duodecim numero, patefactis, quæ transverso ligno et obice clausa, omnia simul una machinatione aperiebantur, quantum poterant, festinabant aurigaturi, inde equi *ruere, se effundere* dicuntur, Noster Ge. III. 104. et Æn. V. 144. *Non tam præcipites, &c.* Frequens etiam hujus comparationis usus apud Poëtas. Hor. sat. I. 1. 114. *Ut cum carceribus, &c.* Sil. Ital. l. VIII. *Veluti cum carcere rupto,*

&c. Talem aurigationem, et carceres cum cancellis suis, nec non ova curriculorum, &c. depicta tradit nobis Onuphrius Panvinius de lud. circens. I. 5. *Emmeness.*

513 *Addunt in spatio*] Id est, currendo plus eorum cursus augetur. *Servius.*

Addunt in spatio] In vulg. cod. *addunt se in spatia.* In codice Mediceo, et aliquot aliis antiquis legere est, *Addunt in spatia*, absque *se* pronomine: id quod ab eruditis quibusdam agnitum. *Pierius.*

514 *Neque audit currus habenas*] *Currus*, id est, equi. Sane sciendum translationem hanc esse, non comparationem: quæ si ponatur in fine, vitiosum est. *Servius.*

GEORGICON

LIBER II.

Multa nimirum in hoc libro desunt, quia paginæ nonnullæ in codice Romano litteris scripto, cui potissimum innitimur, desiderantur. Quod vero licuit, aliis codicibus adjuti sumus. et omnino multa observatione digna deprehendimus: quæ si non omnia ad lectionis emendationem, certe ad sententiarum illustrationem faciant: quidquid id fuerit, Lectorem rogatum velim, ut boni consulat. *Pierius.*

Multa de titulo et versibus hujus libri secundi, ex Theophrasto petita esse, quemadmodum in libro antecedente ex Arato, manifeste demonstrat Petrus Victorius var. lect. XIV. 24. *Emmeness.*

1 *Hactenus arvorum cultus, et sidera cœli: Nunc te, Bacche, canam*] Mire iteravit illum versum, *Quid faciat lætas segetes, quo sidere terram.* In hoc autem libro exequitur culturam agri consiti, qui omnium arborum continet genera. Et sciendum est Virgilium vites quoque arbores dicere. ut, *nec secius omnis in unguem Arboribus positis secto via limite quadret.* et *Hactenus*, ut multi volunt, una pars orationis est, et est adverbium significans hucusque. Alii duas partes volunt, pronomen et adverbium: ut sit tenus hac: sicut, *Et crurum tenus a mento palearia pendent.* sed melius est unam partem accipere orationis, *Hactenus. Sidera cœli*] Pleonasmos. nec enim alibi, quam in cœlo sunt sidera. *Servius.*

Hactenus arvorum cultus] Imitatur hoc procemium Colum. de r. r. III. 1. *Hactenus arvorum cultus, ut ait præstantissimus Poëta: nihil enim prohibet nos, P. Silvine, de iisdem rebus dicturos celeberrimi carminis auspicari principia. Sequitur arborum cura, quæ pars rei rusticæ vel maxima est.* Emmeness.

2 *Bacche*] Inventorem pro vitibus posuit, de quibus κατ' ἐξοχὴν in hoc libro loquitur; nam vites præcipuæ sunt, licet et aliarum arborum faciat commemorationem. *Servius.*

Nunc te, Bacche, canam] *Bacchari*, est furere, inde et *Bacchæ* dicuntur, quod per furorem, sacra Liberi patris celebrabant, et ipse *Bacchus* vocatur a furore, quem incutit cultoribus suis. *Probus.*

Nunc te, Bacche, canam] Bacchi appellatione vites significat, et tria proponit explicanda: de vitibus; de ar-

bus silvestribus, iis nimirum, quæ bus sunt usui, subministrando iis lamenta, aut vincula, aut similem quam rei rusticæ operam præstan- : denique de excolendis oleis. mtanus.

Nec non silvestria tecum Virgulta] Id st, infœcundas arbores, quibus præ- ipue in Italia vites cohærent. *Serv.*

Silvestria Virgulta] Quibus præcipue n Italia vites cohærent, et quasi (ut Hor. Epod. II. loquitur) *maritantur:* ut sunt salices, populi, ulmi, orni, &c. Georg. I. 2. *ulmisque adjungere vites.* Taubmann.

3 *Tarde crescentis olivæ*] Res enim diu duratura tardius crescit. *Servius.*

Tarde crescentis olivæ] Ita creditum de hac arbore, et testes oculi. Ideo a Græcis oliva dicitur ὀψίγονος, ὀψίκαρπος, ὀψιβλαστὴς, ὀψιανθὴς, omnia ab hac tarditate. et ab Apollon. lib. IV. πολύκμητος, quasi multum laboris ponatur, ut crescat, ut augeatur. Ab Artemidoro IV. 12. numeratur olea inter arbores, quæ βραδέως φύεται, καὶ βραδέως αὔξεται, *tarde nascuntur, et tarde crescunt.* Huc pertinent verba Plinii XV. 1. *Hesiodus negavit oleæ satorem fructum ex ea percepisse quemquam. Tam tarda tunc res erat.* et Varronis I. 41. *Palma, cupressus, et olea in crescendo tarda.* Sumsit a Theophrast. caus. I. 9. a quo palma, cupressus, laurus, pinus, olea dicuntur esse δυσαυξῆ, *tarde crescentia.* et opponuntur punicæ, ficui, viti, quæ sunt εὐαυξῆ. Cur olea tarde crescat, rationem adhibet Varro dicto loco, et sumsit a Theophrast. Lege. Cum respectu ad hanc, et alias arbores, quæ tarde crescunt, dixit Aufranius in Synephebis: *Serunt arbores, quæ alteri seculo prosint.* Cerda.

4 *Huc pater o Lenæe*] Pater, licet generale sit omnium deorum, tamen proprie Libero semper cohæret: nam Liber pater vocatur. *Servius.*

O Lenæe] *Lenæus* ἀπὸ τοῦ ληνοῦ, id est, a lacu. nam quod Donatus dicit ab eo, quod mentem leniat, non procedit: nec enim potest Græcum nomen Latinam etymologiam recipere. *Idem.*

O Lenæe] Ἀπὸ τοῦ ληνοῦ, a lacu sive torculari, ut Servius Æn. IV. 207. *Liber Lenæus dicitur, quia lacubus præest*, id est, ἀπὸ τοῦ προεστάναι ληνοῖς. De etymologia, quam tradit Donatus, judicent eruditi. Hoc saltem constat epitheton convenire Baccho. Noster hoc libro vs. 529. *Te libans Lenæe vocat.* Sic Horatius od. III. 25. *Dulce periculum est, O Lenæe, sequi Deum Cingentem viridi tempora pampino.* Vide ibi Torrent. Tibullus III. 7. *Odit Lenæus tristia verba pater.* Hesychius: Ληναῖος, Διόνυσος. Suidas: Ληναῖος, ἐπίθετον τοῦ Διονύσου. Inde Ληναῖα quod eodem teste ὄνομα ἑορτῆς ἐν Ἀθήναις. Sic Ληναίων mensis, quo certabant Poëtæ in honorem Bacchi, de quo certamine Aristophan. in equit. Θόρυβον χρηστὸν ληναΐτην, Ἵν' ὁ ποιητὴς ἀπίῃ χαίρων. Ubi operæ pretium legere verba Scholiast. Quis fuerit ille mensis, discimus ex Scaligero l. I. p. 29. et 55. Sed de his uberius agit Meursius l. V. de festis Græcorum. *Patrem* appellari Liberum ex Horatio et Tibullo supra citatis liquidum, quibus hoc addo ex Venusino Poëta, epist. II. 1. 5. *Romulus, et Liber pater, et cum Castore Pollux.* Sic de Antonio Paterculus II. 82. *Cum novum se Liberum Patrem appellari jussisset, cum redimitus hedera, coronaque velatus aurea, et thyrsum tenens, cothurnisque succinctus, curru, velut Liber Pater, vectus esset Alexandriæ.* Just. XII. 7. *Fiducia religionis Liberi patris.* quamvis etiam commune nomen sit divinitatis, ut Turneb. advers. XIII. 8. et κατ' ἐξοχὴν competat Jovi. *Emmeness.*

Tuis hic omnia plena Muneribus] Tuis muneribus hic sunt omnia plena, et ea ubique requiruntur. *Servius.*

Tuis muneribus] Sunt tamen qui ἀμπελουργίαν Osiridi tribuant, teste

Isacio Tzetze, Xenocratis interpr. Athenæus l. III. tradit Theopompum Chium narrare Alpheum vitem invenisse. Pausan. autem in Bœot. Thebanis attribuit. *Meyen.*

5 *Pampineo autumno*] Cujus tempore vites foliis et fructibus plenæ sunt: et sub quo maturæ fiunt. *Et Pampineo*, pro pampinoso dixit; ut nemus frondeum, pro frondosum. *Servius.*

Pampineo gravidus autumno] Q. d. Vites in auctumno foliis et uvis plenæ sunt atque adeo maturæ. Hunc autem versum Diomedes *exilem* vocat et quasi *elumbem:* quod jambus loco spondæi sit. Vett. libr. l. *purpureo.* Taubmannus.

Tibi Floret ager] In honorem tuum exultat et lætus est. Nam autumnali tempore revera florere non potest ager. *Servius.*

Tibi Floret ager] i. in honorem tuum exultat et lætus est: ut quidem exponit Servius: cum in auctumno ager florere non possit. Sed cum idem notet Æn. VII. 805. *florens* dici omne id, quod nitidum est, putarim *florere* hic dictum, ut illud Lucret. l. v. *floret mare navibus:* et *gemmis florent arbusta:* ubi scil. multæ naves sunt, et gemmæ copiosæ. Item ut illud Prudentii, *urbs floret sepulchris;* elegantissimo usu. V. N. Æn. VII. *florentes ære catervas:* et Gifanii Ind. Lucr. *Taubmann.*

6 *Spumat*] Propertius III. 15. *Dum modo purpureo spument mihi dolia musto, Et nova pressantes inquinet uva pedes.* Idem.

Vindemia] Cum vindemiam numero singulari dicimus, unius anni significamus: cum plurali, multorum: ut messem, messes: hyemem, hyemes. hæc enim semel tantum annis quibusque contingunt. Multi tamen volunt *Vindemiam* esse totius orbis generaliter, *vindemias* singularum partium: ut plus significet singularis, quam pluralis numerus; sicut plus est cum dicimus, per terram pluit, quam per terras. tunc enim omne elementum per singularem numerum, non terras aliquas significamus. *Servius.*

Labris] *Labrum*, cupa est, tina, lacus. *Taubmann.*

7 *Veni*] Hac forma solitos invocari Deos, multorum testimoniis probat Brisson. de Form. l. I. Græci quoque ἐλθὲ ad eandem rem. *Cerda.*

Musto] *Mustum* numero tantum singulari dicimus, sicut et vinum: licet Ovidius abusive dixerit *Musta.* Sed hoc ille plus fecit, quod et *Mustis* dixit: cum (ut diximus) de his nominibus tres casus tantum usurpari consueverint. *Servius.*

Nudataque musto] ὑποτίθησιν Calcationis. Tibullus II. 5. *Oblitus et musto feriat pede rusticus uvam: Dolia dum, magni deficiuntque lacus.* Taub.

8 *Cothurnis*] Sunt calceamentorum genera venatori apta, quibus crura etiam muniuntur, cujus calceamenti effigies est in simulachris Liberi et Dianæ. *Probus.*

Cothurnis] Non hoc temere (inquit Turneb. XXV. 30.) nam cothurnatus erat Bacchus. De illo enim apud Aristophanem τί κόθορνος καὶ ῥόπαλον ξυνελθέτην; *quid cothurnus et clava convenerunt?* Loquitur porro Hercules admirans habitum Bacchi, qui ad cothurnum suum clavam addidisset non suam. Nonnus de Baccho pugnaturo adversus Indos l. XIV. ἀργυρα πορφυρέοις ἐπεθήκατο ταρσὰ κοθόρνοις: *Induit argenteas plantas purpureis cothurnis.* et apud Tacit. l. XI. *In celebrando vindemiæ simulacro Silius Bacchum referens hedera vinctus erat, et cothurnos gerebat.* Patercul. l. II. loquens de Antonio: *Cum ante novum se Liberum Patrem appellari jussisset, cum redimitus hedera, coronaque velatus aurea, et thyrsum tenens cothurnisque succinctus, curru velut Liber Pater vectus esset Alexandriæ.* De Caio similem amentiam narrat Philo περὶ πρεσβ.

repræsentante Bacchum *κιττῷ, καὶ θυρσῷ, καὶ νεβρίσιν, hedera, thyrso, pellibus.* Cerda.

9 *Principio arboribus*] Creandarum arborum naturaliter sunt tria genera. Aut enim sua sponte nascuntur: aut ex seminibus, fortuito jacentibus, surgunt: aut ex radicibus pullulant. nam cætera usus invenit, favente natura. *Servius.*

Principio, &c.] *De triplici Arborum nascentium differentia:* quam ex Theophrasto vertisse auctor est P. Victorius XIV. 24. quamque Plinius XXXII. 16. his verbis explicat: *Arbores, quas Naturæ debeamus, TRIBUS modis nascuntur: Sponte, aut Semine,* (fortuito scil.) *aut ab Radice.* Vide et XVII. 10. Item Columell. de Arborib. cap. I. ubi itidem docet, duo esse surculorum genera: quorum alterum a *Natura,* alterum a *Cura* procedit: et illud materiæ magis aptum esse, hoc fructibus. *Taubmann.*

11 *Sponte sua*] *Sponte,* modo nomen est: quia junctum est ei genus; quo caret semper adverbium. *Servius.*

Veniunt] Crescunt: ut alibi, *Illic veniunt felicius uvæ.* Idem.

Camposque et flumina late Curva tenent] Per transitum ostendit in quibus locis arbores sponte nascantur, scilicet in humidis. Nam terra mater est rerum omnium, et seminum cunctorum creatrix. *Idem.*

12 *Ut molle siler*] Arboris genus est. *Idem.*

Siler] Et notandum genus neutrum de arbore: quod est admodum rarum. *Idem.*

Siler] Explicui non de illo quod nascitur in aquosis, ut auctor est Plin. XVI. 18. sed de montano: tum quia Poëtæ venustior sententia si binas species campis attribuas, binas fluminibus: tum quia hujus præ illo frequentior mentio in scriptoribus herbariis. Montani enim sileris meminit Leonhardus Fuchsius Comment. de hist. stirp. cap. 302. Remb. Dodon. Pemptad. II. 5. 15. aitque illud in Liguria in asperis montibus sponte nasci. Matthiol. in lib. III. Diosc. Ruellius quoque et generalis historia plantarum VI. 27. atque omnes demum, qui scripserunt de re herbaria. An vero hoc siler idem sit cum *seseli* Massiliensi, ut plures putant, ut negat Dodonæus, alterius est otii. Videndi interpretes Dioscor. III. 53. *Cerda.*

Molle siler] Salmasius in Plinian. exercitat. p. 999. ex antiquis grammaticis interpretatur *siler* idem esse, quod *κύπειρος.* sed errare idem putat eos, nam siler frutex est, inquit, ex quo bacula fieri solita, quæ gestabantur adversus serpentes, ut Plin. XXIV. 10. Quod siler gaudeat locis aquosis, idem docet XVI. 18. *Emmeness.*

Genistæ] *Genista,* frutex apibus gratissimus, et ligandis vitibus perutilis. Dubitat Plinius, an hæc sit, quam Græci *σπάρτον* appellavere. Vide XXIV. 9. et in primis Jac. Dalechamp. ad XIX. 1. et 2. *Taubmann.*

13 *Glauca canentia fronde salicta*] Locum salicum, pro ipsis arboribus posuit. bene autem ait et *Glauca,* et *Canentia:* nam salix ab una parte alba est, ab altera viridis. Sane Cacephaton est, *Glauca canentia.* Serv.

Glauca canentia] Bene ait, et *glauca* et *canentia:* nam salix ab una parte alba est, ab altera glauca, qui color virori commixtus. *Taubmann.*

14 *Pars autem posito, &c.*] Quacunque ratione projecto, vel ab avibus, vel ab hominibus: ne incipiat esse industriæ. Dicit quippe plerasque arbores ex semine nasci, non studio hominum jacto, sed quocunque modo et eventu. *Servius.*

Pars surgunt] Pro surgit. *Idem.*

15 *Nemorumque Jovi, quæ maxima, &c.*] Ordo est, Nemorumque maxima æsculus, quæ Jovi frondet: id est, quæ crescit in Dodonæo nemore, quod erat Jovi consecratum. *Idem.*

Nemorumque Jovi] Ordo est: *Nemorumque* (i. arborum) *maxima Æscu-*

lus, quæ Jovi frondet, i. quæ Jovi consecrata est, ut ait Plin. XII. 1. et inter *glandiferas* arbores ponitur Theophrasto. In opt. Lexico etiam Turnebi *Æsculus* exponitur φηγὸς βαλανηφόρος: XXVII. 10. *Taubmann.*

16 *Atque habitæ Grajis oracula quercus*] Nam in Dodonæo nemore arbores, dantes responsa, fuisse dicuntur. *Habitæ* autem *Grajis:* vel quasi non credens dixit, vel quasi Italus, qui loca illa nesciret. vel revera quondam *Habitæ,* quia illo jam tempore silebant. *Servius.*

Atque habitæ Grajis oracula quercus] Dodonam urbem esse Epiri, scimus ex Servio ad Virg. Ge. I. 149. *Dodona civitas est Epiri, juxta quam nemus est Jovi sacratum, et abundans glandibus semper, de cujus nemoris arboribus columbæ oracula petentibus dare consueverant.* Mela II. 3. *In Epiro Dodonæi Jovis templum.* In cujus Dodonæi Jovis oraculo quercum vocalem fuisse, affirmat Probus, quæ quercus, sive ἡ ἐν Δωδώνῃ δρῦς, vetustate nobilis fuit, ut Pausan. in Arcad. l. VIII. Sed, quemadmodum Servius ad Æn. III. 466. ab Arce, latrone Illyrio excidi præcepta est. An ex lebetum, pelvium, tintinnabulorum sonitu et tinnitu, vel e columbarum, quercubus insidentium, garritu, oracula percepta sint, excutiant quibus plus est otii. De quercu vocali Homer. Odyss. Ξ. 327. Τὸν δ' ἐς Δωδώνην φάτο βήμεναι, ὄφρα Θεοῖο Ἐκ δρυὸς ὑψικόμοιο Διὸς βουλὴν ἐπακούσῃ. Ubi Scholiast. Alludit ad hanc arborem Ovid. amor. III. 10. *Sed glandem quercus oracula prima ferebant.* et de art. am. II. 541. *Hæc tibi non hominem, sed quercus crede Pelasgas Dicere.* De auctoritate horum oraculorum agit Pausanias in Achaic. l. VII. πέλειαι καὶ τὰ ἐκ τῆς δρυὸς μαντεύματα μετέχειν μάλιστα ἐφαίνετο ἀληθείας. De Æsculo arbore procerissima, quæ πλατύφυλλος, πολύγλωσσος, vide Salmas. in Plin. exercit. p. 507. 508. *Emmeness.*

17 *Pullulat ab radice*] Mira in singulis proprietas. nam ait, *Sponte sua veniunt, surgunt de semine; pullulant ab radicibus.* Servius.

Densissima silva] Fruticum sive stolonum. De quibus Plinius: *Natura et plantaria demonstravit, multarum radicibus pullulante sobole densa, &c.* Taubmannus.

18 *Ut cerasis, ulmisque*] Hæc cerasus, his cerasis facit. Sane Cerasus civitas est Ponti, quam cum delesset Lucullus, genus hoc pomi inde advexit, et a civitate Cerasum appellavit. Nam arbor cerasus: pomum cerasum dicitur. Hoc autem etiam ante Lucullum erat in Italia, sed durum; et cornum appellabatur: quod postea mixto nomine, cornocerasum dictum est. *Servius.*

Ut cerasis ulmisque] Descriptionem cerasi petes ex Theophrasto l. de hist. plant. III. 13. Sed utrum hæc arbor tale nomen sortita demum sit a Cerasunte, Mithridate et Tigrane debellatis, auctore Lucullo, ut vult Plinius XV. 25. an probanda Diphili Siphnii sententia, quam enarrat Athenæus deipnosoph. II. 11. παμπόλλοις ἐνιαυτοῖς πρεσβύτερος Λευκόλλου ἀνὴρ ἐλλόγιμος, Δίφιλος ὁ Σίφνιος, γεγονὼς κατὰ Λυσίμαχον τὸν βασιλέα, (εἷς δὲ οὗτος τῶν Ἀλεξάνδρου διαδόχων), μνημονεύει τῶν κερασίων, λέγων· Τὰ κεράσια εὐστόμαχα, εὔχυλα, ὀλιγότροφα. Hæc verba Casaubonus rectius interpretatur, qui Plinium manifesti erroris arguit. De Cerasunte oppido Ptolemæus, Strabo et Arrianus. *Emmeness.*

Parnasia laurus] A Parnaso monte, Apollini consecrato. *Servius.*

Parnasia laurus] Dicitur, quia subjecta est Apollinis tutelæ, cujus oraculum Delphicum Parnaso monti Phocidos subest. *Probus.*

Parnasia laurus] In Parnaso Phocidis monte crescens. Videatur Strabo lib. IX. et ad eum Casaubonus, im-

primis ad Persii Prologum, ubi de Parnaso, Helicone, et Cithærone viciniis montibus, et Poëtificis, accuratissime contra omnes Vett. et Novitios disputat, et Syriacas voces esse docet, non Græcas. *Parnasus* etiam unico *s* rectius scribi. *Taubmann.*

Parnasia laurus] Locum istum æmulatur Claudian. de nuptiis Honor. et Mar. *ceu forte minor sub matre virenti Laurus, et ingentes ramos, olimque futuras Promittit jam parva comas.* Cerd.

19 *Matris*] Solitum magnis scriptoribus usurpare, in re silvestri atque arborea, nomina quæ pertinent ad sobolem, membra, ætates, affectiones hominum. Quatuor ista breviter ostendam ex uno præsertim Plinio, ut hæreant in animis juvenum elegantiæ hujus simulacra. Ergo de nominibus quæ pertinent ad sobolem, Poëta hic, *matris*, et infra *matrum*. Pindarus Nem. v. autumnum vocat, μητέρα οἰνάνθης. Philo: περὶ φυτουργ. terram vocat μητέρα, καὶ τροφόν. Seneca in Troade: *Quæ tenera cæso virga de trunco stetit, Par ipsa matri tempore exiguo subit.* Suet. Aug. c. 94. *matricem* vocat, loquens de palma. Adduxi pluscula de matre quia hæc vox est in Virgilio. *Cerda.*

Se subjicit] Id est, *excrescit*, ut Non. Marcellus, *in altum exsurgit*. Quamvis proprie *subjicere* est *subter jacere* juxta Servium ad Æn. XII. 288. Eo tamen loco Virgilius, pro *se in altum erigere*, usurpare videtur: *aut corpora saltu Subjiciunt in equos.* Sic ecl. X. 74. *Quantum vere novo viridis se subjicit alnus.* et Ge. III. 241. *Nigramque alte subjectat arenam.* et IV. 385. *Ter flamma ad summum tecti subjecta reluxit.* De quantitate particulæ *sub* Gellius IV. 17. *Emmeness.*

20 *Hos natura modos primum dedit*] Bene *primum*. Nam ut etiam supra diximus, favor naturæ fuit etiam ad alios inveniendos. contra naturam enim nihil hominum inventum valeret. *Servius.*

Genus] Hanc vocem de plantis sæpe audies; est hæc confinis superioribus. Theophrast. causs. l. I. τῶν φυτῶν αἱ γενέσεις: *plantarum generationes.* Arist. hist. animal. l. VII. γένος τῶν φυτῶν, *genus plantarum.* Cerda.

21 *Fruticum*] Fruticem ita definit Theophrast. hist. I. 5. φρύγανον δὲ, τὸ ἀπὸ ῥίζης, καὶ πολυστέλεχες, καὶ πολύκλαδον. οἷον βάτος, παλίουρος: *Frutex, quod ab radice caudice multiplici ramosumque se attollit: ut rubus, paliurus.* Aristot. ita plant. I. 4. ἔχοντα ἐν ταῖς ῥίζαις αὐτῶν πολλοὺς κλάδους, ὡς τὰ καλούμενα ἄγνοι, καὶ βάτοι: *Quæ multos habent in radicibus ramos: ut quæ dicuntur virgulta et rubi.* Clarius: Quicquid statim ab radice se in ramos diffindit, quodque ex natura sua numquam arborescit. Sunt multa, quæ mediam habent naturam, aut inter arborem et fruticem, et herbam cujus generis plantas Plinius vocat suffrutices, et Theophr. dicto loco δενδρολάχανα, quasi jungantur ex arboribus et oleribus. *Idem.*

22 *Via sibi repperit usus*] Ratione: ut, *Inveni, germana, viam.* Servius.

Via sibi repperit usus] In Longobardico exemplari *viam* legitur, accusativo casu: quod forte non displiceat, si ordinem feceris, *Sunt alii, quippe modi, quos usus repperit sibi viam.* Servius tamen agnoscit *via*, id est, ratione, ut: *Inveni, germana, viam:* alii dicunt *via*, inter eundum quippe, in ipso progressu rerum et experientia. In Mediceo paraphrasis est, *via*, ingenio. *Pierius.*

Via] Quod hic Virgilius *viam*, Theophr. hist. I. τέχνην et προαίρεσιν: *artem, studium.* Cerda.

Sunt alii, &c.] *Modi quinque artificiales serendarum arborum.* Jam hunc versum, ante ætatem etiam Servii, corruptum, Jos. Scalig. in Prolegom. Manil. Novæ edit. priscæ et germanæ lectioni ita restituit: *Sunt aliæ, quas ipse vias sibi repperit usus:* planissima scriptura et sensu. *Taubmann.*

23 *Hic plantas tenero*] Inter plantas et plantaria, hoc interest; quod *plantæ* raptæ sunt de arboribus: *Plantaria* vero, quæ ex seminibus nata, cum radicibus et terra transferuntur: ut, *Et viva sua plantaria terra*. Servius.

Hic p. t. abscind. de corpore matrum] *Primus modus*: cum stolones, sive arborum plantæ ramis avulsæ, solo inseruntur. Plin. lib. XVII. 10. *Et aliud genus simile Natura monstravit: avulsique arboribus* (ἀπὸ παρασπάδος, Theophr. II. 1.) *stolones vixere. Quo in genere et cum perna* (alii *pinna* leg.) *sua* (ita ibidem Theophr. c. 21. *avulsi surculi calcem* dixit) *avelluntur, partemque aliquam e matris quoque corpore auferunt secum fimbriato* (alii, *fibrato*) *corpore*. Taubmann.

24 *Sulcis*] Fossis: ut, *Ausim vel tenui vitem committere sulco*. Servius.

Hic stirpes obruit arvo] Altius deponit validiores cum radicibus plantas. *Idem*.

Hic stirpes] *Secundus modus*: cum stirpes et pali virides terræ infiguntur. ut apud nos salix, alnus, sambucus, &c. Plin. XVII. 17. *Casus defractos serere ramos docuit: cum pali defixi radices egissent*. Taubmann.

Obruit arvo] Altius adactas defigit. Theophrasto προσχωννύειν est. *Idem*.

25 *Quadrifidasque sudes*] Ita robustas, ut possint in quatuor partes dividi. *Servius*.

Quadrifidas] Colum. IV. 33. *quadrifidas ridicas*. Notandum male hoc explicari a Servio; ait enim, Poëtam bis idem dixisse, nam sudes et valli res eadem. Nunquam Virgilius eadem bis dixit. Nam si sudes quadrifidæ, qui acutæ? si valli acuti, qui quadrifidi? Aperte discriminat vel ex forma ipsa. Nec me movet scribi a Vegetio III. 8. *valli, hoc est, sudes*. Nam nullum fere vocabulum est, quod idem omnino cum alio significet: tamétsi ignoranti proprietatem hoc sæpe appareat. *Cerda*.

Quadrifidas] Palus viridis si fuerit paululum fissus in quatuor partes, et anima sit oblita terra, si defigatur, crescit in arborem. *Sabinus*.

25 *Et acuto robore*] Pro acuti roboris accipimus. Et bis idem est dictum. nam et valli, et sudes idem sunt. *Servius*.

Acuto robore] *Trunco exacuto et in mucronem fastigiato*, ut Plin. loquitur. *Taubmann*.

26 *Silvarumque aliæ pressos propaginis*] Propago præcipue vitibus congruit. unde apparet *silvas* eum etiam de vitibus dicere. *Servius*.

Propaginis arcus] De hoc præcepto agit Auctor Geopon. l. v. et quidem vivide, et graphice rem describit. Inquit enim, propaginem ex una parte pendere a vite, ὥσπερ ἀπὸ μαστοῦ ἕλκει τὴν τροφὴν, *veluti ab ubere alimentum trahat*: ex altera in terra innutriri, et radices agere, ὑπὸ δύο μητρῶν τιθηνούμενον, *totum duarum matrum tutela*. Philo in lib. τὸ χεῖρον τῷ κρειτ. ἐπιτίθ. ita describit propaginem loquens de agricola: Ἤδη δὲ καὶ ἄμπελον ἰδὼν εὐθηνοῦσαν, τὰς κληματίδας ἐκκλίνει κατὰ γῆς, τάφρους ὀρυξάμενος, καὶ τὸν χοῦν αὖθις ἐπενεγκών· αἱ δὲ ἀντὶ μερῶν ὅλαι, καὶ ἀντὶ θυγατέρων μητέρες, οὐκ εἰς μακρὰν ἐγένοντο: *Jam vero vitem luxuriantem conspicatus deflectit in terram propagines, scrobes faciens, ac mox terram aggerens denuo: at illæ quæ modo partes fuerant, jam integræ sunt, et ex filiabus fiunt matres*. De hoc demum præcepto videndus Cato rei rust. c. 32. et 51. Colum. de arborib. c. 6. et 7. Plin. XVII. 13. *Cerda*.

Pressos arcus] Arbores sive ramos in terram usque incurvatos, atque insertos; vel etiam in stipitem adsitum; ultima sui parte tantum extante. Vide Plin. XVII. 10. et 13. et 17. *Taubmann*.

Propaginis] Tradiderunt quidam, *propago*, cum de vite dicitur, prima extendi; cum de homine, corripi. Quod tamen auctoritas veterum re-

futat. Certe Lucret. l. I. *Propagare genus possit vitamque tueri.* Id. l. v. *Nec potuisse propagando procudere prolem.* Rectius fortasse Probus, in Institutis artium: *Sunt alia nomina, quæ in uno intellectu, per Casus syllabæ naturam vertunt.* ut propago in *Nominativo prima syllaba brevis est*, ut Æn. vi. 870. et Æn. xii. 827. *Itala virtute propago.* *At in Ablativo* (addo et in Genit.) *longa est*, ut Ge. ii. 63. *melius propagine vites Respondent.* Item *pressos propaginis arcus.* vs. 26. *Idem.*

27 *Et vivæ sua plantaria terræ*] Et aliæ silvarum expectant plantaria cum sua terra viva, id est, naturali. ut *vivoque sedilia saxo*, id est, naturali. Inde est, *Mutata ignorent subito ne semina matrem.* Servius.

Et vivæ sua plant.] P. Victor. l. xiv. c. ult. et P. Ramus *non alium modum* hic intelligunt, sed e prima propagationis specie notari putant plantas in sua et genitali terra viventes. quas Cic. forte *viviradices* appellavit in Caton. *Taubmann.*

Sua terra] Inde est vs. 268. *Mutata ignorent subito ne semina matrem.* Idem.

28 *Nil radicis*] Quia rami nascuntur sine radice. Theophrastus scribit: Arborum, herbarum, et fruticum est radix, caulis, caudex, ramus, surculus, planta. *Radix* est, unde alimentum attrahitur a terra. *Caulis* est, ad quem alimentum defertur: et intelligitur, quod supra terram simplex exurgit. Idem in arborum genere appellatur caudex. *Ramus* dicitur, quod e caudice exit. *Surculus* dicitur, quod e ramis oritur. *Planta* res est varia, atque multiplex. Præter hæc sunt cortex, medulla, nervi, vena, flos, pediculus, et fructus. *Sabinus.*

Putator] Φυλλοτόμος, ἀλσοκόμος. Quid *putare* et *putum*, docet Agell. vi. 5. et Scalig. in Conjectan. *Taubm.*

30 *Quin et caudicibus sectis*] *Caudicibus* posuit pro codicibus: sicut caulem, pro colem; sauricem, pro soricem dicimus. Fit autem, quod nunc dicit de oliva et myrto: quarum sicci stipites secantur usque ad medullam; et terræ infossi ex se arbores creant: quod sine dubio mirum est. *Servius.*

Quin et caudicibus sect.] *Quintus modus* procreandarum arborum. qui est τοῦ ξύλου κατασχισθέντος εἰς μικρά, ut Theophrast. loquitur: vel, ut Plinius, *consecto arboris trunco.* Alii tamen hunc modum a præcedenti non sejungunt: sed tantum postremam insitionem exemplis declarari putant. Genera autem hujusmodi Insitionum tria recenset Columella v. 11. Vide et Varron. i. 40. Item Plin. xvii. 14. *Taubmann.*

Quin et caudicibus sectis] *Sextus* hic est *modus* procreandarum arborum. Primus est cum plantæ sive stolones e corpore matrum sive majorum arborum abscissi deponuntur in scrobibus, de quo vs. 23. Secundus, cum terra teguntur stirpes, id est, plantæ cum suis radicibus validiores, et sudes sive perticæ inferius quadrifariam divisæ, et in formam crucis fissæ, ut facilius radices agant, et in ramulos sub terra diducantur, vs. 24. Tertius de vitibus, et aliis arboribus exspectantibus propagationem, vs. 26. Quartus, cum plantaria, sive viviradices, id est, plantulæ ex seminariis, cum suis radicibus, et terra propria, in alium locum transferuntur, vs. 27. Quintus, cum putator, sive qui ramos arborum amputat, non dubitat summum surculorum cacumen scrobibus infodere, et referre in terram, e qua exierant, vs. 28. Sextus, cum e caudicibus sive truncis oleæ, in varias partes dissectis, et omni succo propemodum exhaustis, radix olivæ nascitur, et quasi vi quadam e sicco ligno extruditur, sive natura urgente propellitur. *Nic. Abramus.*

Quin et caudicibus sectis] Beroaldus manifestum errorem refellit et perstringit, et Servium defendit Sabinus lect. subcis. ii. 16. *Emmeness.*

31 *Truditur*] Urgente natura procreatur. *Servius.*

E sicco ligno] Ex arido. *Idem.*

Radix oleagina] Derivatum ab olea. *Idem.*

Truditur e sicco radix oleagina] Id est, olea. Hic innuit, vallum, sive palum oleagineum, *βλαστικὸν εἶναι καὶ ἀῤῥίζωτον*, hoc est, vim habere germinandi; etiamsi radicibus expers sit: sicut *ficulneum et vinaceum.* Willichius.

Truditur e sicco, &c.] Urgente Natura procreatur. vs. 74. *trudunt de cortice gemmæ.* Taubmann.

32 *Impune videmus*] Sine damno sui. Et loquitur de insitione. Sane insitas arbores dicimus: insertas vero causas, aut fabulas. *Servius.*

33 *Vertere*] Ge. III. 365. *in glaciem vertere lacunæ.* V. N. Æn. I. *Tum prora avertit.* Taubmann.

Vertere in alterius mutatamque insita mala, &c.] Fere totidem hoc verbis docet Statius Silv. l. II. in epicedio in Glaucia vs. 101. *Vidi ego transertos alieno in robore ramos Altius ire suis.* Propert. IV. 2. *Insitor hic solvit pomosa vota corona, Cum pirus invito stipite mala tulit.* Quod omnium generum surculi omnibus arboribus inseri possint, licet videantur prisci negare, adstruit Colum. v. 10. De insitione antiquis usitata, quæ nonnunquam inoculatione, nonnunquam emplastratione fiebat, Plin. XVII. 23. ubi Dalecampius insitionum species dispungit, et Cato de r. r. c. 40. 41. et 42. In Græcis scriptoribus crebro occurrunt hæc verba, quæ ad insitionem pertinent: *ἐμβάλλειν, ἐμφυτεύειν, ἐμφυλλίζειν, ἐνοφθαλμίζειν, ἐγκεντρίζειν*, quod etiam τῶν ἐθνῶν ἀπόστολος habet in epist. ad Rom. XI. 17. *Emmeness.*

34 *Lapidosa corna*] Dura. Alibi, *lapidosaque corna Dant rami.* Serv.

Lapidosa corna] Propter ossiculum, quod habent unicum. Servius *dura,* exponit. *Taubmann.*

35 *Quare agite*] Absoluta Naturæ et curæ sive artis partitione, hortatur agricolas, ut *generatim*, i. in singulis Arborum generibus *propriam* et cuique speciei congruentem culturam servent, et loca sterilia vinetis et olivetis frequentent. *Idem.*

Proprios generatim] *Generatim,* per singula genera. Generaliter autem est simul omnia. *γενικῶς, καὶ κατὰ γένος. Servius.*

36 *Fructusque feros mollite colendo*] Hanc sententiam ita extulit Ovid. de med. faciei: *Cultus et imprimis succos emendat acerbos.* Plin. XVII. 10. loquens de plantis, quæ adoleverunt in seminariis, et mox transferuntur: *Discedentes, virus relinquunt, mansuescuntque tractu, ceu feræ, dum radici avellitur planta.* Virgil. infr. *exuerint silvestrem animum.* et Lucret. l. V. *fructusque feros mansuescere terra Cernebant indulgendo, blandeque colendo.* Theophr. hist. II. *τὸ ἄγριον ἐξημεροῦται: mansuescit silvestris rusticitas.* Quo sermone usus est Livius l. XXXVIII. cum allusione ad rem rusticam: *Uberrimo agro, mitissimo cælo, clementibus accolarum ingeniis, omnis illa, cum qua venerant, mansuefacta est feritas.* Cum allusione (inquam) ad arbores, ut apparet ex superioribus Livii, si quis adeat. Ceterum, nomen *feritatis,* in re agresti frequentissimum. Plin. XIV. 20. *Arbores feras.* et cap. 19. de mustis: *ferociam frangunt.* Cerda.

37 *Segnes terræ*] Pigræ, infœcundæ. et docet posse industria etiam loca asperrima ad fertilitatem perduci. *Servius.*

Neu segnes jaceant terræ] Ad hanc admonitiunculam pertinent, quæ late Columel. tractat, II. 1. ubi caussam telluris, minus benigne respondentis colono, assignat, non senio terræ, sed ignaviæ agricolarum. *Cerda.*

Ismara] Montes Thraciæ. *Servius.*

Juvat Ismara Baccho Conserere, atque olea magnum vestire Taburnum] Thracia vino fertilis, cujus nationem quandam appellat Homer. Aliter oppidum est Ismarus, quod expugnavit

Ulysses, quum a Troja discederet, et victor vinum accepit a Marone, cujus pater Capithus traditur, quod Cyclopi dedit. Ejus autem tanta vis existimatur, ut unum metrum vini viginti etiam metra sustineat aquæ. Ergo quia tam efficax est natura in vino Thraciæ, præcepit eam conserendam vitem. Taburnus mons est Apuliæ regionis, qui fertilis est olea. *Probus.*

Juvat Ismara Baccho Conserere] Id est, vitibus complere. Sic Val. Flaccus Argonaut. l. II. *consertaque gentibus arva.* Giphanius ad Lucret. l. II. *et lumine conserit arva.* tralationem insignem esse hujus verbi docet, de qua etiam Nonius Marcellus, qui pro *inserere* dictum putat. Plaut. Menæch. v. 24. *Consitus sum senectute.* Pro eo Terent. Eun. II. 2. 5. *Annis obsitus.* et Noster Æn. VIII. 307. *Obsitus ævo.* Vide Turneb. XIV. 40. *Emmeness.*

Ismara] *Ismarus* et hæc *Ismara.* *Ismarus* oppidum est Thraciæ in maritimis, quod dicitur expugnasse Ulysses post captum Ilium. Unde vinum accepit nomen a Marone, Evanthis filio. Plinius ait: *Vino antiquissima claritas Maroneo, Thraciæ maritima parte genito, ut auctor est Homerus, cujus tanta vis esse perhibetur, ut una mensura requirat viginti aquæ.* Sabinus.

38 *Olea magnum vestire Taburnum*] Per hos montes, significat etiam montuosa et aspera loca tentanda esse. *Servius.*

Taburnum] Taburnus mons Campaniæ. *Idem.*

Vestire] Implere significat. *Idem.*

Vestire Taburnum] Qui vestitur ager arboribus. *Taburnus* est mons Apuliæ, fertilis oleæ. Prope est oppidum Oriolum. *Sabinus.*

Vestire] Tegere, hoc verbo nihil frequentius apud rei rusticæ scriptores. Colum. III. 2. *Earum minor vulgo notissima: quippe Campaniæ celeberrimos Vesuvii colles, Surrentinosque vestit.* Paulo post: *melius arborem, sed et jugum commode vestiunt.* III. 10. *Alias fronde sola vestivit, ad protegendos tutandosque partus.* Et passim. Noster Ecl. III. 38. *facili superaddita vitis Diffusos edera vestit pallente corymbos.* et Ecl. IV. 45. *Sponte sua sandyx pascentes vestiet agnos.* et Ge. II. 219. *Quæque suo viridi semper se gramine vestit.* Just. XII. 7. *Tunc ad spectaculum sacri montis duxit exercitum, naturalibus bonis, vite ederaque non aliter vestiti, quam si manu cultus pollentiumque industria exornatus esset.* Composito utitur Lucret. l. II. *Quam subito soleat sol ortus tempore tali Convestire sua perfundens omnia luce.* De tralatione hujus verbi plura Gyphanius. De hoc verbo consule Rob. Titium, locor. controvers. VII 10. *Emm.*

39 *Tuque ades, Mecænas*] Adesto, et inceptum favorem omnibus libris impendito. nam ubique eum invocat. *Servius.*

Tuque ades] Post Bacchum invocat *Mæcenatem*, ut Ge. I. post varia Numina, *Augustum.* Taubmann.

40 *O decus, o famæ merito pars maxima nostræ*] Horatius, *O et præsidium et dulce decus meum.* Servius.

O decus, o famæ merito pars maxima nostræ, Mæcenas] In codicibus aliquot antiquis *nostri* legitur: quod si admitteretur, necessarium esset legere, ut nonnulli censent: *O decus, o fama et merito pars maxima nostri.* Sed enim in Mediceo, et aliis castigatioribus exemplaribus *famæ nostræ* legitur. Quod vero *Mæcenas* non *Mecænas* scribendum sit, ostensum alibi. Nimium vero est, quod in codicibus nonnullis habetur: *O Deus, o famæ merito pars maxima nostræ.* Potius enim cum Horatio *decus* legendum, *O et præsidium et dulce decus meum.* Pier.

O famæ] Propert. II. 1. *Mæcenas nostræ spes invidiosa juventæ, Et vitæ et morti gloria justa meæ.* V. N. Ge. I. 2. *Taubmann.*

41 *Pelagoque volans da vela patenti*]

Simplici generi carminis præsta favorem: ut *Vela*, favorem accipiamus. *Patens pelagus*, carminis facilitatem. Hoc autem carmen facile esse, ipse significat dicens et, *In manibus terræ:* hoc est, in facili et promptu res posita est. *Servius.*

Pelagoque volans da vela patenti] Pari metaphora Ovid. vocans Germanicum Fast. I. *timidæ dirige navis iter.* Propertius quoque ad suos versus conformavit sermonem de re nautica: *Quid me scribendi tam vastum mittis in æquor, Non sunt apta meæ grandia vela rati.* Fuit semper locus communis Poëtarum, confugere ad navigationem initio operum. Quam rem satis indicat Plin. epist. l. VIII. cum ait: *Proinde jure vatum invocatis Diis, immitte rudentes, pande vela, ac, si quando alias, toto ingenio vehere. Cur enim non ego quoque poëtice cum Poëta?* Val. Max. V. 7. per initia ad rem suam transtulit hos poëticos spiritus, sicut et alii non Poëtæ. *Cerda.*

Volans] Pro eo videtur Julius Pomponius Sabinus Grammaticus *volens* legere, id est, inquit, propitius, et favens. Omnes tamen, quotquot suppetunt codices, *volans* agnoscunt. *Emmeness.*

42 *Non ego cuncta meis amplecti versibus opto*] Id est, Non sum universa dicturus: nec enim possum. quare et suam verecunde extenuat possibilitatem; et Mæcenatis auribus, ex sui carminis brevitate, blanditur. Alii aliter accipiunt. Constat Mæcenatem fuisse litterarum peritum, et plura composuisse carmina. nam etiam Augusti Cæsaris gesta descripsit, quod testatur Horatius dicens, *tuque pedestribus Dicis historiis prælia Cæsaris Mæcenas melius, ductaque per vias Regum colla minacium.* ut hoc nunc dicat, *Inceptum una decurre laborem.* id est, adesto, et simul scribamus. licet enim quæ tu scribis, constet esse ingentia; meum autem carmen et breve sit, et totum id explicare non possim; debes tamen favere minoribus: ut, *pelagoque volans da vela patenti*, sit ingentia scribe: *et primi lege littoris oram*, fave minora scribenti. *Servius.*

Non opto Non] Observat Muretus in Catul. pares locos huic similes de venusta hac geminæ negationis elegantia. Nam Catullus: *Non, non hoc tibi false sic abibit.* Propert. *Non, non humani partus sunt talia dona.* Cic. Attic. *Non sunt obsequio nostro non.* Cerda.

Non ego cuncta meis] Lucretii versus. sed ille *ænea vox*, ait, *non ferrea.* Servius.

43 *Non, mihi si linguæ centum sint, oraque centum, &c.*] Hi versus etiam leguntur Æn. VI. 625. Sumptos eos testatur Macrobius saturnal. VI. 3. ex Homero Il. B. 488. Πληθὺν δ' οὐκ ἂν ἐγὼ μυθήσομαι, οὐδ' ὀνομήνω, Οὐδ' εἴ μοι δέκα μὲν γλῶσσαι, δέκα δὲ στόματ' εἶεν, Φωνὴ δ' ἄῤῥηκτος, χάλκεον δέ μοι ἦτορ ἐνείη. Hunc secutus Hostius Poëta in libro secundo belli Histrici: *non si mihi linguæ Centum atque ora sient totidem, vocesque liquatæ.* Pers. V. I. *Vatibus hic mos est, centum sibi poscere voces, Centum ora, et linguas optare in carmina centum.* Ad hunc locum multa congessit similia Marcilius. Quare *æream* vocem dixerit Lucretius, exponit Gyphanius in conlect. Sive *ferrea*, sive *ærea*, sumitur pro indefessa, interprete Sabino. Extenuat Poëta noster suas vires, et ideo de eo forte Plin. in præfat. l. XIV. dicit: *Quanquam videmus Virgilium præcellentissimum vatem, ea de caussa hortorum dotes fugisse: e tantisque, quæ retulit, flores modo rerum decerpsisse.* Emmeness.

44 *Primi lege litoris oram*] *Lege*, nauticus sermo est, qui nunc et ad navigandum, et ad lectionem potest referri. Nam hoc dicit, Faveto principio, vel humilitati carminis mei, *Servius.*

Lege] Vocabulum hoc nauticam ar-

tem spectare, docuimus Ecl. VIII. 7. Val. Flaccus Argonaut. l. II. *Alcides Telamonque comes dum litora blando. Anfractu sinuosa legunt.* Emmeness.

45 *In manibus terræ*] Id est, in facili et in promptu est terrarum descriptio. quod πρόχειρον Græci dicunt. *Servius.*

In manibus terræ] Vel perseverat in eadem allegoria: qui enim extremam oram littoris prælegunt, nec in altum pelagus invehuntur, ii terram habent in manibus, id est, in propinquo, ut: *in manibus Mars ipse, viri,* aut etiam in sua potestate. ut Æn. IX. 131. *Terra autem in manibus nostris.* ut cum volent, facile possint in terram exscendere. Vel est reditio ad propositum, quia dixerat: *Neu segnes jaceant terræ.* hoc sensu jam ad propositum revertor, et sermonem, qui de terra erat institutus. Arnobius l. VII. *Quoniam nobis in manibus hostiarum sermo versatur.* Nic. Abramus.

Non hic te carmine ficto, Atque per ambages et longa exorsa tenebo] Id est, simpliciter universa describam: neque ut in Æneide, aliquibus figmentis, aut ullis utar ambagibus. *Servius.*

Non hic te carmine ficto] Nullus dubito, quin tangat Hesiodum, qui, in describenda agricultura, variis fabulis lectorem detinet et fatigat. *Emm.*

46 *Longa exorsa*] Dicit prooemia longe repetita: quæ constat esse vitiosa. *Servius.*

Longa exorsa] Ordiri dicuntur textores, telam inchoantes, velut Festus: *ordiri, est rei principium facere, unde et togæ dicuntur exorditæ.* Patet idem ex Hesychio: Ὄρδικον, τὸν χιτονίσκον Πάριον. Ὄρδημα ἡ τολύπη τῶν ἐρίων. Inde Virg. in Culice vs. 2. *Atque ut araneoli tenuem formavimus orsum.* Utitur eodem etiam verbo Cic. de orat. II. 33. *Pertexe modo, inquit, Antoni, quod exorsus es.* et cap. 38. *Multa quærendo, reperiunt non modo ea, quæ jam non possunt ipsi dissolvere, sed etiam quibus ante exorsa et potius detexta prope retexantur.* Emmeness.

47 *Sponte sua, &c.*] Ad illud, quod omiserat redit, et exequitur qualitatem trium generum, quæ supra memoravit: arborum, scilicet sponte natarum, procreatarum ex semine, et earum, quæ de radicibus pullulant. *Servius.*

Sponte sua] Lucret. l. v. ita fere: *Sponte sua nequeunt liquidas existere in auras.* Græci αὐτόματον: et Sophoc. in Œdip. Col. φύτευμα, ἀχείρωτον, αὐτόποιον. *Cerda.*

Luminis auras] Lamb. ad Lucret. I. 23. et G. Merula pertendunt legend. *oras.* uti et Æn. VIII. *sub luminis edidit oras.* quomodo Ennius: *Inde enascitur, atque oras in luminis exit*: et alibi. *Taubmann.*

48 *Infecunda quidem*] Fœtu carentia. et per transitum rem physicam tangit. nam semen salicis esum, dicitur infecunditatem mulieribus gignere. Et supra ait, *glauca canentia fronde salicta.* Servius.

Læta et fortia] Quasi hoc in ipsis arboribus genus sit fecunditatis. *Id.*

49 *Quippe solo natura subest*] Quia, ut supra diximus, naturaliter rerum omnium mater est terra, et universa intra se continet semina. Hinc est, *Quippe solo natura subest.* Nam natura dicta est ab eo, quod nasci aliquid faciat. Mire autem ait *Subest.* i. e. inest latenter: quia non apparet. Unde Epicurei dicunt nihil esse, quod non habeat originem sui. Nam hoc est, *gigni De nihilo nihil, in nihilum nil posse reverti.* Idem.

Solo subest] Mire ait, *Subest:* quasi dicat, Natura, seu φυτικὴ δύναμις illa, latenter inest. *Solum* vero Turneb. II. 12. non *sola terrarum* (ut Varro et Cic. loquuntur) hic exponit; sed radicem, ut plantam et pedem arboris; cujus in silvestribus vivida et animosa est natura, ad eliciendum e terra succum et concoquendum. Lucret. IV. *loca nullius ante Trita solo,* i. e.

nullius pede calcata. *Taubmann.*

50 *Scrobibus mandet mutata subactis*] Nos *scrobes* genere dicimus masculino; licet Lucanus dixerit contra artem, *Exigua posuit scrobe.* Servius.

Scrobibus mandet mutata subactis] Ad hunc locum ita Gronovius observat. III. 1. Veteres non tantum *mutare locum*, sed et *mutari loco* dixerunt. Virg. Ge. II. *aut scrobibus, &c.* Ubi Servius: *duas res hic dicit, ut aut inserantur infecundæ arbores fecundis aut fructiferis, aut certe mutentur, de suis locis et fossis immittantur.* De scrobibus, arborum serendarum causa fodiendis, Colum. v. 9. et Plin. XVII. 11. Quod Noster *subigere scrobes*, Columel. vocat *facere.* Cato, *invertere.* A scrobe nascitur diminutivum, teste Plinio l. XXI. *scrobicula.* Emmeness.

51 *Exuerint silvestrem animum*] Naturalem asperitatem et infecunditatem. *Servius.*

Silvestr. animum] Naturalem asperitatem et infœcunditatem. τὸ ἄγριον ἐξημεροῦται, Theophr. Ita Plinius XVI. 19. *Arbores* distinguit in *silvestres* et *urbaniores*: et *urbanas* ait non improbe dici *mites, quæ fructu, aut aliqua dote umbrarumve officio humanos juvant.* Taubmann.

52 *In quascumque voces artis*] In codicibus aliquot antiquis legere est: *in quascunque voles artis.* In quibusdam, *velis.* Sed enim *voces* magis omnino placet eruditis. *Pierius.*

Artes] Fecunditates, ex arte venientes. *Servius.*

54 *Hoc faciat*] Id est, erit fecunda, si inde transferetur. *Idem.*

Vacuos si sit digesta per agros] Id est, si sit translata, transposita, ordinata extra umbram in locum apricum, et soli expositum. Just. in præfatione, *digerere* pro ordinare: *Et serie rerum digesta composuit.* Emmeness.

56 *Uruntque ferentem*] Quæ ferre poteat: si ei umbra non noceat. *Serv.*

Urunt] Ob interceptum aërem et Solem. *Urere* enim et calor et frigus dicitur. Ge. I. *penetrabile frigus adurat.* Taubmann.

57 *Jam, quæ*] *Jam* particula hic pro præterea ponitur, et tempus significat, ut *jam tempus agi res.* Philargyrius.

58 *Seris factura nepotibus umbram*] Malo non discedere a familiari et vulgari interpretatione, et ἐκγόνους respicere, quam, ut quidam satis anxia diligentia, *nepotes* hic pro propagine, palmitibus, et viviradicibus accipere, ductus auctoritate Propertii, qui et *seros nepotes* posteros vocavit l. III. *Meque inter seros laudabit Roma nepotes.* Germanus.

59 *Pomaque degenerant*] Modo *degenerant*, in pejus vertuntur. alias in melius. Poma vero arborum ex semine procreatarum dicit: quas constat, nisi translatæ, aut insitæ fuerint, non respondere qualitati seminis sui. *Servius.*

60 *Turpis*] Silvestres, viles, et avibus diripiendos. *Taubmann.*

Fert uva racemos] Uvam pro vite posuit, id est, fructum pro arbore. Sane racemus, botryonis est pars, et botryo Græcum est, et sic uvam pro vite posuit. sicut Horatius, pro vino: nam sic ait, *Cæcubum et prælo domitam Caleno, Tu bibes uvam.* Servius.

62 *Cogendæ in sulcum*] In ordinem componendæ: aut certe arandæ. *Servius.*

Multa mercede] Multo labore. a sequente, quod præcedit intellige. *Id.*

Domandæ] Colendo molliendæ, ut vs. 36. *Taubmann.*

63 *Sed truncis oleæ melius*] Quia supra ait, *Truditur e sicco radix oleagina ligno:* et jam redit ad eos modos, quos invenit industria. Dicendo autem *melius*, ostendit etiam alias arbores ex truncis posse creari. Sane olea est arbor ipsa: unde derivatum est oleum. Oliva vero fructus ipse, unde olivum dicitur. Legimus tamen et olivam de arbore, ut, *Incumbens tereti Damon sic cœpit olivæ.* Servius.

Truncis oleæ] Truncus oleæ defixus in scrobem bene provenit. Sagitta,

si in longum terra obruitur, propago fit. *Sab.*

64 *Respondent*] Hoc verbo in re agresti usus Columel. III. 4. *Tempestivitas seminum respondet.* Cerda.

Solido Paphiæ de robore myrtus] Sicut et olea. *Paphiæ* autem *Veneris*, a Papho insula, in qua Venus colitur. Huic autem myrtus consecrata est; vel quod hæc arbor gaudet litoribus, et Venus de mari dicitur procreata: vel quod, ut Medicorum indicant libri, hæc arbor apta est mulierum necessitatibus plurimis. *Servius.*

Solido Paphiæ de robore myrtus] Insula est Cyprus tota Veneri sacrata, in qua est oppidum Paphos, a quo Paphiam myrtum appellavit arbusculam. *Probus.*

65 *Plantis et duræ coruli nascuntur*] *Duras* dixit, non ad lignum, sed ad fructum ipsarum referens. alii *Eduræ* legunt, quasi non duræ, ut paulo post, *Enodes trunci*: id est, sine nodis. ut E modo, minuentis, non augentis habeat significationem. Sane coruli proprie dicuntur. nam avellanæ, ab Avellano, Campaniæ oppido, ubi abundant, nominatæ sunt. *Servius.*

Plantis eduræ coruli nascuntur] Sic in codicibus aliquot antiquis. Sed exemplaria vetera majori ex parte, *Plantis et duræ*, habent. Servius utramque lectionem agnoscit. *Pier.*

Pl. eduræ coruli] Legendum, inquit Fabricius, cum Servio, *eduræ*, sed non explicandum, pro. non duris. In qua sententia (ut idem auctor est) Veteres nonnulli fuerunt, quos imitatus Mancinellus, Sipontinus, Ascensius. Immo vero, *eduræ coryli*, i. valde duræ: ut idem Serv. Æn. VIII. exponit Ge. IV. *Edurumque pirum.* Ovid. in Arte: *Nec tamen edure, quod petit illa, nega*, i. obstinate et rustice. Hactenus auget. Minuit vero in istis, *Enodis abies*: *enodes* trunci, qui sunt leves et absque nodis. Hæc Fabricius. Et vide tu mihi etiam Scalig. Poët. l. VI. et Casaub. ad Sat. VI. Persii. *Taubmann.*

66 *Herculeæque arbos umbrosa coronæ*] Ipse alibi, *Herculea bicolor cum populus umbra.* Servius.

67 *Chaoniique patris*] Jovis Epirotici. *Idem.*

Chaoniique p. gl.] Periphrasis quercus, Jovi Dodonæo sacræ. V. N. Ge. I. 8. *Taubmann.*

Ardua palma] Aut alta, aut ad quam difficile pervenitur. *Servius.*

Ardua palma] Quia Hercules, cum ab inferis rediret, hanc primus arborem dicitur contemplatus esse, et se inde coronasse, conveniente colore arboris illi eventui quo e tenebris in lucem commeavit. *Philarg.*

68 *Casus abies visura marinos*] Est enim abietis species apta navibus, quam Sappinum vulgo vocant. *Serv.*

Casus abies visura marinos] Navibus fabricandis aptissima est propter levitatem, præcipue in antennis et malis. Ægyptios tamen et Syros, in navibus ædificandis, uti cedro, tradit Plin. *Meyen.*

69 *Fetu nucis arbutus horrida*] Versus dactylicus. non male quidam *horrens* legunt. Horrida autem hispida. Et jam transit ad insitionem, quæ duplex est. Nam aut insitio dicitur, cum fisso trunco surculus fecundæ arboris, sterili inseritur: aut oculorum impositio; cum inciso cortice libro alligatur alieno, et arboris germen inserimus. *Servius.*

Ex fetu nucis] Pompon. Sabinus leg. *Inseritur vero fetu n.* id est, arbutus nuci inseritur, ut *fetu* sit Dat. casus: sicut Æn. V. *Jungit equos auro genitor*, et Æn. I. *curruque volans dat lora secundo.* ubi et Serv. vide: inprimis Not. ad illud Ge. IV. *concubitu indulgent.* De re ita Plin. XV. 15. *Virgilius insitam nucis arbutum, et malis platanum, et cerasis ulmum dicit.* ubi et Dalech. hæc ita cum Pomp. Sab. laudat. *Taubmann.*

70 *Et steriles platani malos gessere valentes, &c.*] Dicit quid in quam arborem debeamus inserere. In arbuto nucem; in platano malum; in fago

castaneam; in orno pirum. Sed *castaneæ fagos* eget expositione: non enim in castanea fertili, infecunda fagus inseritur: unde aut hypallage est, ut *Castaneæ fagos*, sit pro fagi castaneas gessere. aut est mutanda distinctio, ut sit: *Et steriles platani malos gessere valentes Castaneæ.* Hoc est infecundæ arbores platani, fortes ramos castaneæ portaverunt. *Servius.*

Platani] Platanum umbræ tantum gratia expetitam, docet Plin. XII. 1. Idem XVII. 16. *omnium insitorum capacissimam* ait, Ge. IV. *Jamque ministrantem platanum potantibus umbram.* Nescio an eadem, similis certe illi dicitur, quæ nostris Ahorn. Dicta πλάτανος a foliorum amplitudine; vel, quod *patulis ramis diffusa*, ut de ea Cic. de Orat. I. loquitur. P. Victorius XIX. 19. contra veteres docet, in Hetruria sponte nasci, non aliunde illatam. *Sterilem* vocat, quia umbra et frondium opacitate tantum utilis; unde et ab Aristot. inter ἄκαρπα numeratur. Horatio Od. II. 15. *cælebs* etiam dicta. Plura vide Ge. IV. 146. *Taubmann.*

Malos valentis] i. fructiferas. *Id.*

71 *Fagos, ornusque incanuit albo Flore piri*] Secundum quam distinctionem fagos, licet brevis sit *gos*, finalitatis tamen ratione producitur. Fagos enim incipit esse nominativus casus Græcus singularis, non pluralis noster accusativus. Alii neutrum probant: et ita accipiunt, *Castaneæ flore fagos incanuit: Piri flore ornus incanuit:* ut similiter fagos nominativus sit Græcus. *Servius.*

Castaneæ fagos] Vidit jam olim *Servius*, absurdum esse, in castanea fertili infecundam fagum inseri. hinc se mire hic torsit. *Ramus* tamen e Plinio docere sibi visus est, fagum castaneæ inseri. At mihi non videtur: credo, nec ulli doctiorum. Potius *Scaligerum* audiamus, Prolegom. in Manil. Novæ edit. et ad Catullum. Agricola, *inquit ille*, hoc a Virgilio planissime abjudicabit. Jubet primum inserere, ut par est, arborem frugiferam sterili, *malum* scil. *platano*. Sed postea *castaneæ* frugiferæ glandiferam *fagum* inserit. Ad βαλανοφαγίαν igitur et veterum Arcadum cibum nos revocat, qui nesciebat Virgilium scripsisse, *Castaneas fagus.* Nam *fagus*, *αἱ φηγοὶ*, ἀρχαϊκῶς, &c. Ita in Culice ex vet. edit. legendum, *umbrosæ fagus:* item, *aëriæ platanus.* ita et in Catullo Carm. LX. *Qualeis Eurotæ progignunt flumina myrtus*, pluraliter pro *myrtos.* ut hic *fagus* pro *fagi*. Q. d. fagi gessere castaneas. *Hæc ille.* Vide an huc etiam faciat Scholion J. Philargyrii. Alii *(inquit ille)* legunt, *Et steriles platani malos:* ut subintelligas, *inserit.* Si ita legendum erit, in sequenti sensu hypallage est: ut sit, *valentes fagi gessere castaneas.* Taubmann.

Castaneæ fagos] Pierium hic prætermitto, quia plane abit in sententiam Servii. Hoc unum addit, punctum se vidisse post genitivum, *castaneæ*, in exemplari Hieronymi Aliandri contubernalis sui et viri literatissimi. *Castaneas fagus* legit Farnabius et cum eo Torrentius ad Horat. epod. II. qua auctoritate, ipsi viderint. Omnes enim, quotquot suppetunt codices, *castaneæ* habent. et sunt, qui sensum esse manifestum magis arbitrentur. Vera enim ait Torrentius insitionis caussa est, ut meliora proveniant, et ipse Venusinus: *Inutileisque falce ramos amputans Feliciores inserit.* De felicibus et infelicibus arboribus Macrob. saturnal. II. 16. *Emmeness.*

72 *Glandemque suis fregere sub ulmis*] Quid moverit Plinium, cur legerit *cerasum*, pro *glandem*, non capio, sed consule Sabinum lect. subs. I. 12. *Idem.*

73 *Nec modus inserere atque oculos imponere simplex*] Aut, non est simplex aut fortuita ratio, sed ea, quæ ingenti labore colligitur. aut hoc dicit, Non est idem inserere, quod et oculos imponere: quarum rerum

discretionem hoc loco commemorat, sicut nos diximus supra. *Servius.*

Oculos] Hæc locutio in insitionibus traducta a Græcis, qui in re simili dicunt ὀφθαλμοὺς, et ἐνοφθαλμισμούς. Inde quoque Latini cum compositione, *inoculo*. Cerda.

Nec modus inserere] De insitione, et quomodo sit inventa, vid. Plinium XVII. 14. duplicem insitionem constituit Poëta; altera propria vocatur insitio, altera inoculatio: insitio est, quando medio ligno fisso inseritur surculus, a Græcis dicitur ἐγκέντρισις: inoculatio, quæ ab iisdem dicitur ἐνοφθαλμισμὸς, est, cum gemmæ surculorum cum exiguo cortice in partem arboris delibratam inseruntur: nonnulli tertium genus addunt; scilicet ἐμφυλισμὸν, cum surculus inter corticem et lignum inseritur, de quo nulla hic a Virgilio fit mentio. *Cerutus.*

74 *Trudunt*] Propellunt, ejiciunt. *Servius.*

Gemmæ] Oculi et tumores parvi, qui incipiunt exire et pullulare tempore veris. Sic Ecl. VII. 47. *jam venit æstas Torrida: jam læto turgent in palmite gemmæ.* Et recte *gemmas trudere* pro *emittere*, Noster Ge. II. 335. *Sed trudit gemmas, et frondes explicat omnes.* Emmeness.

75 *Tunicas*] Id est, arborum interiores libros. *Servius.*

76 *Huc Includunt*] Quia ait ex aliena arbore: et est mutatio. ideo non ait *hic includunt*, sed *Huc*. Sic Cicero, *Includuntur in carcerem condemnati. utique qui illuc fuerant aliunde deducti.* Idem.

77 *Inolescere*] Concrescere, συμφύειν. *Idem.*

Udoque docent inolescere libro] Id est, cortice madido, ut Nonius Marcellus c. 6. Inde *delibratum* apud eundem c. 1. idem significat, quod decorticatum. Pro inolescere Plin. XVII. 14. *concorporare* usurpat. Quia illo modo labat humore nimio cortex, hoc vitali defectu non humescit, neque concorporatur. Multa, hoc capite, de insitione, et c. 16. Et Colum. v. 11. Nec non Palladius III. 17. *Emmeness.*

78 *Aut rursum*] *Rursum* non habet hic significationem iterandi, sed abundat. *Philargyr.*

Aut rursum enodes] Miror, Philargyrium dicere: τὸ *rursum* vacare: præsertim in hoc Poëta: *rursum*, valet, secundo loco, vel secundo modo; vel *rursus*, id est, aliter. *Cerutus.*

Enodes] Id est, nodis carentes. Sic Plin. XII. 4. *Quod melius, arborum, trunco enodi.* et c. 14. *Quibus enodi potest, matrem quoque teretem enodi fruticare trunco.* Emmeness.

79 *Finditur in solidum*] Ut solida sit ipsa fissio, et non habeat rimas aut fissuras. Plin. XVII. 14. *Per media trunco leniter fisso, cuneoque tenuit fissuram custodiente, donec cuspidatim decisus descendat in rimam calamus.* Taubmann.

80 *Plantæ inmittuntur*] Sunt antiqui codices, in quibus legere est *inmittantur*, reliqua tamen omnia per indicativum modum dicta. et longe melius est, *inmittuntur*. Pierius.

Plantæ] *Plantis* abutitur pro surculis. *Philargyr.*

82 *Non sua poma*] Id est, non gentilia, ut Calpurnius, sic *sua arbore*, Ecl. I. 38. ubi Servius. *Suus* pro nativo, insito, innato, proprie, ut Græci fere τὸ οἰκεῖον καὶ ἰθαγενὲς usurpare amant. *Suum motum* externo opponit Tullius de nat. Deor. l. II. Plura Gronovius observat. I. 11. et Freinshemius in indice ad Florum. *Emmeness.*

Miraturque novas frondis, et non sua poma] Ingens phantasia. et sane *Mirata estque*, legendum est, ut stet versus. *Servius.*

Miraturque novas] Quis non miretur, Servium interdum non servire nobis? vult hic nos legere: *Mirata estque novas*, ut stet versus, quasi vero cadat, si legatur: *Miraturque novas. Novas* dicit Poëta *non suas.* Cerutus.

83 *Præterea genus haud unum*] De-

cet nunc etiam in singulis arborum speciebus esse aliquam varietatem. *Servius.*

Fortibus ulmis] *Ulmum* etiam Hom. εὐφυέα nominat, et μεγάλην. Vide Plin. xvi. 17. et Colum. v. 6. et Dioscorid. i. 112. et 183. et Theophr. iii. 22. *Taubmann.*

84 *Salici*] Plin. xvi. 37. octo genera salicis recenset. *Idem.*

Loteque] Lotos Nympha quædam fuit, quam cum amatam Priapus persequeretur; illa deorum miseratione in arborem conversa est, quæ vulgo faba Syriaca dicitur. *Servius.*

Loteque] Lotus, quamvis significat plantam, ut Hesych. Λωτὸς τρέγημά τι καὶ αὐλὸς καὶ δένδρον καὶ πόαν· κυρίως δὲ τὸ ἐν ταῖς λιβάσι φυόμενον; καὶ πᾶν ἄνθος καὶ καρπὸς παρὰ τοῖς Λωτοφάγοις. Fabulam de nympha Loto tradit Ovid. Met. ix. 340. et seqq. De hac arbore Theophr. iv. 4. In Africa *celtis* vocabatur, juxta Plin. xiii. 17. *Eadem Africa, qua vergit ad nos, insignem arborem loton gignit, quam vocant celtim:* et xvi. 30. *Lotos, sive faba Græca, quam Romæ a suavitate fructus silvestris quidem, sed cerasorum pene natura, loton appellant.* Mira harum baccarum, sive fructuum, dulcedine inescati fuerunt Ulyssis socii, qui loton postquam comedissent, patriam obliti sunt, ut Hom. Odyss. i. 191. Inde, qui peregrinis terris diutius morantur, *loton gustasse* dicuntur. Geographi ponunt Lotophagos in Africa minori. Strabo l. iii. Αἰθίοπες Λωτοφάγοι καλοῦνται, σιτούμενοι λωτὸν, πόαν τινὰ καὶ ῥίζαν· οὐ δεόμενοι δὲ ποτοῦ, οὐδὲ ἔχοντες, διὰ τὴν ἀνυδρίαν· διατείνοντες μέχρι τῶν ὑπὲρ τῆς Κυρήνης τόπων· ἄλλοι τε πάλιν καλοῦνται Λωτοφάγοι, τὴν ἑτέραν οἰκοῦντες τῶν πρὸς τῆς μικρᾶς Σύρτεως νήσων, τὴν Μήνιγγα. et Mela i. 7. *Emmeness.*

84 *Idæis Cyparissis*] Κυπάριττος Græcis, Latinis *Cupressus*, miræ altitudinis, et χάριτες etiam dictæ, ab eleganti coma. *Idæas* noster vocat, quasi *Cretenses.* Nam et Plin. xvi. 33. Insulam Cretam et Idæos montes *patriam cupressi* nominat. Vide et Caton. c. 42. et 151. Theophrast. Caus. i. 8. C. Rhodig. xxv. 2. *Taubmann.*

Cyparissis] Duplex fuit *Cyparissus:* mas et fœmina. *Cyparissus* puer fuit Chius: qui cum servum, quem unice diligebat, jaculo interfecisset ignarus, inedia vitam finivit desperatus: quod ejus dolor leniri medicina Apollinis, a quo amabatur, non poterat, et ab ipso Apolline dicitur demutatus fuisse in luctuosam arborem cupressum. Asclepiades ait; Boream, regem Celtarum, in tumulo filiæ suæ Cyparissæ seruisse cupressum, ab ea re, luctuosa habita arbor est. *Sabinus.*

85 *Unam in faciem*] In eandem similitudinem. *Servius.*

Unam in fac.] Uno genere et similitudine. De olea Plinius xv. 3. et seqq. Col. v. 9. Cæl. Rhod. xii. 19. *Taubmann.*

Olivæ] Olivam grammatici significare arborem volunt, oleum fructum, sed veteres hoc non observarunt. Contrario enim Virg. fructum olivam: *Nec pingues unam in faciem nascuntur olivæ.* Idem: *sed truncis oleæ, propagine vites Respondent.* et iterum: *Prolem tarde crescentis olivæ.* Charisius l. i. p. 76. *Emmeness.*

86 *Orchades*] A Græca etymologia, sed obscœna, id est, a testiculis, qui ὄρχεις dicuntur. *Servius.*

Orchades] Quamvis Servius *Orchites* agnoscit, in Mediceo tamen, et aliis antiquis codicibus manuscriptis, *Orchades* habetur. Nam quum ὄρχης ὄρχεος testiculus dicatur per η, quæ vocalis apud Græcos non gravate plerumque transit in A vocalem ancipitem, facile inde potuit *Orchas Orchadis fieri:* sed puto Grammaticos voluisse Insulas a fructu ea scriptione distinguere. Itaque apud Catonem, Varronem, et Junium Moderatum et *Orchis* et *Orchites* passim legitur.

Eamque nominis formam Jovianus Pontanus etiam agnoscit: quamvis alibi variet. *Pierius.*

Orchades] Plin. xv. 1. *Genera olearum tria dixit Virgilius, orchites, et radios, et pausias.* Est autem *Orchas*, sive *Orchitis* (nam ita cum Plin. legit Cato, Festus, et Turneb. xxii. 2.) genus oleæ: dictum ἀπὸ τῶν ὀρχέων, *quod sit testiculorum magnitudinis*, ut Fest. ait. *Taubmann.*

Radii] Olivæ, ita a longinquitate nominatæ. *Servius.*

Radii] Columella v. 8. *Orchis quoque et radius melius ad escam, quam in liquore stringitur.* ita dictæ, quod oblongæ sint, instar radiorum. *Taubm.*

Amara pausia bacca] Oliva a paviendo dicta, id est, tundendo. aliter enim ex se oleum non facit. *Amara* autem *bacca* viridi, ut alibi, *Floribus atque apio crines ornatus amaro.* id est, viridi. nam de pausia viride oleum fit. unde contra dulce dicitur, non viride. *Servius.*

Pausia] Dicta a *pavire* (et hoc παρὰ τὸ παίειν) quod oleum, nisi *paviendo*, i. tundendo, non emittat. hinc et *pavera frumenta*, i. multum trita. De quo V. N. Plaut. Ep. ii. 2. *Taubm.*

Amara bacca] *Amaram* Serv. *viridem* exponit, ut Ecl. vi. *sertum ex amaro apio*, i. viridi, sicut contra, *dulce* dici ait, quod non sit viride. Quam Servii interpretationem minime rejiciendam censet Aus. Popma ad Caton. c. 145. Vide tamen et H. Mercurial. Var. i. 3. et Cælium Rhod. vi. 5. Etiam Colum. xii. 47. *Pausiam acerbam* nominat. *Idem.*

87 *Pomaque*] Subaudi a superioribus, Non unam nascuntur in faciem. *Servius.*

Pomaque] Subaudi, Non unam nascuntur in faciem. De quibus xv. 14. et Columella v. 10. *Pomum* autem, cum alias dicatur, quicquid herbaceo fructu virens, lignoso operculo caret; hic pro *malo* ponitur. *Taubmann.*

Pomaque] Latini vocem *pomum* modo latius, modo strictius acceperunt. Apud nonnullos exceptis nucibus, ficis, et uvis, reliqui omnes arborarii fructus, pomorum nomine veniunt. Juxta Grammaticos nuces generaliter dicuntur omnia, tecta corio duriore, ut avellanæ, juglandes, amygdalæ, castaneæ, ut contra poma dicuntur omnia molliora. Plinius pomorum nomine omnes arborum fructus comprehendit exceptis olivis; idem facit Virgilius hoc loco, quem imitari videtur Plinius. Disputat de his latius Salmasius in Plinian. exercitat. p. 597. et 598. *Emmeness.*

Alcinoi silvæ] Id est, pomiferæ arbores. Nam Alcinous rex Phæacum fuit, diligens cultor hortorum. unde per ejus silvas, arbores pomiferas intelligimus: de quo Homerus ait, quod haberet: Ὄχνη ἐπ' ὄχνῃ γηράσκει, μῆλον δ' ἐπὶ μήλῳ, Αὐτὰρ ἐπὶ σταφυλῇ σταφυλή, σῦκον δ' ἐπὶ σύκῳ. *Servius.*

Alcinoi silvæ] Id est, horti, pomaria Alcinoi, quamvis *silvas* nominet. Probant hoc multa. Tertull. de Pall. *Consitum et amœnum super Alcinoi pometum, et Midæ rosetum.* Plin. xix. 4. Antiquitas nihil prius mirata est, quam Hesperidum hortos, ac regum Adonis, et Alcinoi. Ovid. Am. i. 10. *Præbeat Alcinoi poma benignus ager.* et de Pont. iv. 2. *Quis mel Aristæo, quis Baccho vina Falerna? Triptolemo fruges, poma det Alcinoo?* Cerda.

Alcinoi silvæ] *Silvæ* hic pro arboribus: ut Stat. Theb. l. vi. *aut refuga sterilem rapit aëra silva.* Emmeness.

88 *Crustumiis*] Crustumia pira sunt ex parte rubentia, ab oppido Crustumio nominata. *Servius.*

Crustumiis] Quæ Virgilius *Crustumia*, alii vocant *Crustumina.* In his sunt Plinius, Columella, et Macrob. Saturn. iii. 19. Observa ea principe loco numerari a Poëta, nam perquam optima. Plin. xv. 15. *Cunctis autem Crustumina gratissima.* et xxiii. 7. *Decocta* (pira) *mire salubria, et grata, præcipue Crustumina.* Columella v.

10. cum multa genera constituat, primo loco ponit *Crustumina*, adhuc ante *regia*. Cerda.

Crustumiis] Sabinorum esse oppidum Crustumium, vel Crustumiam, alio nomine Crustumerium et Crustumeriam, quam Stephanus πόλιν Σαβίνων vocat, solide contendit Cluverius antiq. Ital. II. p. 550. et imprimis 657. et 658. Italis appellatus Marcigliano Vechio, id est, Marcilianum vetus. Inde *Crustumina tribus*, quæ ex Sabinis originem habet, ut apud Liv. IV. 24. docet Spurius Ligustinus. De qua etiam mentionem infert Cic. in or. pro Balbo c. 25. Inter proximos Romanis numerantur. Liv. I. 9. *Maxime proximi quique, Caninenses, Crustumini, Antemnates. Crustuminum* agrum, natura perbonum, et diligentia et cultura meliorem fuisse, discimus ex Cic. pro Flacco c. 29. Meminit etiam agri Crustuminii Varro I. 15. Crustumium, fluvium fuisse Umbriæ, non dubium est ex Lucano II. 403. *Fontibus hic vastis immensos concipit amnes, Fluminaque in gemini spargit divortia ponti. In lævum cecidere latus, velexque Metaurus, Crustumiumque rapax, et junctus Isapis Isauro.* Sed oppidum eo in loco etiam exstitisse Crustumium, non satis liquere videtur ex veteribus. Inter generosissima pira numerantur omnia Crustumina apud Colum. V. 9. Interpres ad Theophrasti hist. plant. IV. 6. A Neapolitanis, *Pere giacciole di Roma*; a Belgis, *Sint Jacobs peer*, vocari tradit; et simul omnium aliorum pirorum nomina exponit. *Emmeness.*

Syriisque piris, gravibusque volemis] Id est, magnis. Nam et *volema* ab eo, quod volam impleant, dicta sunt. Unde et *involare* dicimus. *Servius.*

Syriisque piris] Hæc Columella vocat etiam Tarentina, V. 10. Dat illis Plinius proximam bonitatem post Crustumina XV. 15. ita scribit: *Proxima his* (Crustuminis) *Falerna, a potu, quoniam tanta vis succi abundat, lactea hæc vocantur, in iisque alia colore nigro donantur Syriæ.* Ubi sententia est numerari inter Falerna et lactea illud genus piri, cui est niger color, et hoc genus referendum esse ad Syriam, ut ad matrem. Ex verbis Plinii lucem accipit Isid. XVII. 7. *Syria dicta, pro eo, quod de Syria est allata, sive quia nigra est.* Cerda.

Volemis] Quæ volema nuncupat Macrob. sat. III. 19. ex Cloatio; Cato tripliciter indigitat c. 7. cum ait: *Pira volema, aniciana, et sementina.* Ad quem locum respexit Plin. XV. 15. *Dixit volema Virgilius a Catone sumpta, qui et sementina, et mustea nominat.* Nam infra idem Cato loquitur de volemis musteis. Sunt, qui hæc *sementiva* nominent, non *sementina*: lectio in his auctoribus dubia est. Putat Dalecamp. volema esse, quæ idem Plin. XV. 11. nominat *Libralia*, cum ait: *Nec non et quædam e piris libralia appellata, amplitudinem sibi ponderis nomine asserunt.* Turn. XIX. 18. ex antiquo lexico pira volema interpretatur ἀπίους κολοκυνθίδας a magnitudine cucurbitæ. Dissimulo hic de generibus pirorum, nam Virgilius tertia tantum attigit. Certe Plin. XV. 15. numerat genera 35. sed opus est oculis ad hunc numerum eliciendum: Colum. V. 10. septem supra decem: Macrob. sat. III. 19. unum supra triginta. *Idem.*

89 *Non eadem arboribus pendet vindemia nostris*] Id est, vites quoque diversæ sunt. *Nostris* autem, Italis. Et, bene *pendet* dixit; nulla enim vitis in Italia est, quæ non pendeat. *Servius.*

Non eadem arboribus pendet vindemia nostris] Nobiliss. Heins. *pendent* legit: Eum vide Metam. II. 688. *Emmen.*

90 *Quam Methymnæo carpit de palmite Lesbos*] Lesbos insula est, cujus civitas Methymna habet pretiosissimum vinum. *Servius.*

Quam Methymnæo carpit de palmite

Lesbos] Lesbos est insula Asiæ, in sinu Ægæo, conspicua Troadi et Thraciæ; a Lesbo, filio Macharis, appellata: in qua est oppidum, quod appellatur Methymna, ex quo fuit Arion citharœdus. *Probus.*

Methymnæo] *Lesbos*, insula est in Ægæo mari, cujus civitas *Methymna*, habens preciosissimum vinum. Ovid. Art. I. *Gargara quot segetes, quot habet Methymna racemos.* Taubmann.

91 *Thasiæ vites*] A Thaso insula nominatæ. *Servius.*

Thasiæ vites] A Thaso, maris Ægæi insula. Unde θάσιος οἶνος pro optimo, et θασία σταφυλή. Plinio XIV. 18. duo genera Thasii vini diversa memorantur: unum, quo somnus concilietur; alterum, quo fugetur. Item vitis, quæ *theriace* vocetur: de qua Pallad. in Febr. c. 28. *Taubmann.*

Mareotides albæ] Ægyptiæ: Mareotis enim pars est Ægypti. et dicendo *Albæ*, ostendit etiam esse purpureas, vel alterius coloris. *Servius.*

Sunt et Mareotides albæ] Mareotin constat lacum esse in Ægypto, item partem illam Libyæ, quæ inter Cyrenaicam regionem et Ægyptum a Ptolemæo Marmatica appellatur. Est etiam Mareotis, pars Epiri, in qua vinum optimum nascitur, unde *Mareotides uvæ* dictæ. Plinius Libyæ partem, quæ est Ægypto contermina, *Mareotidem* appellat, a Mareotarum gente, quæ ibidem habitat, appellatam. Sunt tamen, qui *vites Mareoticas*, non Ægyptias, sed Græcas, interpretentur, Columella III. 2. *Germanus.*

Mareotides] Athenæus l. I. *Mareoticum vinum, quod etiam Alexandrinum vocavere, a Mareia* (Plinius, *Mareotia* vocat) *lacu vicino Alexandriæ, &c. Uva, cum manditur, saporis jucundissimi. Vinum, autem præstantiss. album, suave, tenue, suaviter olet, &c.* Vide Casaub. Commentar. ut et in Strab. l. XXVII. Item et Turneb. VIII. 11. Sunt tamen, qui *vites Mareoticas* non Ægyptias sed Græcas interpretentur: cum præsertim et Columella III. 2. eas inter Græculas recenseat. *Taubm.*

92 *Pinguibus hæ terris habiles, levioribus illæ*] Pinguibus Thasiæ, levioribus Mareotides. Nam ordinem positum sequimur, cum aperte aliquid non commemoratur. *Servius.*

Hæ] Thasiæ: *illæ*, Mareoticæ: ut Servius pertendit. *Taubmann.*

93 *Passo Psythia utilior*] Bene *utilior*. ut ostendat etiam de alia uva posse passum fieri, sed melius de Psythia. *Passum* autem dicitur a patiendo. Nam decoquitur mustum, et inde fit *passum*. hinc *Defrutum* dictum est quod defraudatur, et quasi fraudem patitur. *Servius.*

Passo utilior] Utilior ad *passum*, i. vinum, quod fit ex uva passa, sive Sole siccata: de quo Colum. XII. 39. *Taubmann.*

Psythia] Plin. XIV. 9. *Psythium et melampsythium passi genera sunt: suum saporem, non vini referentia.* Ge. IV. *Defruta vel Psythia passos de vite racemos.* οἶνον ψίθιον laudat etiam Athenæus l. I. ubi vide Casaub. c. 22. *Idem.*

Tenuisque Lageos] Lageos est, quæ Latine leporaria dicitur. *Tenuis* autem, penetrabilis, quæ cito descendit ad venas. *Servius.*

Tenuisque Lageos] Λάγειος, *Leporaria* Latine, a colore leporis. ita Plin. XIV. 3. uvam laudat *Ravusculam*, colore ad ravum inclinantem: item *Asiniscam* ab asini colore, de quibus Brodæus IV. 25. *Tenuis* autem est penetrabilis, et quæ in venas cito descendit, auctore quidem Servio. *Taubmann.*

94 *Tentatura pedes*] Terentius, *Neque pes neque mens suum satis officium facit.* Servius.

Tentatura pedes olim, vincturaque linguam] Sic et epigr. 4. Οἶνε σὺ δ' εἰ ἐθέλοισαν ἀνάσσομαι, ἢ ἐκὼν ἐμβρὸν Μάρκαν, ἀλιτθηρὸς δ' εἰς πόδας ἀμφότεροι. sic et Propertius l. III. *multo mentem vincire*

Lyæo. Ut autem Poëtæ *vincire linguam* et *mentem*, ita et Platoni et Aristoteli δεῖσθαι νοῦν, καὶ διάνοιαν. Aristot. lib. Eth. H. δέδεται γὰρ διάνοια, ὅταν μένειν μὲν μὴ βούληται διὰ τὸ μὴ ἀρέσκειν τὸ συμπερανθὲν, προϊέναι δὲ μὴ δύνηται, διὰ τὸ λῦσαι μὴ ἔχειν τὸν λόγον. *Germanus.*

Tentatura pedes, &c.] Locus Plauti Pseud. v. 1. 5. vino idem adscribit. *Magnum hoc vitium vino est, pedes captat primum. Luctator dolosus est.* Terentiani Chremetis, cum vinum quod biberat, vicisset, neque pes, neque mens, satis suum officium faciebat, in Eun. IV. 2. 1. et 3. Virgilius in catalect. *copia vini Et tentat gressus, debilitatque pedes.* Hoc facit, quod memini me legere epigramma vetus: *Vindicat ipsa suos, quos pertulit uva labores, Quæ pede quod premitur, subtrahit ipsa pedem.* Emmeness.

Olim] Adverbium est cujuslibet temporis. *Servius.*

95 *Purpureæ*] Purpurei coloris. *Idem.*

Purpureæ] Has Plin. XIV. 3. *racemosissimas* (ita enim leg. Turn. XXV. 26. non *acinosissimas*) facit, et cognomine *bimammias.* Taubm.

Preciæque] Hæ cito maturescunt. unde et *preciæ* dictæ sunt, quasi præcoquæ: quod ante alias coquantur. *Servius.*

Preciæ] De his Plin. XIV. 2. et Colum. III. 2. quas duum generum faciunt: et videntur aliæ esse a *præcoquis* sive *præcocibus*, quæque citius maturescunt. *Taubm.*

Quo te carmine dicam Rhætica] Hanc uvam Cato præcipue laudat in libris, quos scripsit ad filium: contra Catullus eam vituperat, et dicit nulli rei aptam esse, miraturque cur eam laudaverit Cato. Sciens ergo utrumque Virgilius medium tenuit; dicens, *Quo te carmine dicam Rhætica.* Servius.

Quo te carmine dicam Rhetica? nec cellis ideo contende Falernis] In codicibus aliquot antiquis legere est, *ne cellis adeo:* ut etiam citatum est ab Arusiano: quod nescio quid elegantius videtur, *adeo* pro tamen, quamvis. *Ideo* Servius agnoscit. Super hanc sententiam Plinius: 'In Veronensi agro Rhætica vina optima, Falernis tamen posthabita a Virgilio.' Strabo: 'Rhæti ad Italiam usque pertinent, quæ supra Veronam ac Comum est. Vinum Rhæticum inter Italica, egregie commendata.' *Pierius.*

Et quo te carmine dicam Rhætica] Ut docte observavit Turnebus, Senecæ visus est Poëta incertus laudandi et vituperandi. At Plinius secundum, post Falernum vinum, dedisse locum Rhætico videtur. Rhæti autem populi in Italiam usque supra Veronam et Comum extenduntur. Vina autem Rhætica grata fuisse Augusto, scribit Tranquillus. *Germ.*

Et quo te carmine, &c.] Hac dubitatione maximam ei attribuit præstantiam. itaque, ne Rhætica hac laude nimium sibi placeat, seque omnibus vitibus præferat, cum nobiliores sint aliquæ Campanæ, subjungit; *ne cellis ideo contende Falernis.* Etiam Plin. XIV. 6. post Falernum vinum, Rhætico secundum locum tribuisse existimatur. Vide et Turneb. XXIX. 26. ubi de Senecæ opinione super hunc Virgilii locum (Nat. Quæst. I. 11.) disputat: Plinii tamen sententiam præfert. hoc scil. ab admirante Poëta dictum, non a dubitante, et incerto laudaturusne sit, an vituperaturus; ut volunt Seneca et Servius. Tradit Sueton. cap. 77. *Augustum Rhætico maxime delectatum.* Et in hujus fortasse gratiam a Virgilio tantopere laudatum: quanquam et Cato idem fecerit. Contra vero Catullus, auctore Servio: quod tamen carmen, ut et alia istius Poëtæ, ad nos non pervenit. *Taubmann.*

96 *Nec cellis ideo contende Falernis*] Licet sis a Catone laudata, tamen vino te Campano præferre non debes. *Servius.*

Falernus] Mons est Campaniæ, in quo optima vina nascuntur. *Idem.*

Falernis] *Falernus*, ager Campaniæ, ubi *colles* (ut Plin. ait III. 5.) *vitiferi, et temulentia nobilis est succo per terras indito.* Tibull. II. 1. *fumos proferte Falernos.* Horat. Od. I. 20. *Vites Falernæ.* Martial. XIII. 120. *musta Falerna bibas.* Dioscorid. φαλέρνος οἶνος. *Taubmann.*

Cellis] Apothecis dicit. nam cellas vinarias dicimus. *Servius.*

Cellis] MS. Palat. Sen. I. *celsis. Taubmann.*

97 *Sunt etiam Amineæ vites firmissima vina*] Amineum vinum dictum est, quasi sine minio, id est, rubore, nam album est. Sane *Amineum* dici versus probat, qui stare non potest, si, *Aminæum* dixerimus. *Servius.*

Sunt etiam Ammineæ vites firmissima vina] Omnibus fere doctis negotium facessere visum est carmen hoc, dum in nomine *Amineæ*, scriptionem alii animadvertendam; alii syllabarum quantitatem introspiciendam, alii vini genus exquirendum solicite censerent. Nam quod apud Servium legitur, *Amineæ*, dici oportere propter versum, qui stare non posset, si *Aminææ* diceretur, putavit is, et scripto prodidit, *Amineas* a *minio* dictas, quod vinum id album sit, et idcirco sine minio: quare secundam a principio syllabam produci debere, uno plus *n* interjecto, judicavit: nisi *Ammymneæ* legatur ex Stephano. Sed enim ille Amymneos inter Epiroticos enumerat. Fuerunt alii, qui Virgilianum carmen totum inverterent, eadem offensi dubitatione, quod ei nomini non esse locum ea qua circumfertur sede sito arbitrarentur. Putarunt alii Virgilium nomen auctoritate sua versui licenter adcommodasse. Sed enim quum animadverterim apud Græcos 'Αμμίνεον scribi: præsertimque apud Aristotelem, qui Ammineos Thessaliæ populos suæ regionis vites in Italiam transmisisse, tradit in Politicis, et ab illis uvæ nomen impositum: memorque essem Ausonium Pæonium, eruditum sane auctorem, etsi non usquequaque cultum, eadem, qua apud Græcos scribitur, ratione nomen versibus inseruisse, cum cecinit, *Solus qui Chium miscet et Ammineum*; quo scilicet Tibullianum illud interpretaretur, *Nunc mihi fumosi veteres proferte Falernos Consulis: et Chio solvite vincla cado*: facile adductus sum, ut Mediceum codicem, atque alterum quendam Vaticanæ bibliothecæ, in hujus versus lectione castigatiores dubio procul existimarem: in quibus scriptum est, *Sunt etiam Ammineæ vites*; qua lectione, omnis et scriptionis et syllabarum ambiguitas tollitur. Quod vero Servius asserit vinum Ammineum album esse, ideoque dictum quasi sine minio, commenticium est: quum agnoscat Plinius vitem Ammineam nigram, cui nomen Syriacæ. Et ex pluribus Ammineis genus tantum unum designet Columella: quod albidas uvas habeat. Præterea si verum illud est, quod plerique tradunt, Ammineum vinum idem et Falernum esse: id nigrum potius habebitur, Martialis elogio, dicentis; *Marmorea fundes nigra Falerna manu.* Nam Macrobius ait, Ammineos fuisse: ubi nunc Falernus ager. Genusque vitis Ammineæ minoris, vulgo notissimæ, quæ Campaniæ celeberrimos Vesuvii colles, Surrentinosque vestit, agnoscit Columella: solasque ab antiquis agnitas attestatur: et suis quoque temporibus vetustissimas quasque vineas Ammineas existimatas. Cæterum Virgilius diversum quid a Macrobio tradere videtur, quum sedulo distinguat species, quaternaque genera duabus comparationibus complectatur. Rhetica Falernis comparando, cum quibus tamen ea, utpote deteriora, minime contendere debeant. Moxque Ammineum subjungat, cui Tmolium ex

Lydia, et Phaneum ex Chio comparat, minoremque Argiten, quamvis hæc vitis et liquoris copia, et vetustatis firmitudine sit cæteris omnibus anteferenda: assurgere tamen vinum ejus Ammineo, illique priorem locum cedere asseverat. Qui quidem, si Falernum et Ammineum idem agnovisset vinum, non ita statim per comparationes in diversa genera distribuisset, illud Rheticis, hoc Chiis, et quibusdam aliis anteferendo. Sane vero Falernum id omnino esse, quod vulgo nunc Græcum appellant: plerique non ineruditi consentire videntur. Sed nos hæc aliis, quos intellexi negotium hujusmodi sumpsisse, disputanda relinquemus, cum eo solicita magis cura properemus, ut veterum codicum lectionem a tinearum injuria, quoad fieri potest vindicemus. *Pierius.*

98 *Tmolius adsurgit quibus, et rex ipse Phanæus*] *Assurgit*, Duplex est hoc loco expositio. nam alii volunt sine vitio in subanditione esse posita, quæ aperte dicere non possumus; ut sit, *quibus vinis assurgit*, id est, cedit vinus Tmolius et Phanæus. Quod si aperte dicatur, est utrunque vitiosum; tamen *Vinus* de Græco traxit: nam οἶνος dicunt. Pleraque autem subaudiri, quæ aperte non possumus dicere, et ipse alibi docet dicens de Alecto; *Nec dextræ erranti deus abfuit;* quod penitus dicere non possumus, quum Alecto fæmininum sit. Et Sallustius qui ait, *Quis a Sertorio triplices insidiæ, per idoneos saltus positæ erant. Prima*, et subaudiendum reliquit *insidia:* quod penitus dicere non possumus. Alii autem ad superiora referunt, ut *Quibus*, non ad vina referamus, sed ad vites: ut sit, quibus vitibus cedit Tmolus et Phanæus, montes vitibus consiti. Et est figura: qualis illa in Æneide, *Me puer Ascanius capitisque injuria chari: Quem regno Hesperiæ fraudo:* scilicet quem Ascanium, non, quem caput. Tmolus mons est Ciliciæ: Phanæus mons est in promontorio Chii: dictus a Phanæo rege. Ut autem *Assurgit*, cedit sit, tractum est a sedentibus, qui, in honorem alicujus assurgere consueverunt. *Servius.*

Rex ipse Phanæus] De Lucillio hoc tractum est, qui ait, Χῖος τε δυνάστης, id est, οἶνος. *Idem.*

Tmolius adsurgit quibus, et rex ipse Phanæus] In antiquis aliquot codicibus manuscriptis, legere est absque *et* particula: *Tmolus adsurgit quibus.* atque ita necesse est continuare ordinem elocutionis, Firmissima vina, quibus Tmolus adsurgit, et rex Phanæus. Sed enim obstat syllaba: Trocheus ea sede positus exemplo caret, neque cæsura ulla succurrit, quæ communem locum faciat, quare commenti sunt Grammatici, *et* illud, tanquam cuneum, aut farturam aliquam interponere, quæ versum sustineret, vel fatiscentem obstiparet: quorum tamen omnium ambiguitatem sustuleris, si, quod in Mediceo, et in Longobardico Vaticanæ bibliothecæ legitur, admiseris. Ibi enim: *Tmolius adsurgit*, denominatum nomen a Tmolo habetur: ut enim ab Olympo, Olympius, a Caucaso, Caucasius, ita a Tmolo, Tmolius. Eritque ordo: Quibus vinis rex Tmolius adsurgit, et rex Phanæus. *Pierius.*

Tmolius adsurgit quibus, et rex ipse Phanæus] Sententia est, Amineas vites ita esse optimas, ut et vitibus inclytus Tmolus et Phanæus rex vinorum illis assurgant, et hanc rem præbeant, neque velint primum locum tenere. Dicam hic duo de Tmolo, et de Phanæo, nam illa *rex*, et *adsurgit*, rejiciam ad finem notæ. Est Tmolus, sive, dempta syncope, Timolus, mons Lydiæ (Ciliciæ facit Servius, jam hujus erroris damnatus ab Erythræo, et Beroaldo, ex auctoritate Plinii, Strabonis, Solini, Ovidii: ideo omitto) vineti fertilissimus. Hanc partem sic illustro. Theophrastus hist. IV. 6. Τμῶλος ἔχει ἄμπελον. Plinius XV. 29. *Tmolus vitibus consitus.* Auctor Tra-

gœdiæ Thebaidos: *Hinc nota Baccho Tmolus attollet juga.* Ovidius de Ponto: *Africa quot segetes, quot Tmolia terra racemos.* Strabo l. XIII. in genere: Τμῶλος εὐδαίμων ὄρος. Non ita XIV. nam inter loca, quæ afferunt οἴνους ἀρίστους, numerat Tmolum. Et iterum de eodem Tmolo, et locis aliis, ita ait: διαφόρους χρηστευοῦσιν, ἢ πρὸς ἀπόλαυσιν, ἢ πρὸς διαίτας ἰατρικάς: *ferunt vina præstantissima et ad jucunditatem, et ad medicinam.* Huc pertinet Hymnus Orphei ad Sabazium, ubi ait Bacchum insitum a Jove femori, et eductum: ὅπως τετελεσμένος ἔλθῃ Τμῶλον ἐς ἠγάθεον: *ut adultus iret ad Tmolum fertilem.* Transeo ad Phanæum: est hic mons in promontorio Chii, sic dictus a rege Phanæo, ut auctor Servius. De vino Chii celebratissimo ita plena sunt monumenta scriptorum, ut consectari hoc putidum sit: tantum cito Strabonem l. XIV. Athenæum I. Plinium XIV. Horat. Od. III. 19. Plautum Curculione. Poëtas omnes. Sed quare *rex Phanæus?* Merito putant viri docti expressum hoc ex Lucilio, qui χῖός τε δυνάστης. Ubi vinum Chium, ubi est mons Phanæus, vocat Satrapam, Regem, Principem. Verba Lucilii sic debere legi, cum male in Servio legatur, δύνασθαι, multi jam viderunt, Germanus hic, Turn. XXVIII. 8. Gulielm. Cant. Nov. Lect. VI. 15. Non abit, Plinium sæpe de vino dicere, *principatum:* neque Athen. qui l. I. vino dat δύναμιν. *Cerda.*

99 *Argitisque minor*] Quantum ad solam pertinet speciem. *Servius.*

Argitisque minor] Vel ab ἀργὸς dicta: quando et Plin. *albarum uvarum* meminit. vel sit, quasi *Argiva.* Nam *Argis* (teste Varrone I. 2.) *jugerum unum denos et quinos-denos culleos vini tulit.* *Argitis* autem *minor* etiam Columellæ celebratur. III. 2. *quod vastis materiis duris exuberet.* Taubmann.

100 *Fluere*] Etiam Gr. de Baccho φλεύειν dicunt. Ita hic πολύχους καὶ πολύῤῥυτος ἄμπελος notatur. *Idem.*

101 *Dis et mensis accepta secundis*] Grata sacrificiis et mensis secundis. pomorum scilicet. *Servius.*

Mensis] *Mensis,* quæ post inferuntur, per quod significat et esui et potui bona. *Philarg.*

Diis accepta secundis] *Diis secundis* intelligit, hoc est, propitiis. *Idem.*

Non ego te Dis et mensis accepta secundis] Plura ex antiquis exemplaribus, quæ legimus, Adonio præposito numero sic habent: *non ego te dis.* Inde Alcmanico tetrametro, *et mensis accepta secundis.* Cujusmodi numeri est Horatianum illud, *o fortes pejoraque passi,* ne mediocri stilo versus ita insurgeret: atque hunc numerum agnoscit Servius: significat vero eam esse et esui et potui bonam. Dis enim libationes fiunt, mensis vero secundis et poma et fructus alii inferuntur. In vulgatis codicibus habetur: *non ego te mensis et diis accepta secundis,* qui numerus et gravis et sonoritatis plenus, et ad heroici stili majestatem procedit. *Pierius.*

Mensis accepta secundis] Mensæ secundæ in Gloss. Græco l. vet. τραγήματα, bellaria. de his Poll. VI. 11. τὰ ἐπιδορπίσματα, ἐπιφορήματα. et paulo post: ἦν δὲ τραγάλια, μυρτίδες, κάρυα, μέσπιλα, ἃ καὶ ἃ καλεῖται. Servius Æn. I. 220. *duas habebant mensas, unam carnis, alteram pomorum.* Tertiarum mensarum meminit citatus onomastici auctor c. 12. ubi per mensas, cibos mensis impositos intelligendos, monet. τραπέζας ἐκάλουν τὰ σιτία, τὰ ἐπ' αὐτῶν τιθέμενα. Salmas. in Plin. exercit. p. 1273. has mensas secundas, ψυχρὰς τραπέζας nominat. inter illas, locum olim habuerunt ostrea, echini, et lactucæ crudæ, aliaque acetaria, quæ una cum pomis in epilogo cœnæ adhibebantur. De pomis, sive ταῖς ὀπώραις, ut Salmasius Hist. Aug. Hackianæ edit. p. 953. Lamprid. in Alexandro Severo: *pomis vehementer indulsit, ita ut secunda mensa sæpius illi po-*

neretur. De uvis, ut hic apud Nostrum, nullus dubitat. De uvis et nucibus, Horat. sat. II. 2. Sed satius est legi Fulvi Ursini appendicem ad librum de triclinio Ciacconii p. 312. 313. quam hic exemplorum congerie fatigari lectorem. *Emmeness.*

102 *Bumaste*] Uva in mammæ bovis similitudinem. *Servius.*

Tumidis, bumaste, racemis] Ideo *tumidis*, quia *bumastus*, id est, *mammeus* aut *bumeus*: est enim bumastos uva instar mammæ. Plin. XIV. 1. *tument vero mammarum modo bumasti.* Addita vero est particula *bu* a *bubus*, nam grandia omnia ita solent efferri. Meminit Columell. III. 1. et Varro r. r. II. 5. ex Vaccio: *Novi*, inquit ille, *majestatem boum, et ab his dici pleraque magna, ut βούσυκον, βουπαῖδα, βούλιμον, βοῶπιν, uvam quoque bumammam.* Et Anthol. III. βουπάμμων est possessor multarum opum. Macrob. Saturn. III. c. ult. Bumamma, aut, ut Græci dicunt, βούμαθος, putant merito nonnulli uvas ollares esse easdem cum bumastis, quod colligas ex Col. XII. 43. leg. etiam notam Dalecamp. in Plin. XIV. 1. *Cerda.*

Racemis] *Racemus*, nunquam scapus est, sed idem plane cum *uva*, sive *botro*, aut *botryone*, ut Martial. XI. 28. *uvam conditaneam* appellat. *Uva* igitur et βότρυς sive *racemus*, totius fructus nomina sunt (der gantze Traube), qui partibus constat scapo, pediculo, acino sive grano. *Acini* (ein Beerlein) partes sunt *folliculus* (στέμφυλον Gr., Plinio corium, cortex, cutis), *succus* (qui et *sanguis terræ*, et αἷμα σταφυλῆς Siracidæ), *caro* (qui et *callus*, Plinio in uvis duracinis), *nucleus*, Græc. γίγαρτον. Columella et Palladius *nucleos* etiam *vinacea* vocant, nove. nam *vinacea* potius sunt στέμφυλα. Solet autem *uva* sive *racemus* de aliis quoque ἀναλόγως dici: ut et *acinus* de baccis et corymbis hederæ vel sambuci, &c. Atque hæc semel e Casaubono l. II. in Sueton. solide docere volui: cum doctissimi etiam viri in his errent. Videre itidem poteris Turneb. XXV. 26. Auson. Popma censet *Racemos* dici uvas minores et quæ sub pampinis fallant: *uvas* vero majores illas, et crassioribus acinis. Plin. l. IV. *Quando non racemos, sed uvas alias gignunt.* Taubmann.

103 *Sed neque quam multæ species, &c.*] Scit apud diversas lecta esse innumerabilia vitium genera; quibus offensus ait, Colligere tanta vitium genera, nec utile est, nec possibile. Qui enim conatur universa cognoscere, debet etiam impossibilia scire, ut est arenarum, vel fluctuum numerus. *Servius.*

Sed neque] Simillima habet Colum. III. 2. *Taubmann.*

104 *Refert*] Aut interest, aut prodest. *Philarg.*

105 *Libyci*] Ipse, *Litus arenosum Libyæ*, dixit. *Idem.*

Libyci velit æquoris idem] Hanc sententiam protulit etiam Theocritus, a quo Virgilium accepisse, verisimile est. Theocriti autem versus ex idyll. XVI. sunt hi: Ἀλλ' ἴσος γὰρ ὁ μόχθος ἐπ' ᾀόνι κύματα μετρεῖν, Ὅσσ' ἄνεμοι χέρσονδε μετὰ γλαυκᾶς ἁλὸς ὠθεῖ. Potest etiam videri imitatus illud Catulli: *Quam magnus numerus Libyssæ arenæ Laser piciferis jacet Cyrenis, Oraculum Jovis inter æstuosi.* Homerus quoque in Iliad. B. simile quiddam protulit: Λίην γὰρ φύλλοισιν ἐοικότες ἢ ψαμάθοισιν. et Pindarus Olymp. εἰδ. XIII. ὡς μὰν σαφὲς Οὐκ ἂν εἰδείην λέγειν Ποντιᾶν ψάφων ἀριθμόν. Philippus etiam in epigram. l. III. Λοιπῶν δ' ἀέθλων ἢν ἐρευνήσῃς κράτος, Καὶ τὴν λίβυσσαν ἐξαριθμήσεις κόνιν. *Ursinus.*

106 *Quam multæ Zephyro turbentur arenæ*] Pythagorici numeris omnia constare docebant, quod in chronico suo luculente exponit Marshamus pag. 264. Horat. od. I. 28. Architam Tarentinum Pythagoræ auditorem et

geometram, appellat *arenæ mensorem*, quod cum non sit in manu hominis, ut et numerare fluctus maris, inde nata hæc proverbia: ἄμμον μετρεῖν, κύματα μετρεῖν, quorum mentionem infert Zenobius centur. I. quæ dicuntur ἐπὶ τῶν ἀδυνάτων καὶ ἐφίκτων. *Emmeness.*

107 *Incidit*] Reddit procul dubio Homerum, qui etiam de Euro Odyss. v. ἔπεσε. Cic. etiam in Arat. *Sin gravis inciderit vehementi flamine ventus.* Cerda.

109 *Nec vero terræ ferre omnes omnia possunt*] Aut generale est, sicut ait in primo, *Et quid quæque ferat regio:* aut ad superiora pertinet, ut sit sensus talis: Non prodest, nosse cuncta vitium genera: nec omnia procreantur in omnibus terris. *Serv.*

110 *Crassis paludibus*] Lutosis naturaliter. *Idem.*

112 *Littora myrtetis lætissima*] Locum posuit pro ipsis arboribus, sicut salictum pro salicibus. nam myrtetum est locus: arbor vero ipsa myrtus vocatur. *Idem.*

Denique apertos Bacchus amat collis] Hinc est, quod vites amant montium laxiora. *Idem.*

114 *Aspice et extremis*] Intuere etiam extremum orbem cum suis cultoribus domitum: nam subaudimus *cum.* Et per transitum majestatem Romani laudat imperii. *Idem.*

115 *Eoasque domos Arabum*] Arabia, Panchaja, Sabæorum gens est, apud quam tus nascitur. ut, *solis est turea virga Sabæis.* Item, *Totaque turiferis Panchaja pinguis arenis.* Plautus, *Arabico ture.* Idem.

Eoasque domos] In Longobardico *domus* quarta declinatione legitur: quod et apud T. Livium in antiquis codicibus observatum. *Pierius.*

Pictosque Gelonos] Stigmata habentes: populi Scythiæ: ut, *pictique Agathyrsi.* Servius.

P. Gelonos] Notat plagam mundi Septentrionalem. sunt autem *Geloni*, Scythiæ populi: Turneb. XXIX. 26. de quibus et Ge. III. 461. *Picti* dicuntur; vel, quia στίγματα habent: ut Cic. Off. II. de barbaro quodam *notis Threiciis compuncto* meminit. vel, quia veste utebantur versicolore: uti de iis Solin. c. 19. *Geloni de hostium cutibus et sibi et equis tegmina faciunt.* Vel, quia *fucato in cæruleum corpore pingebantur*, ut vicini ipsorum *Agathyrsi:* De quibus vide Æn. IV. 146. *Taubmann.*

Pictosque Gelonos] Fabulam quidem tradit Herodotus l. IV. c. 10. de tribus filiis Herculis, Agathyrso, Gelono, et Scytha, qui ei provenerunt ex virgine ancipitis naturæ: sed an se compungant notis Geloni, quia Gelonus, populi primus auctor, e serpente oriundus est, aliorum permitto judicio. Non me fugit illud Claudiani in Rufinum I. 313. *Membraque qui ferro gaudet pinxisse Gelonus.* Si errare videtur Cerda, Servio subscribens, qui Gelonos appellat pictos, quia stigmata corporibus inusta habent, accedendum τῷ πάνυ Salmasio, qui cum veterem interpretem sui oblitum dixit, sub calcem eruditæ suæ disputationis p. 189. hæc expromit: *Picti Geloni* Virgilio, ut *Agathyrsi.* Gelonus enim Agathyrsi frater: ambo Herculis filii. Stephanus: Γελωνὸν, πόλις Σαρματίας ἀπὸ Γελωνοῦ τοῦ Ἡρακλέους, τοῦ Ἀγαθύρσου ἀδελφοῦ. Et sane *pictos* sive Agathyrsos, sive Gelonos, haud aliter interpretari licet, quam aliquo colore fucatos. Sic *picti Scottobrigantes* Senecæ. et *Picti* populi Britanniæ ab eadem ratione dicti. Sic *picta vestis*, coloribus variata, et *pictæ volucres* apud Poëtam. Non dubium est quin Scythis, non Thracibus adscribendi sint Geloni: vide Pomp. Melam II. 1. qui ideo pictos nominandos censet, quod se equosque velaverint cutibus hostium, sed et hanc sententiam rejectam videbis a Salmasio, supra citato loco. *Emmeness.*

116 *Divisæ arboribus patriæ*] Regi-

onis, ut, *Italiam quæro patriam.* Servius.

Sola India nigrum Fert hebenum] Atqui et in Ægypto nascitur; sed Indiam, omnem plagam Æthiopiæ accipimus. Sane et hæc *hebenus*, et hoc *hebenum* dicitur: hic neutro usus est; Lucanus vero ait, *Hebenus Mareotica vastos Non operit postes.* Hebenus autem arbor est, quæ cæsa durescit in lapidem. *Idem.*

India nigrum ebenum] Theophrast. hist. IV. 5. loquens de India: ἴδιον δὲ καὶ ἡ ἐβένη τῆς χώρας ταύτης: *ebenus regionis hujus vernacula est.* Strabo l. XV. in narratione rerum Indicarum loquens de Pasyis: φύεσθαι δὲ καὶ ἔβενον: *nasci etiam ebenum.* Plin. XII. 4. *Unam e peculiaribus Indiæ Virgilius celebravit ebenum, nusquam alibi nasci professus.* Solin. c. 65. *Sed ut piper sola India, ita et ebenum sola mittit.* Alcimus l. I. loquens de Indis: *Concolor hic ebeni piceo de fomite ramus Surgit.* Claud. Indum signat, cum ait in opere de Nilo: *Qui ramos ebeni, qui dentes vellit eburnos.* Sed an solius Indiæ hæc sit merx, ut ajunt Solin. et Virg. dubium est. Nam Herod. l. III. loquens de Æthiopia: αὐτὴ δὲ χρύσον τε φέρει πολλὸν, ... καὶ δένδρεα πάντα ἄγρια, καὶ ἔβενον: *Hæc et auri multum fert.... et cum agrestes omnes arbores, tum vero ebenum.* Plin. VI. 30. *Sita est Æthiopia ab oriente hiberno ad occidentem hibernum. Meridiano cardine silvæ ebeno maxime virent.* Lucan. l. X. de Regia Ægyptiorum: *Ebenus Mareotica vastos Non operit postes, sed stat pro robore vili.* Servius, ut Poëtam defendat, ita ait: *Atqui et in Ægypto nascitur, sed Indiam, omnem plagam Æthiopiæ accipimus.* Sed qui potest ita defendere? Nam Dioscor. I. 111. aperte discriminat, et principatum dat Æthiopiæ ebeno. ἔβενος κρατίστη ἡ Αἰθιοπικὴ, καὶ μέλαινα ...ἐστὶ δὲ τὶς καὶ Ἰνδικὴ: *Ebenus optima habetur Æthiopica, et nigra ... altera est Indica.* In magnis scriptoribus dissidia ista, neque ideo alii præ aliis damnandi. Epithetum nigredinis vidisti in Dioscor. Arist. quoque Meteor. IV. 7. ἐβένου τῆς μελαίνης. *Cerda.*

117 *Ebenum*] Non infrequenter cum adspiratione: absque illa concinnius, Græcisque conformius, quibus ἔβενος. Hac de re disserentem lege Dausquium in Orthogr. *Emmeness.*

Solis est turea virga Sabæis] In Longobardico: *Solis et turea*, sed inemendate. *Turea* vero absque aspiratione in antiquis codicibus: quod multi fuere, qui *tus* Latinum esse vocabulum, et a tundendo dictum voluere. *Pierius.*

Solis est turea virga Sabæis] In aliis regionibus etiam tus inveniri, certum est. Sed in iis ex arboribus consitis colligitur, in Arabia autem suopte ingenio prognasci constans fama est. ubi, teste Strabone l. XVII. Δενδρολίβανοι αὐτοφυεῖς. Itaque illi plagæ, et quidem Sabæis, Arabiæ Felicis incolis, si non omnis, præcipua saltem laus debetur, ut docuimus Ge. I. 57. quod etiam non obscurum ex Plinio VI. 28. *Sabæi Arabum propter tura clarissimi.* Idem adstruit etiam Tibull. II. 2. *Urantur pia tura focis; urantur odores, Quos tener e terra divite mittit Arabs.* Clarissime Mela I. 10. *Arabia hinc ad Rubrum Mare pertinet, sed illic magis læta et ditior, ture atque odoribus abundat.* et III. 8. *Arabia dicitur, cognomen Eudæmon, angusta, verum cinnami et turis aliorumque odorum maxime ferax.* Emmeness.

119 *Balsamaque*] *Que* vacat. ut alibi, *Dixitque, et prælia voce diremit.* Sane *Balsamum* est arbor ipsa: *Opobalsamum*, succus collectus ex arbore: nam ὀπὸς dicitur succus: τὸ ξύλον lignum ipsius arboris. Probatio autem opobalsami, ut dicit Plinius, hæc est, *Si contra solem feratur, et corruptum non sit, manum ferentis exurit.* Servius.

Balsamaque] Balsamum est liquidum medicamentum, colorum cura-

tioni necessarium, quod ex arboribus distillat in modum picis. *Probus.*

Balsamuque] Balsamum uni Judææ concessum esse, auctor Plin. XII. 25. Joseph. X. 4. Hegesipp. I. 16. Justin. l. XXXVI. Dioscor. l. I. Theophrastus multis in locis. *Meyen.*

Semper frondentis acanthi] Acanthus arbor est in Ægypto semper frondens, ut oliva, laurus. Acanthus dicta, quia spinis est plena. Abundat hac etiam Circina insula. *Servius.*

Acanthi] Theophrasto ἄκανθος arbor est in Ægypto nascens. sic dicta, quia spinis plena sit. *Acanthium* Plinio est XXIV. 12. Sed cum idem cap. sequenti de ea tractet, quæ *Spina Appendix* appellata sit, quod baccæ in ea puniceo colore *appendices* vocentur; sunt, qui de hac Virgiliana interpretentur. Et quia virgulta ejusdem flexibilia sunt, hinc illud Ge. IV. *flexi vimen acanthi*, explicant. ut et, quum *mollis* eadem appellatur. Quanquam in his pro herba *topiaria* accipiunt, de qua Ecl. III. Immo et apud Græcos (ut observavit Pimpont.) ἄκανθα et ἄκανθος promiscue usurpantur pro arbore et herba: quæ nunc *Acer*, nunc *Spina* vertuntur. Esset igitur hoc Poëtæ tertium quoddam genus *Acanthi*. Sed vide mihi *Anton. Musam* Italum, et Not. Æn. I. 654. *Taubmann.*

120 *Æthiopum*] Æthiopia Ægypto contermina, insignes habet arbores, laniferas quoque, auctore Plinio. In Tylo insula maris Persici, sunt arbores (gosampinos vocant) lanigeræ; folia habent infœcunda: quæ nisi minora essent, vitium poterant videri. Ferunt cucurbitas amplitudine mali cotonei: quæ maturitate apertæ, ostendunt lanuginis pilas; ex quibus preciosa lintea conficiunt. Et Juba tradit circa fruticem lanuginem esse, linteaque inde fieri Indicis præstantiora. Æthiopia sita est ab oriente hiberno, ad occidentem hibernum: sub ipso meridiano excelsus est mons, qui æternis ardet ignibus. *Probus.*

Molli canentia lana] Pimpontius, liniferas arbores notari putat, quæ byssum ferunt, linum auro contra carum. Sed docet Lipsius, *Byssum* e terra gigni, ut linum: et imperite a multis confundi *Byssina*, *Bombycina*, et *Serica*: Cum *Byssina* vestis fit e lino: *Bombycina* e verme; *Serica* ex arborum lana confecta. *Taubmann.*

121 *Velleraque ut foliis depectant tenuia Seres*] Apud Indos, et Seres, sunt quidam in arboribus vermes, et bombyces appellantur, qui in aranearum morem tenuissima fila deducunt. Unde est sericum: nam lanam arboream non possumus accipere, quia ubique procreatur. *Servius.*

Depectant] Decerpant. sed alii *Depectat* legunt. quod si est; Seres, posuit pro Ser: sicut trabes pro trabs. Sic Lucanus, *Sub juga jam Seres, jam barbarus isset Araxes.* Idem.

Seres] Asiæ populi, de quibus Mela l. I. *Seres media ferme Eoæ parte incolunt Indi: et Scythæ ultima.* Sic III. 7. *Seres intersunt, genus plenum justitiæ, ex commercio, quod rebus in solitudine relictis absens peragit, notissimum.* Recte erroris insimulantur, qui *Seras*, hodie Chinesen, cum *Sinis* confundunt, qui hodie *Siamenses*. Sed de his Vossius ad Pompon. Melam pag. 8. et 9. Plin. VI. 17. *Seres lanicio silvarum nobiles perfusam aqua depectentes frondium canitiem: unde geminus fœminis nostris labor, redordiendi fila, rursumque renendi.* Inde Sericum, serica vestis, quæ non nisi sub imperatoribus Romanis condita, ut Ferrarius de re vest. I. 19. Sed error veterum, qui sericum ex lanugine arborum depexa fieri statuebant, exploditur erudite a Salmasio in exercit. Plin. pag. 298. 299. et seqq. Nec non in notis in Tertull. de pallio pag. 240. 241. et 242. *Emmeness.*

122 *Oceano propior gerit India lucos*] Hæc enim habet arbores magnas,

quæ est juxta Oceanum. hinc est, *Extremi sinus orbis.* Servius.

Oceano prop. Ind.] Vide Plin. VI. 13. *Taubmann.*

Gerit] Pro habet, ut alibi, *Virginis os, habitumque gerens.* Philarg.

123 *Aëra*] *Aëra arboris,* nunc pro cacumine: aut aërem eum dicit, qui circa cacumen est. *Philarg.*

Ubi aëra vincere summum] Pertinent ista ad exaggerandam proceritatem arborum Indicarum. Strabo XV. δένδρα παράδοξα ἡ Ἰνδικὴ τρέφει: *fert India arbores ultra modum.* Plin. VII. 2. *Arbores quidem tantæ proceritatis traduntur, ut sagittis superari nequeant.* Ceterum Græci ὑπερβάλλειν dicunt, ὑπακοντίζειν, ὑπεροιστεύειν. Val. Flaccus Argon. VI. ita extulit: *Densior haud unquam, nec celsior extulit ullas Silva trabes, fessæque prius rediere sagittæ, Arboris ad summum quam pervenere cacumen.* Carpit illum Scaliger. Lucanus ait: *Æthera tangentes silvas.* Cerd.

125 *Non tarda*] Id est, strenuissima. nam Liptotes figura est. *Servius.*

126 *Media fert tristis succos*] *Di*, sine sibilo proferenda est: Græcum enim nomen est, et Media provincia est. *Idem.*

Media fert tristis succos, tardumque saporem] Pars Parthorum Media est appellata a Medo, filio Medeæ et Ægæi, ut existimat Varro, qui quatuor libros de Argonautis edidit. Arbor autem, quæ describitur a Virgilio, nascitur quidem in Italia, sed non est ejusdem effectus, cujus in Media: et appellatur Rododaphne. *Probus.*

Media fert tristis succos] Μηδικὸν μῆλον, quod et εἶον, Græci malum citrium vocant: sed non satis constat hoc significari a Virgilio. Cydonium malum, quod Cotoneum Medici accipiunt, videtur ejusdem pene cum hoc Medico, quodcunque sit, esse efficaciæ, namque usurpatum a veteribus ex Plutarcho constare videtur ad halitus commendationem et gratiam conciliandam, hoc indicio, quod juberet Solon sponsam consuetudinem cum sponso accubitumque auspicari malo Cydonio, recens ab ea vorato, sub his verbis Plutarch. ἐν γαμ. παράγγ. ὁ Σόλων ἐκέλευε τὴν νύμφην τῷ νυμφίῳ συγκατακλίνεσθαι μῆλον κυδώνιον κατατραγοῦσαν, αἰνιττόμενος, ὡς ἔοικεν, ὅτι δεῖ τὴν ἀπὸ στόματος, καὶ φωνῆς χάριν εὐάρμοστον εἶναι πρώτην καὶ ἡδεῖαν. Non videtur tamen malus Cotonea vel Cydonia felicis mali descriptioni convenire. *Germanus.*

Media, &c.] Descriptio *mali Medicæ:* cujus fructus *Malum Medicum,* et *Assyrium,* et *Citrium.* Etiam Plinius cum Virgilio, nisi apud Medos et in Perside, non nasci testatur: quem vide XII. 3. et inibi Dalechamp. ut et Macrob. III. 19. Quando autem hoc malum Citrium (nam sero factum) edi cœperit, docet Casaubonus ad Athen. III. 7. quem vide pag. 101. Vulgo Cytron. *Taubmann.*

Tardumque saporem Felicis mali] Apud Medos nascitur quædam arbor, ferens mala, quæ medica vocatur: quam per periphrasin ostendit, ejus supprimens nomen. hanc plerique citrum volunt; quod negat Apulejus in libris quos de arboribus scripsit: et docet longe aliud genus arboris esse. *Tardum* autem *saporem* dicit, vix intelligibilem, quod illi ad carnem mediam citri referunt. Nam prima et interior facile suum ostendit saporem. *Servius.*

Media] Salmasius Plin. exercitat. p. 956. asserit in hac sententia fere omnes antiquos fuisse, κίτριον et malum Medicum, nec non Hesperidum, idem fuisse. Galenus, Aëtius, et alii: μηλέα Μηδικὴ ἢ τὸ κίτριον. Vetus epigramma nondum editum, cui titulus De Citrio: *Septa micant spinis felicis munera mali Quæ tulit ut citris aureus ora tumor. Hippomenes vicit tali certamine malo, Talia poma nemus protulit Hesperidum.* Inde in Glossis Græcol. ἑσπερὶς *citrium,* et in onomast. Græcol. *citrium,* Μηδικόν. De malo Me-

dica vide Theophrast. hist. Plant. IV. 4. *Emmeness.*

Tristis succos] Amaros. ut, *Tristesque lupini.* Servius.

Tristis succos] Ut Ge. I. 75. *tristis lupini fœtus*, i. amarus. Solinus c. 49. *Gestat malum inimicum venenis, sapore aspero et amaritudinis miræ.* Alii tamen hæc verba non de malo Medico, sed de venenis, quibus ea regio abundat, intellexerunt. *Taubmann.*

Tardum saporem] *Amarum* et *acerbum* interpretatur Turn. IV. 4. Servius *hebetem* et vix intelligibilem, scil. carne sui media: nam prima facile saporem ostendunt. Philargyrius *gravem*, et diu linguæ et palato immorantem. *Taubmann.*

127 *Felicis mali*] Secundum eos qui dicunt, citrum fœcundam: nam hæc arbor, id est citri, omni pene tempore plena est pomis; quæ in ea partim matura, partim acerba, partim adhuc in flore sunt posita. Aut certe *felicis*, salubris. Nulla enim efficacior res est ad venena pellenda. *Serv.*

Quo non præsentius ullum] In Longobardico codice *præstantius* legitur. Sed *præsentius* magis placet eruditis. *Pierius.*

128 *Sævæ novercæ*] Aut hæ, quæ sævæ sunt: aut epitheton est omnium novercarum. *Servius.*

Pocula si quando sævæ infecere novercæ] De injustis novercis actum Ecl. III. 33. Quare monet pupillos Juvenal. VI. 628. *Vos ego, pupilli, moneo, quibus amplior est res: Custodite animas, et nulli credite mensæ: Livida materno fervent adipata veneno.* De exemplaribus sævitiæ novercalis vide Marcellum Donatum ad initium annal. Taciti. *Emmeness.*

129 *Miscueruntque herbas*] In Oblongo perveteri codice, atque etiam in Longobardico, *miscuerant* legitur, quod minime placet. In altero antiquo *miscuerint* habetur. Sed ego nunquam lectionem primam rejicerem, quum in Bucolicis *tulerunt*, et apud Terentium *emerunt*, eadem figura legitur. *Pierius.*

Non innoxia verba] Liptotes. id est, nocentissima. Et est augmentum, quasi parum putent venena miscere, nisi etiam magicos cantus addiderint. *Servius.*

130 *Membris agit atra venena*] Radices, nuces, lupini, citrum, apium, prosunt contra futurum, non contra jam acceptum venenum. Unde etiam antiquitus ante ullas alias epulas, hæc solebant mensis apponi. apparet ergo non eum de citro loqui in præsenti, cum dicit *Membris agit atra venena.* Jam data. *Idem.*

Agit] Id est, exigit, et expellit, ut Horat. epod. IX. *Actus cum freto Neptunius Dux fugit ustis navibus.* Ideo Theophrast. hist. plant. IV. 4. χρήσιμον δὲ, ἐπειδὰν τύχῃ πεπωκώς τις φάρμακον. Eadem fere verba habet Athenæus III. 7. et 8. ubi mirabilis historia de duobus latronibus, qui, cum raperentur ad supplicium, illæsi manserunt contra venenatos morsus serpentum, citrium quia casu quodam comedissent. sed pro φάρμακον dicit θανάσιμον φάρμακον. δοθὲν γὰρ ἐν οἴνῳ, διακόπτει τὴν κοιλίαν, καὶ ἐξάγει τὸ φάρμακον. Idem testatur Dioscorid. I. 167. et Galen. l. VII. simpl. medic. *Emm.*

Atra venena] Quia homines efficit lividos, nigros. sic Ovid. Met. I. 147. *Lurida terribiles miscent aconita novercæ.* Inde Juvenal. I. 72. *nigros efferre maritos.* De livoribus, quæ conspiciebantur in Germanico, qui ferebatur veneno extinctus, Suet. in Calig. c. 1. *Idem.*

131 *Faciemque simillima lauro*] Figura Ciceronis, qui ait in Cæsarianis, *Sed simillimum deo judico.* Sane etiam hæc probat citrum non esse: nam citri arbor et multum non potest crescere, et multo habet folia majora quam laurus. *Servius.*

132 *Alium late jactaret odorem*] Et infinitum emittit suum odorem, et longe alium, quam laurus. *Idem.*

134 *Flos adprima tenax*] Apprima, id est, maxime. Et est nomen pro adverbio. sicut, *Et pede terram Crebra ferit*, pro crebro. *Idem.*

Flos ad prima tenax] Quamvis nonnulli codices habeant, *apprime*, magis tamen placet, quod in vetustioribus legitur, *ad prima*. Eamque lectionem mihi videtur agnovisse Arusianus. Et in antiquo Terentii codice manu scripto legitur: *Meis me omnibus scio esse ad prima obsequentem.* Est vero Græca figura non inelegans, ἐπὶ τὰ πρῶτα. Quoniam vero multi ad hanc ætatem quodnam hoc malum sit, quod a Virgilio describitur, non otiose quærunt: quid ego sentiam, dicam, bona eorum venia, qui aliter judicant. Nam Medicum malum, pomum id esse Virgilio videtur, quod vulgo Naranzium apud Venetos, apud Romanos et Campanos ab angulorum densitate, quibus succus intrinsecus dispescitur, in folliculos suos collectus, Malangulum, appellatur. Ab aliis in citriorum species acceptum. Hanc sane arborem, et hujusmodi fructum Virgilius pingit, dum tristes succos memorat, dum tardum saporem, dum fertilitatem, dum medicamenti vim contra venena habere (quod a Nicandro acceptum mutuo) dum simillimam esse Lauro, dum folia indecidua virore æterno, dum floris tenacissimam, dum gravem animam emendare dicit. Ubi autem Nicander ait, Μῆδόν τε καὶ ἐμπριόεντα σίνηπι. Sunt, qui μῆλον legant. Sed enim interpres μῆδον agnoscit, et addit, ἔστι δὲ τὸ μηδικὸν μῆλον, ὅ ἐστι τὸ νεράντζιον. dictione ita subbarbarice scripta, quo sententia magis omnibus innotesceret. Eandem porro arborem, et Macrobius, et Plinius esse ostendunt: quam etiam apud Persas esse ea fructuum commendatione dicunt, ut poma alia præcarpantur, alia interim maturescant, alia subnascantur: sitque denique arbor ipsa omnibus horis pomifera. Addunt, mala venenis contraria, odore præcellentia, esculentis commendandi halitus grati, incoqui solita. Illud præterea in ipsis citriis experimur (quando nomen hoc in id genus omnia jam receptum est) quod de foliorum odore Plinius tradit, transire quippe in vestes una conditum, arcereque animalium noxia. Quod vero Servius ideo conjecturam facit non esse citrium: quia dicat Poëta, *Ac membris agit atra venena*, leve est: non enim intelligendum, inferre venenum membris, sed procul a membris agere. Quam quidem opinionem meam, eo audentius sum propalare adgressus, quod Virum et litteratura præstantem, et felicitate ingenii styliique candore omnibus admirandum, Jacobum Sincerum Attium, idem sentire adinveni, quum ego Neapolim ad salutandum hominem Roma profectus essem. *Pierius.*

Ad prima] Attico more adverbium plurali eloquitur numero: ut notat Turneb. XXIX. 26. ita Ge. III. *equus pede terram Crebra ferit.* Ge. IV. *nec sera comantem Narcissum.* et alia sexcenta, quæ adnumeravit Erythræi Index, in *Torva tuentem.* Ita Lucret. l. II. *mortales mutua vivunt.* Potest et (auctore Turneb.) *ad prima* duobus vocab. dici, ut *in primis* et *cum primis.* quod erit ad comparationem eorum, quæ primum tenacitatis obtinent locum: quod et *apprime* declarat. Etiam Servius et I. C. Scaliger de Causs. L. L. II. 60. *ad prima* hic agnoscunt: Filius tamen hujus Josephus ad Catullum XXVII. ut et Gifanius, *apprime* legendum pertendunt, ultima nihilominus correpta: quod ita veteres solerent. Horat. Od. II. 20. 10. *et album mutor in alitem Superne.* Lucr. l. IV. *Longe tamen parte ab summa, &c.* lib. V. *Clare citat ad se sitientia sæcla ferarum.* lib. VI. *Tecta superne timent, metuunt inferne cavernas.* Taubmann.

Ad prima] Cur malo Persicæ folia perennent, et maxime tenacia sint, cognoscimus luculente ex var. lect.

Pactolo, unde sic Nonnus l. xi. Dionys. Ὄφρα σὲ Πακτωλοῖο λελουμένον ἐκ ποταμοῖο Ἄμπελε φαιδρύνοιμι, καὶ ἀργυρέοισι ῥεέθροις Ἕρμος εὐῤῥείτης ἑτέροις Σατύροισι μελέσθω· Οὐ γὰρ ἀπὸ χρυσοῖο φέρει ῥόον. Huc facit illud Silii Italici l. i. *non Lydia mallet Stagna sibi, nec qui riguo perfunditur auro Campum, atque auratis Hermi flavescit arenis.* Et Claudian. in Rufin. i. 102. *Non Tartessiacis illum satiaret arenis Tempestas pretiosa Tagi, non stagna rubentis Aurea Pactoli, totumque exhauserit Hermum.* Sic Statius Sil. i. in Tiburt. Manl. vs. 97. *cujus stagnantia rura Debuit, et flavis Hermus transcurrere ripis, Et limo splendente Tagus.* Ut Noster habet *turbidus*, sic Martial. viii. 78. *Non illi satis est turbato sordidus auro Hermus.* Emmeness.

138 *Laudibus Italiæ certent*] Figurate. nam *certo tecum* dicimus. *Serv.*

Laudibus Italiæ certent] Hanc structuram attigimus Ecl. v. 8. Sic Ge. ii. 99. *cui non certaverit ulla.* Emmen.

Bactra] Regio juxta Assyrios: unde et populi Bactriani dicuntur.

Bactra] Numero multitudinis declinantur. Et, ut Q. Curtius ait: *Bactrianæ regionis caput est, quæ est supra Persidem urbs, sita est sub monte Parapamiso: cujus terminos præterit Bactrus amnis, qui urbi et regioni nomen fecit.* Sabinus.

Bactra] Horum tellus feracissima quoque est, ideo in numerum opulentiæ inducta a Vate. Strabo l. ii. παμφόρον nominat. Plin. xviii. 7. *Tradunt in Bactris grana tantæ magnitudinis fieri, ut singula spicas nostras æquent.* Curt. l. vii. *solum pingue.* Verum est ab illo partem Bactrianorum poni sterilem. Ad eandem rem pertinent horum smaragdi celebratissimi, de quibus Theophr. et Plin. prior ait illos colligi ex arenis, posterior ex commissuris lapidum. *Cerda.*

Indi] De *Indiæ* felicitate vide Solinum c. 54. Melam. iii. 7. vi. 17. inprimis *Navigation. Hollandicas.* Taubmann.

139 *Panchaia*] Arabia, ut diximus supra. *Servius.*

Panchaia] Regio Arabiæ, ubi et templum Triphyli Jovis. Ipse alibi: *Panchæis adolescunt ignibus aræ.* Philarg.

Panchaia] Quod ture abundet. Ovid. Met. x. 307. *fit dives amomo, Cinnamaque, costumque suam, sudataque ligno Tura ferat, floresque alios Panchaia tellus.* Lucret. l. ii. *Araque Panchæos exhalat propter odores.* Recte *pinguis*, pro eo Tibullus iii. 2. dicit *dives. Illic, quas dives mittit Panchaia merces.* Emmeness.

140 *Non tauri spirantes naribus ignem*] Quales fuerunt in Colchide civitate Scythiæ. nam hoc habet fabula; Jason Colchos profectus ad tollendum vellus aureum, quod dicaverat Marti Phryxus, fretus Medeæ auxilio: et pervigilem draconem occidit, et ejus dentes sevit, junctis tauris ignem afflantibus; unde nati sunt armati, qui primum fecerunt impetum in Jasonem frustra: postea mutuis vulneribus conciderunt. has autem conditiones Œta rex proposuerat; cui Apollo responderat, tamdiu eum fuisse regnaturum quamdiu illud vellus fuisset in templo. *Servius.*

Tauri] *Tauri* autem hi sunt, quos ignem flantes Æetæ imperio Jason junxit, unguento usus, quod ei Medea dederat. *Philarg.*

Tauri spirantes ignem] Vide Ovid. Metam. l. vii. Est autem genus loquendi Græcum πῦρ πνέων, ignem spirans. Sic dicimus *spirare amores.* et Propert. l. i. *Mollem spirare quietem.* Cerutus.

Spirantes] Ex Lucret. qui l. v. *Et Diomedis equi spirantes naribus ignem.* Ex Apollon. qui de his tauris iii. ἐκ δὲ πυρὸς δεινὸν σέλας ἀμπνείεσκον: *spirabant terribilem ignis fulgorem.* Idem extulit per ἐπιπνείοντε πυρὸς σέλας, et

στόμασι φλόγα φυσῶντε. Ex Pind. Pyth. IV. qui de iisdem: *οἳ φλόγ' ἀπὸ ξανθᾶν γενύων πνέον καιομένοιο πυρός:* *Qui flammam ardentis ignis ex ignitis malis efflabant.* Ex Lycophr. qui *ταύρων πύρπνοον.* De iisdem Dion. Chrysost. orat. XVI. *ταύρων τῶν τὸ πῦρ ἀναπνεόντων.* Libanius in Prog. *ταύρων πῦρ ἀφιέντων.* Ideo contuli tot Græca, quia diversa in omnibus locutio. Ex Latinis pauca subjiciam. Ovid. Met. VII. *Ecce adamanteis Vulcanum naribus efflant Æripedes tauri, tactæque vaporibus herbæ Ardent.* Val. Arg. VI. pulcre hoc, ait enim: *Cujus flammiferos videt inter regia tauros Pascua, tartareum proflantes pectore noctem.* Iterum l. VII. *Claustris erumit utrumque Taurus, et immani proflavit turbine flammas, Ardens atque atro volvens incendia fluctu.* Cerda.

141 *Satis d.*] Seminatis. Jason enim interfecto Hydro, sive Dracone, aurei Velleris custode, tauros illos *πυρπνόους* aratro jungit, campumque arat; *Vipereos dentes et arvis spargit in agros:* de quibus miles armatus erumpit, qui se mutuis conficiunt vulneribus. Cujus Fabulæ allegoriam habet Ph. Melanchthon Chron. l. II. et Camer. in Element. Rhet. pag. 130. Sed et de Cadmo, qui itidem Draconis interfecti *Vipereos dentes, populi incrementa futuri,* in Bœotia seminavit, vide Met. III. sect. 2. et 3. et Fabulæ allegoriam, apud Erasmum de Pronunciat. pag. mihi 64. in hujus seculi litteratos sane oraculum. *Taubmann.*

142 *Seges horruit*] Non placuit. *Seges* autem quia de semine. *Servius.*

Seges horruit] Ut factum est in Colchide. et hic est Hydrus, quem Cadmus in Bœotia occidisse fertur; cujus dentes ipse partim ibidem sevit; partim Æetes in Colchide: ex quibus utrinque seges armatorum hominum nata est. *Philargyrius.*

Horruit hastis] Ex Hom. Il. IV. qui de phalangibus: *σάκεσίν τε καὶ ἔγχεσι πεφρικυῖαι: scutis et hastis horrentes.* Et XIII. qui de pugna; *ἔφριξεν ἐγχείῃσι: hastis horruit.* Ex Lycophr. *πέφρικεν δ' ὥστε λήϊον γύαις λόγχαις ἀπαστράπτοντες: horrebant splendentes hastis, uti solent horrescere arva frugifera.* Pari forma (notat German.) dicitur eleganter horrere aper *ἐθείραις*, messis *ἀστάχυσι*, mare *κύμασι*, timidus *θριξί*: *jubis, spicis, fluctibus, capillis.* Cerda.

143 *Gravidæ fruges*] Largæ, abundantes. *Servius.*

Gravidæ frug.] Largæ, abundantes. Ita in Ciri *gravidos Cereris fœtus* Scaliger F. exponit *γονίμους*. quomodo Cicero dixerit *graviditates τὰς κυήσεις.* q. d. prægnationes, gestationes uteri, &c. *Taubmann.*

Massicus humor] Vinum Campanum a Massico monte Campaniæ. *Servius.*

Humor] Vinum a montibus Falernis, qui *Massici* dicuntur. *Philarg.*

Massicus humor] Significantissima ad laudem vini Massici verba ista Colum. III. 8. *Neque enim dubium est, Massici, Surrentinique et Albani, atque Cœcubi agri vites omnium, quas terra sustinet, in nobilitate vini principes esse.* Plin. XIV. 6. de vinis nobilissimis: *certant Massica æque.* Horat. *nec veteris pocula Massici.* Cerda.

144 *Tenent oleæ armentaque læta*] In nonnullis post oleæ *que*. In Mediceo, et antiquioribus aliquot codicibus, et iis præsertim qui particulam *que* geminare gaudent, legere est: *tenent oleæ armentaque læta,* absque particula *que*, post dictionem *oleæ*. *Pierius.*

Armentaque læta] Inde Italia nomen suum habet, ut Varro I. 2. et II. 1. Nec non Colum. VI. 1. Festus: *Italia dicta, quod magnos italos, hoc est, boves habeat.* Inde Gellius XI. 1. Italiam nominat *armentosissimam.* Sic Plin. XXXVII. 13. *Quicquid est, quo*

carere vita non debeat, nusquam est præstantius, fruges, vinum, olea, vellera, lina, vestes, juvenci. Emmeness.

146 *Hinc albi Clitumne greges*] Vocativus est *Clitumne*. *Clitumnus* autem fluvius est in Mevania; quæ pars est Umbriæ partis Tusciæ, de quo fluvio, ut dicit Plinius in historia naturali, animalia quæ potaverint, albos fœtus creant. *Servius.*

Clitumne] *Clitumnus* amnis est, Umbriam a Tuscia dividens. significat autem boves Mevanienses, qui sunt albi. *Philarg.*

Hinc albi, Clitumne, greges] Plinii verba, de quibus Servius invenias II. 103. Sic et memoriæ prodidit Plinius secundus de hoc flumine, et hujus nominis Deo, epistolam octavam l. VIII. Nec tantum albescebant tauri post haustas hujus fluminis aquas, sed eum colorem consecuti, a triumphantibus, rem divinam facturis, conquirebantur, et pro solennibus victimis immolabantur, quod multis locis probare si contenderemus, in proclivi esset. Juven. XII. 13. Stat. silv. I. in soteriis. Ovid. Fast. I. 83. Claudian. de VI. cons. Honorii 506. Sil. Ital. l. VIII. Ovid. amor. III. 13. et Fast. I. 83. Propert. II. 19. Turn. XXIX. 26. et Briss. Form. l. I. *Emmeness.*

Maxima] Quia et Jovi, et in Triumpho cæditur: ut in Ovatione, ovis. Ejusmodi bovem Clitumni graphice pingit Juvenal. Sat. XII. 10. *Taubmann.*

Maxima taurus Victima] Quia triumphantes de albis tauris sacrificabant. *Servius.*

Maxima taurus Victima] Festi sententiam rejicit Scalig. non *ab animo placidiore*, ut ille, *sed de majoribus animalibus, hoc est, de armentis, etiamsi lactentes essent: hostiæ de minoribus, etiamsi opimæ καὶ τέλειαι: inter victimas taurus præstabat, inter hostias ovis.* Unde dicatur victima, Ecl. I. 34. *Emmeness.*

147 *Perfusi flumine sacro*] Fluento. Perfusi autem tauri, qui ante triumphantes usque ad templa ducebantur. Aut certe *Perfusi greges* intelligamus: quod ad equos triumphales potest referri. *Servius.*

Flumine] Clitumnus et deus, et lacus in finibus Spoletinorum, ex quo bibentia pecora alba fiunt. *Philarg.*

148 *Templa*] Jovis Capitolini. *Taubmann.*

Duxere triumphos] Si equi, duxerunt: si boves, deduxerunt. *Servius.*

149 *Hic ver assiduum*] Verna temperies: nam ver assiduum esse non potest. Horatius, *Ver ubi longum tepidasque præbet Juppiter umbras.* Idem.

Hic ver assiduum] Italiæ laudem enarrat Plin. v. 3. l. ult. c. ult. Varr. de r. r. I. 2. *Emmeness.*

Alienis mensibus æstas] Ita Lucret. l. I. *Subito exorirentur, Incerto spatio, atque alienis partibus anni.*

Alienis mensibus] Trebellius in vita Gallieni: *Ficos virides, et poma ex arboribus recentia semper alienis mensibus præbuit.* Claudian. Rap. III. de floribus herbisque emergentibus non suo tempore: *Nec credidit quod bruma rosas innoxia servet, Quod gelidi rubeant alieno gramine menses.* Idem de IV. cons. Honor. de stella, quæ apparuit die, et lucente sole: *Emicuitque plagis alieni temporis hospes Ignis, et agnosci potuit cum Luna lateret.* Est hoc, quod dixit Æschyl. in Agam. θάλπος μὲν ἐν χειμῶνι: *calor in hieme.* Non abit ab hac locutione trita illa, *ridere alienis maxillis*, quam Hom. usurpavit Odyss. XX. et alii: nam et hic diversum quidpiam indicatur, ita et Val. Arg. VIII. *alieno gaudia vultu.* Cerda.

150 *Bis gravidæ pecudes*] Verum est, inde enim in Bucolicis, *Lac mihi non æstate novum, non frigore defit.* Servius.

Bis pomis utilis arbos] Biferæ sunt arbores. *Idem.*

Bis pomis utilis arbos] Agnitam vero differentiam inter *arbor* et *arbos* a

veterum nonnullis, alio loco diximus. Quod attinet ad sententiam, desumpta ea est ex Varrone, ubi dicit malus bifera, ut in agro Consentino. *Pier.*

Bis pomis] Arbores ibi et vites esse *biferas*, imo et *triferas*, docent Varro I. 7. et Plin. XVI. 27. *Taubmann.*

151 *At rabidæ tigres absunt*] Malum Armeniæ. *Servius.*

At rabidæ tigres] Absunt ab Italia tigres, leones, venena. Illustro hoc ex iisdem scriptoribus. Plin. *innoxii saltus.* et alio loco, quem citavi: *benigno ventorum afflatu. Et ferarum animalium innocentia.* Propert. *At non squamosæ labuntur ventre cerastæ,... Itala portentis nec furit unda novis.* Et supra: *Armis apta magis tellus, quam commoda noxæ.* Virg. statim: *Nec rapit immensos, &c.* Pari laude de Attica Plato in Menexeno, θηρίων μὲν ἀγρίων ἄγονος: *agrestes feras non producit.* Sed certe (ut ad Italiam redeam) non hæc felicitas perpetua. Nam Aristot. hist. VIII. 29. τῆς δ' Ἰταλίας ἔν τισι τόποις καὶ τὰ τῶν ἀσκαλαβωτῶν δήγματα θανάσιμά ἐστι: *Italiæ locis quibusdam morsus stellionum exitiales sunt.* Cerda.

At rabidæ tigres absunt] Non displicet, quod in Mediceo et antiquis aliis legitur: *At rapidæ tigres.* Ea enim animalia et pernicitate cursus, et truculentia notantur. *Pierius.*

Et sæva leonum Semina] Malum Libyæ. *Servius.*

152 *Semina*] Genera. Et est Lucretii sermo. Nam quod ait *sæva*, aut cruenta accipimus, aut re vera sæva semina. Ut enim dicit Plinius, *Animalia hæc, quæ sunt cum acutis unguibus, frequenter parere non possunt: vitiantur enim intrinsecus se moventibus pullis.* Idem.

Nec miseros fallunt aconita legentis] Mira arte usus est, ut excusaret rem, quam negare non potuit. Nam aconita nascuntur in Italia: sed non ea obesse dicit, quia sunt omnibus nota. Hæc autem herba dicitur nata esse de spumis Cerberi, quo tempore eum Hercules ab inferis traxit. Quæ quia in saxis et cotibus nascitur, *aconitum* dicitur, ἀπὸ τῆς ἀκόνης, id est, a cote: et dicimus τὸ ἀκόνιτον, καὶ τὰ ἀκόνιτα. *Idem.*

Nec miseros fallunt aconita legentis] Aconitum natum esse e vomitu Cerberi prope Heracleam, plerique ferunt, in quibus Scholiastes Nicandri in alexipharm. Alii asserunt ortum ducere e tabe et sanie Promethei, in quibus Ausonius idyll. XII. in versibus monosyllabo terminatis: *Unde Prometheo de corpore sanguineus ros Aspergit cautes, et dira aconita creat cos.* Vide Turneb. XVIII. 1. An appellatum sit ab Aconis loco Pontico, ut Athenæus III. 8. an ἀπὸ τῶν ἀκονῶν, quæ cautes significant, ut Plin. XXVII. 3. pluribus disputat Salmasius Plinian. exercitat. p. 861. et seqq. Cui sententiæ adstipulari videtur Theophr. hist. plant. IX. 16. φιλεῖ δὲ μάλιστα τοὺς πετρώδεις τόπους. Et Ovid. Met. VII. 418. *Quæ quia nascuntur dura vivacia caute, Agrestes aconita vocant.* Lucan. III. 321. *Pallida Dictæis, Cæsar, nascentia saxis Infundas aconita palam, Romana juventus Non decepta bibet.* Πανταχοῦ invenitur, ut Theophrastus, et hoc luculentius ex Salmasio cognosces. Recte dicuntur aconita fallere: sic ecl. IV. 24. de cujus veneni viribus Plin. XXVII. 2. *Cum constet omnium venenorum ocyssimum esse aconitum.* Ita Thuriæ virgæ similis est, ut plerumque legentibus imponat, quod Lucanus IX. 819. *Non tam veloci corrumpunt pocula leto, Stipite quæ diro virgas mentita Sabæas Toxica fatilegi carpunt matura Sabæi.* Emmeness.

153 *Neque tanto Squameus*] Sunt quidem serpentes in Italia, sed non tales, quales in Ægypto, aut in Africa. *Servius.*

154 *In spiram*] In collectionem volubilitatis: quod est a funibus tractum. *Idem.*

Squameus in spiram] Apollon. de dracone: Ὣς τότ' ἐκεῖνο πέλωρον ἀπειρεσίας ἐλέλιξε Ῥυμβόνας ἀζαλέῃσιν ἐπηρεφέας φολίδεσσι. ubi interpres ῥυμβόνας, τὰς εἰλήσεις τῆς σπείρας· τὰς περιδινήσεις καὶ συστροφάς. Apud Suidam ὁλκὸς, τὸ τῶν δρακόντων σύρμα, quod, *tractum*, hic Maro extulit. Et apud Lucian. τοῦ ὄφεως τὸ σύφαρ, ἀμελήσαντες τοῦ ὁλκοῦ. Item, ὀφέων πλεκτάνας Æschyl. dixit. Dicunt etiam Græci de serpentibus nunc se contrahentibus et colligentibus, nunc explicantibus, εἰλυσπᾶσθαι et συσπᾶσθαι. Hanc autem convolutionem et tractum Aristot. libr. περὶ ζῴ. πορ. hirudinibus et lumbricis tribuit: quorum motum a serpentum fluxu distinguere videtur his verbis: τὰ δὲ ἄποδα, τὰ μὲν κυμαίνοντα προέρχεται· τοῦτο δὲ διττῶς συμβαίνει, τὰ μὲν ἐπὶ τῆς γῆς, καθάπερ τὰ καλούμενα γῆς ἔντερα, καὶ βδέλλαι, ταῦτα μὲν τῷ μὲν ἡγουμένῳ προέρχεται, τὸ δὲ λοιπὸν σῶμα πᾶν πρὸς τοῦτο συνάγουσι. Sententia totius hujus loci et verba ipsa magno concentu cum illo Propertii l. III. ad Tullium consentiunt in laudibus Italiæ: *At non squamosæ labuntur ventre cerastæ, Itala portentis nec furit unda novis.* Germanus.

Tractu] Volumine. Æn. V. *anguis Septem ingens gyros septena volumina traxit.* Apud Suidam: ὁλκὸς, τὸ τῶν δρακόντων σύρμα. Æschilus ὀφέων πλεκτάνας dixit. De serpentibus qui in monstrum excrevere, Plin. VIII. 14. Val. Max. l. I. c. ult. Strabo l. XV. *Taubmann.*

155 *Adde tot egregias urbis*] Laudat Italiam a civitatibus, quas et plures habet et maximas, et opportunissime collocatas. *Servius.*

Adde tot egregias urbis] Hæc una ex maximis Italiæ laudibus. Ælian. καὶ ὅτι πόλεις ᾤκησαν τὴν Ἰταλίαν πάλαι ἑπτὰ καὶ ἐννενήκοντα καὶ ἑκατὸν πρὸς ταῖς χιλίαις: *Ajunt olim mille centum et nonaginta septem urbibus Italiam habitatam fuisse.* Claudian. de cons. Theod. *clarisque micantem Urbibus Italiam.* Plin. *Tanta nobilitas omnium locorum, quos quis attigerit? tanta rerum singularum, populorumque claritas tenet.* Iterum: *Ab altero ejus latere ad Padum amnem Italiæ ditissimum, omnia nobilibus oppidis nitent.* Solin. *Clarum decus veterum oppidorum.* Thucydides l. VI. de Sicilia parte Italiæ: ὄχλοις τε γὰρ ξυμμίκτοις πολυανδροῦσιν αἱ πόλεις. *Sunt illic urbes promiscuis hominibus frequentes.* Cerda.

156 *Manu*] *Manus* pro opere hominum, quod manu fit. Turneb, XXX. 5. *Taubmann.*

157 *Fluminaque antiquos subter labentia muros*] Quod laudat etiam Cicero in libris de repub. *Servius.*

Flumina] Plinius III. 5. Sunt, qui aquædnctus hic innui putent. de quibus *Lipsius* in Admirandis III. 11. *Taubmann.*

158 *An mare quod supra*] Id est, Adriaticum. *Servius.*

Quodque alluit infra] Id est, Tyrrhenum. *Idem.*

An mare, quod supra, memorem, quodque adluit infra] De utroque mari Mela II. 4. *Inter Adriaticum et Thuscum, sive (ut aliter appellantur) inter superum mare et inferum excurrit.* Ad hunc locum videndus Vossius. Justinus XX. 1. *Namque Thuscorum populi, qui oram inferi maris possident, a Lydia venerunt: et Venetos, quos incolas superi maris videmus.* Emmeness.

159 *Anne lacus tantos*] Plin. *tot lacus, tot amnium, fontiumque ubertas totam eam perfundens.* et c. 19. *lacus incliti sunt.* et c. 16. *lacus immensos.* Solinus: *tot amnes, lacus tantos.* Strab. l. VI. καὶ προστίθει τὸ μέγεθος καὶ πλῆθος ποταμῶν τε καὶ λιμνῶν. *Adde fluviorum et lacuum magnitudinem et copiam.* Ælian. illi dat ἔνυδρον: *aquarum irrigationem.* Iterum ποταμοῖς ἐστὶ κατάῤῥυτος: *irrigua est intercurrentibus fluminibus.* Cerda.

Te Lari maxime] *Larius* est lacus vicinus Alpibus; qui juxta Catonem

in Originibus, per sexaginta extenditur millia. Et Larius Lari vocativus facit, sicut Iulius Iuli, Mercurius Mercuri. *Servius.*

Te Lari maxime, teque Fluctibus, &c.] Uterque lacus est in Italia. *Larius* Umbros tangit, et pervenit usque Commum. *Benacus* est, ex quo Mincius flumen oritur, quod præterfluit Mantuam. *Probus.*

Te Lari] *Larius* lacus in Gallia est Cisalpina, non amplius centum viginti stadiorum circuitu patens. Benacus in eadem regione, mille et ducentorum. *Philarg.*

Lari max.] *Larius* lacus Galliæ Cisalpinæ, prope Comum oppidum: quem hic, ob longitudinem, appellari censent *maximum.* hodie *Lago de Como.* Cum autem *Benacus* pæne duabus partibus major sit Lario, Fabricius, ex sententia eruditorum, legendum pertendit: *te Lari, Maxime, teque Fluct.* ut tres distincti sint Lacus Italiæ, quos et Strabo l. v. describit, *Larius,* qui patet circiter stadia ccc. *Verbanus,* qui cccc. *Benacus,* qui ccccc. Quorum duo priores Insubriæ, posteriores Venetiæ. *Verbanum* itaque idiomate peregrino *Maximum* appellavit: nam is a Gallis olim *Lacus major* dictus; atque adeo hodie *Lac major* illis nominatur. *Taubmann.*

160 *Fluctibus et fremitu adsurgens Benace marino*] *Benacus* lacus est Italiæ, qui magnitudine sui, tempestates imitatur marinas. *Servius.*

Adsurgens] Vocativus est casus, ut sit, *Memorem et te, o Benace adsurgens,* id est, tumescens fremitu marino. Aut certe Antiptosis sit, pro adsurgentem. *Idem.*

Adsurgens] *Adsurgens* hic, pro assurgentem. Pendet enim ex verbo *memorem.* Philarg.

Benace] Plin. IX. 22. *Lacus est Italiæ Benacus in Veronensi agro Mincium amnem transmittens.* Eadem in III. 19. Lege amœnissimos versus Bembi in Benaco, præferendi judicio Scaligeri multis veteribus. *Cerda.*

161 *An memorem portus? Lucrinoque addita claustra*] In Bajano sinu Campaniæ, contra Puteolanam civitatem lacus sunt duo, Avernus, et Lucrinus; qui olim propter copiam piscium vectigalia magna præstabant. Sed cum maris impetus plerunque irrumpens exinde pisces excluderet, et redemptores gravia damna paterentur, supplicaverunt senatui: et profectus C. Iulius Cæsar, ductis brachiis exclusit partem maris, quæ antea infesta esse consueverat, reliquitque breve spatium per Avernum, qua et piscium posset copia intrare, et fluctus non essent molesti. quod opus, Iulium dictum est. sed hic ambitiose undam Iuliam appellavit frementem contra moles a Iulio oppositas. *Servius.*

Lucrinoque addita claustra] Hunc Lucrinum lacum et Bajas ipsas, totumque littoris illius tractum, ab amœnitate et nitore, molles dici a Poëtis constat; quia in eo secessu mollescere et effæminari delitiis et otio, capti homines illecebris loci, viderentur. Unde Martial. Epig. l. x. *In Lucrina lota Salmacis vena.* Non quod Salmacis, quæ est in Caria, Lucrino adjungi possit; sed hyperbolice Martialis ad exprimendas lacus veneres, et amœnitates, dixit, in eo Salmacin ipsam lavisse, qui fons ab evirandi effæminandique facultate, abunde ab Ovidio celebratus est. *Germanus.*

Lucrinoque addita claustra] Augustus portum Julium apud Bajas, immisso in Lucrinum et Avernum lacum mari, effecit. Plin. XXXV. 15. Suet. tamen et Plutarch. videntur sentire, illa claustra a Julio Cæsare facta esse. *Meyen.*

Claustra] Cæsar partem maris in sinu Bajano mænibus cinxit, ad delicias, quod spatium fuit ostrearum vivarium pulcherrimum, appellatumque Lucrinum, quod etiam lucrum afferet.

bat. In eodem spatio erat et Lucrinus portus, ante Avernum. nunc Virgilius, ut Julium Cæsarem laudet, ambitiose appellat undam Juliam. *Sabinus.*

162 *Indignatum magnis stridoribus æquor*] A solita exclusum licentia, et indignationem suam, stridoribus prodens. *Servius.*

Indignatum] Agrippa in secundo vitæ suæ dicit, excogitasse se, ut ex Lucrino lacu portum faceret. Verum hujus gloria Augusto cessit. *Indignatum* autem ideo dixit, quia quo tempore in Lucrinum lacum mare immissum est, deinde terra effossa, contigit inter ipsum Lucrinum et Avernum, ut duo lacus miscerentur. et tanta tempestas orta est, ut prodigii loco habita sit, ac nuntiatum sit simulacrum Averni sudasse. Propter quod Pontifices ibi piacularia sacra fecerunt. *Philarg.*

Indignatum] Quia clausum erat mare, ac si esset in vinculis. *Sabinus.*

163 *Julia*] *Julia unda*, significat portum Puteolanum. *Philarg.*

Julia unda] Per prolepsim positum est, ut loca prius laudet, quam illum, qui ea fecit, ut laudes inveniant auctorem, id est, Augustum. *Idem.*

164 *Tyrrhenusque fretis inmittitur æstus Avernis*] *Æstus Averni* ideo dixit; quoniam per Lucrinum lacum mare Tyrrhenum influxit in Avernum. *Idem.*

Inmittitur] Phrasi Virgilii Oros. I. 2. *Apud Gades insulas Herculis columnæ visuntur, et Tyrrheni maris faucibus Oceani æstus immittitur.* Rem eandem per verbum *committo*, effert Plin. epist. l. x. *Cerda.*

165 *Argenti rivos*] Non deest mentio hujus fæcunditatis. Plinius: *Metallis auri, argenti, æris, ferri, quamdiu libuit exerceri, nullis cessit.* Dionys. illi dat *metalla omnis generis.* Strabo, μετάλλων εὐπορίας παντοδαπῶν: *diversorum metallorum fertilitatem.* Eodem pertinent verba ista Flori de Samnitibus: *Gentem, si opulentiam quæras, aureis, et argenteis armis, discolori veste, usque ad ambitum armatam.* Et Orosii III. 22. *Samnites novum habitum, animumque sumentes, hoc est, de argentatis armis ac vestibus, paratoque animo, ni vincant, mori, bello sese offerunt.* Cum locutione affinis illa Opp. Hal. I. ἀργύρεοι ποταμοὶ, *fluvii argentei.* Putat autem Ursin. respectum a Poëta ad versus Luc. v. *Manabat venis ferventibus in loca terræ Concava conveniens argenti rivus et auri.* Cerda.

166 *Auro plurima fluxit*] Copiosior fuit, in rem pretiosiorem. *Servius.*

167 *Genus acre virum*] Qualitatem hic notat, ut Schefferus ad Phædr. I. 12. *Ut nisi nossem tuum animum, genusque, simili fuissem in metu.* De flore virorum Ennius de republ. l. v. *Moribus antiquis res stat Romana virisque.* Emmeness.

Marsos, pubemque Sabellam] Populi Italici, Stephanus ἔθνος Ἰταλικόν. De quibus Strabo l. xv. vicini Sabinis, quos Sabellos Cluverus ant. Ital. II. 8. appellat. Sed rem clarius docet Strabo l. v. a Sabinis *Sabellos* oriundos esse, eosque, Tauro duce, in Opicorum regione consedisse: εἰκὸς δὲ διὰ τοῦτο καὶ Σαβέλλους αὐτοὺς ὑποκοριστικῶς ἀπὸ τῶν γονέων προσαγορευθῆναι· Σαυνίτας δ' ἀπ' ἄλλης αἰτίας, οὓς οἱ Ἕλληνες Σαμνίτας λέγουσι. Hunc locum suspectum habet Casaub. et emendat. Bellicosi fuerunt, inde ponit pro milite fortissimo Horat. od. III. 5. Ideoque metuendi fuerunt, ut idem od. II. 20. *Et qui dissimulat metum Marsæ cohortis.* Laudat et eos Vegetius I. 28. *Neque enim degeneravit in hominibus Martius calor, nec effœtæ sunt terræ, quæ Lacedæmonios, quæ Athenienses, quæ Marsos, quæ Samnites, quæ Pelignos, quæ ipsos progenuere Romanos.* Quare Appian. de bell. civ. l. I. ἔστι γὰρ τὸ ἔθνος πολεμικώτατον· καί φασι κατ' αὐτοῦ θρίαμβον ἐπὶ τῷδε τῷ πταίσματι γενέσθαι μόνῳ λεγόμενον πρότερον, οὔτε μετὰ Μάρσων, οὔτε ἄνευ Μάρσων γενέσ-

θαι θρίαμβον. Bellum intulerunt Pop. Rom. quod Florus *sociale* nominat III. 18. Idque an non funestius fuerit ipsi terræ Italiæ, quam civilia, dubitat Plin. II. 83. E Circæ filio oriundi feruntur, ut Gellius XVI. 11. ubi etiam serpentium virulentorum domitores, et incantationibus, herbarumque succis facere medelarum miracula prædicantur, quod confirmat non uno loco Venusinus epod. V. 76. *Marsæ voces.* et epod. XVII. 29. *Marsa nænia.* Vetus gloss. Marsos interpretatur: Ἀσπιδοθήρας, Ὀφιοδιώκτας. Ovid. de Medic. faciei, vs. 38. *Nec mediæ Marsis finduntur cantibus angues.* Utrumque etiam populum conjungit Juven. III. 169. *Translatus subito ad Marsos, mensamque Sabellam.* Emmeness.

Pubemque Sabellam] Hi sunt autem, qui olim Ausones dicebantur. de Sabellis Varro in Agemodo sic ait: *Terra culturæ causa attributa olim particulatim hominibus, ut Etruria Tuscis, Samnium Sabellis.* Philarg.

168 *Assuetumque malo Ligurem*] Id est, labori. *Servius.*

Malo] Pro labore. Sic etiam e contrario laborem pro malo solet ponere. ut ibi: *Ille dies primus lethi primusque laborum Causa fuit.* Idem.

Assuetumque malo Ligurem] Sunt, qui κακοήθη interpretentur, *malo*, non labori, ut Servius, sed κακίᾳ, exponentes, ducti conjectura loci in Æn. sequentis: *Vane Ligur, frustraque animis elate superbis, Nequicquam patrias tentasti lubricus artes.* Virgilium, vel privata offensa, vel vitio gentis Liguribus non satis propitium fuisse verisimile est. *Malum* tamen est frequenter in eadem significatione, qua κακὸν et κακότης, quorum utrumque sæpe laborem et ærumnam significat, ut apud Homerum: ἀναπνεῖν κακότητος, a malis et calamitate respirare. Nec satis videretur cavillus in Ligures hoc loco laudibus Italiæ institutis convenire. *Germanus.*

Ligurem] Stephanus: Λίγυρες ἔθνος προσεχὲς τοῖς Τυῤῥηνοῖς· Ἀρτεμίδωρος ἐν ἐπιτομῇ τῶν ἔνδεκα, ἀπὸ Λιγύρου ποταμοῦ. Liguriam, hodie *Genova*, Strabo ponit ἐν αὐτοῖς Ἀπεννίνοις ὄρεσι. Sub Alpibus Mela II. 4. *Ligures* (quos paullo ante vocavit, *quotidianos, et quasi domesticos hostes*) *imis Alpium jugis adhærentes inter Varum et Macram flumen, &c.* Emmeness.

Volscosque verutos] Italiæ populi sunt. *Servius.*

Volscosque verutos] Quod verutis pugnent. *Philarg.*

Volscosque verutos] Non est hic mentio, cave fallaris, *veruti*: sed *veru*, inde adjectivum, *verutus, a, um.* Itaque Volscos appellat verutos a veru, ut ab scuto posset scutatos, a clypeo clypeatos, ait Erythræus: aut ut a veste vestitos, a cinctu cinctutos, ait Turnebus. Nam si a *veruto* ductum esset nomen, *verutatos* diceret, Si quis malit, possit sequi Lipsium Pol. dial. IV. 4. qui non *verutos* legit, sed *veruto*. ut dicat Poëta, Ligures assuetos labori bellorum. In qua lectione, jam *veruti* erit mentio, non *veru*. Scias hic, quæ posteriore ævo Romanis dicta sunt *veruta*, priore nominata *verricula*. Auctor Veget. II. 15. *Cerda.*

169 *Hæc Decios*] Creavit. Decii autem duo fuerunt, quorum unus bello Italico; alter Gallico se devovere pro repub. *Servius.*

Hæc Decios, Marios, &c.] Decios se pro salute patriæ devovisse, notius est, quam ut multis hoc probetur. Videri potest de patre Liv. VIII. 9. et Flor. I. 14. De filio, Liv. X. 16. et Flor. I. 17. Unde Juv. VIII. 254. *Plebejæ Deciorum animæ, plebeja fuerunt Nomina: pro totis legionibus hi tamen et pro Omnibus auxiliis, atque omni plebe Latina Sufficiunt Diis infernis, Terræque parenti. Pluris enim Decii, quam qui servantur ab illis.* Mures dicti sunt, ut Servius Æn. VI. 824. De Mariorum, et reliquorum virtute, Plut. in vit. illust. virorum. *Emmeness.*

Marios] Marii multi fuerunt; quorum unus septies fuit consul. *Serv.*

Camillos] Abusive. Nam unus fuit, qui a Gallis sublata signa revocavit. *Idem.*

Camillos] Ut Macrobius sat. III. 8. *Romani quoque pueros et puellas nobiles et investes Camillos et Camillas appellant, flaminicarum et flaminum præministros.* Hanc familiam præcipue nobilitavit M. Furius Camillus dictator, fatalis dux ad excidium Vejorum, ut Livius v. 19. De quo Æn. VI. 825. *Aspice Torquatum, et referentem signa Camillum.* Emmeness.

170 *Scipiadas*] Pro Scipionibus dixit: sicut *Amazonidum* pro *Amazonum* alibi posuit. Sciplones autem duo fuerunt, avus et nepos: quorum unus, leges victæ Carthagini imposuit; alter eandem diruit. Hæc autem omnia plenius in sexto Æn. memoravimus. *Servius.*

Duros] Id est, usu bellorum induratos, diuturniori militia exercitatos. Sic Lucan. II. 629. *Nec licet ad duros Martem convertere Iberos.* et Ovid. trist. v. 5. 451. *Si nihil infesti durus vidisset Ulysses, Penelope felix, sed sine laude, foret.* Emmeness.

172 *Inbellem avertis*] Id est, avertendo reddis imbellem. *Servius.*

Avertis] *Avertis* et imbellem facis, aut *imbellem* victum jam, nec bellantem. Cæterum quid grande si imbellem avertis? *Philarg.*

Inbellem avertis Romanis arcibus Indum] Ad id respexit, ajunt nonnulli, quod Indi cum Antonio et Cleopatra veniebant, ut in Æneid. VIII. habetur, *Omnis eo terrore Ægyptus, et Indi, Omnis Arabs, omnes verterunt terga Sabæi:* dicunt itaque avertis et imbellem facis, aut imbellem victum jam nec bellantem. Cæterum quid grande, si avertis imbellem? Quare id potius tactum crediderim, quod Suetonius in vita Augusti memorat, eum virtutis, moderationisque fama, Indos etiam ac Scythas, auditu modo cognitos, pellexisse ad amicitiam suam, populique Romani, ultro per legatos petendam. Imbellem igitur absque ullo belli negotio. Quamvis non sum nescius Lucanum dicere eos cæli clementia molliores fieri. *Pierius.*

Inbellem avertis Romanis arcibus Indum] Secundum sententiam Turnebi sumitur hic *Indus* in latiori significatione pro Partho, quem vide XXI. 9. citantem Ge. IV. 293. *Usque coloratis amnis devexus ab Indis:* id est, populis Æthiopicis. si placet Pierii interpretatio, eo referre licet illud Horatianum in Carm. sæculari, *jam Scythæ responsa petunt, superbi nuper, et Indi.* Quid Nostrates? omnia transmarina unis Indis accepta ferunt. Nescio quid Sabinus somniet de *artibus.* Em.

Romanis arcibus] Romanis urbibus, a Romano imperio. *Servius.*

173 *Salve*] Notat Pontanus solemnem esse Poëtarum locum, ut post laudes alicujus rei erumpant in salutationem ejusdem. Firmat loco Virgilii, Catulli, Ovidii. Idem adnotat Germ. et advocat Callimachum. Omitto, et addo ex me Auctorem Hymni in Phœbum, quem sic concludit: Καὶ σὺ μὲν οὕτω χαῖρε διὸς καὶ λητοῦς υἱέ: *Et tu quidem sic salve Jovis ac Latonæ fili.* Hymnum Veneris ita: Χαῖρε θεὰ κύπροιο ἐϋκτιμένης μεδέουσα: *Salve Dea Cyprum bene habitatam regnans.* In illis Hymnis magna est seges. Papin. silv. II. de Surrentino Pollii: *Sis felix tellus dominis ambobus in annos Mygdonii, Pyliique senis.* Ausonius εἰδ. IX. *Salve magna parens frugumque virumque Mosella.* ex hoc more etiam Fracast. in exitu Syphillidis: *Salve magna Deum manibus sata semine sacro, Pulcra comis, spectata novis virtutibus arbos: Spes hominum, externi decus, et nova gloria mundi.* Et Sil. l. I. extremo post victoriam Scip. *Salve invicte parens non concessure Quirino Laudibus, ac meritis non concessure Camillo.* Cerda.

Magna parens frugum, Magna virum] Est hoc magnum elogium Italiæ, a

quo non abeunt ista Plinii: *Omnium terrarum alumna, eadem et parens.* Iterum: *Numine Deum electa.* Et l. extremo: *in toto orbe, et quacunque cœli convexitas vergit, pulcerrima est omnium, rebusque merito principatum naturæ obtinens, Italia, rectrix, parensque mundi altera.* Et xv. 2. loquens de oleo: *Principatum in hoc quoque bono obtinuit Italia toto orbe.* Et in procemio l. xiv. loquens de vitibus: *quarum principatus in tantum peculiaris Italiæ est, ut vel hoc uno omnia gentium vicisse, quamquam odorifera, possit videri bona.* Dio Chrysost. orat. xi. Ἰταλίαν εὐδαιμονεστάτην χώραν τῆς Εὐρώπης: *Italiam totius Europæ beatissimam.* Majori elogio Dionys. οὐ μόνον τῆς Εὐρώπης, ἀλλὰ καὶ τῆς ἄλλης ἁπάσης, κρατίστη, κατ' ἐμὴν δόξαν, ἐστὶν Ἰταλία: *Non Europæ solum, sed etiam totius orbis, meo judicio, princeps est Italia.* Iterum: ταύτην κρατίστην εἶναι λογίζομαι: *puto hanc esse principem.* Majore adhuc Artemidorus ii. 73. ὥσπερ γὰρ ὁ οὐρανὸς θεῶν ἐστὶν οἶκος, οὕτω καὶ ἡ Ἰταλία βασιλέων: *Quemadmodum cœlum est Deorum domus, ita Italia regum.* A Philone in Flaccum: εὐδαίμονος Ἰταλίας: *beatæ Italiæ.* Ab Sophoc. in Antig. κλυτὰν Ἰταλίαν: *Italiam inclytam.* Ab Strabone quoque ἀρίστη vocatur, *præstantissima.* a Propert. *pulcerrima sedes.* Sidon. *cui non dedit optima quondam Rerum opifex natura parem.* Idem.

174 *Magna virum*] Virorum fortium. Jam concludit, laudans a viris, a fertilitate rerum, a Saturni imperio. *Servius.*

Tibi res antiquæ laudis et artis Ingredior] In tuam utilitatem scribo carmen Georgicon. Antiquæ autem laudis, vel magnæ, vel quod apud majores in ingenti honore fuerat agricultura. *Idem.*

Saturnia tellus] Inter alia, quæ Janus in Saturni, hospitio excepti, reverentiam instituit, hæc excogitavit honorum ejus augmenta, *Ac primo terram ditioni suæ parentem Saturniam nominavit.* vide Macrob. Saturnal. i. 7. Justinum xliii. 1. *Emmeness.*

175 *Sanctos ausus recludere fontis*] Lucret. l. i. *Juvat integros accedere fontes Atque haurire.* Ursinus.

176 *Ascræum carmen*] Hesiodicum. Nam Hesiodus de civitate Ascra fuit. *Servius.*

Ascræumque cano Romana per oppida carmen] Id est, Latine cano, quod Hesiodus Græce. Ascram ab Oto et Ephialto conditam fabulatur Pausan. in Bœotic. l. ix. de patria Hesiodi idem eodem libro narrat versus hos, inscriptionis loco, in sepulchro inventos: Ἄσκρη μὲν πατρὶς πολυλήϊος, ἀλλὰ θανόντος Ὀστέα πληξίππων γῆ Μινυῶν κατέχει Ἡσιόδου, &c. Inter eos, quos in consilio habere possis, si qua desideres de cultura agrorum, Varro i. 1. numerat Hesiodum Ascræum, qui versibus præcepta de colendis agris memoriæ prodidit. Propert. ii. 33. *Tu canis Ascræi veteris præcepta Poëtæ, Quo seges in campo, quo viret uva jugo.* Emmeneus.

177 *Nunc locus arvorum ingeniis*] Naturis. Tempus est, inquit, naturam agrorum describere. Et multi hoc loco culpant Virgilium, quod in unum coëgit quatuor librorum propositiones; nam et de arvo, et de consito, et de pascuo, et de floreo isto in loco commemorat. quod ideo non est reprehendendum; quia non ea late exequitur: sed carptim et breviter transit; quæ latius explanat in singulis. *Servius.*

Nunc locus] Redit ad institutas *Soli differentias*, hoc est, quattuor Librorum propositiones, suo usus judicio, in unum cogit; strictimque docet, quod solum *Oliveto*, quod *Vineto*, quod *Pascuo*, et quod *Frumento* sit idoneum: et quomodo terræ cujusque ingenium, natura, et qualitas deprehendi queant. De quibus Cato c. 6. Varro i. 9. Plin. xvii. 5. et 8. Columel. ii. 2. *Taubm.*

Ingeniis] i. naturæ, ut Non. expo-

nit. Ita *Ingenium* eleganter *naturæ* et *arti* opposuit Nævius: *ita astutum in frondiferos lucos, ubi Ingenio arbusta innata sunt, non obsita*: ex emendatione Scaligeri in Conject. et Turnebi explanatione Advers. XXIX. 28. Sallustius Hist. l. III. *Pugna ingenio loci prohibebatur*. Tacitus Annal. V. *Locorum ingenio se tutabatur*. Ita Plinius: *palma ejus est ingenii, ut nunquam ponderibus cedat*. Idem.

Quæ robora cuique] Quæ sit possibilitas uniuscujusque. *Servius*.

178 *Quis color*] Quæ species. quomodo dicimus, quo colore ille recitavit: licet breviter etiam sit dicturus de colore terrarum. *Idem*.

179 *Difficiles primum*] Pene steriles, parum creantes. *Idem*.

Difficiles] Pene steriles. Martial. X. 47. *Ingratum agrum* appellat. Euripides: ἄχαριν χθόνα. *Taubmann*.

Maligni] Infœcundi, quia *malignum* veteres *infœcundum* dicebant, ut ipse alibi: *Quale per incertam lunam, sub luce maligna, Est iter in silvis*. Idem.

180 *Tenuis ubi argilla*] Sine humore, quia est et pinguis. *Idem*.

Argilla] *Creta, qua utuntur figuli, quamque nonnulli argillam vocant, &c.* Columell. III. 11. quæ terra apud Polluc. X. 48. γῆ κεραμίτης, γαῖα κεραμιτική. quæ vineis propagandis conducere dicitur. Plin. XVII. 4. *Emm*.

Calculus] Lapis brevis terræ admixtus. Dictus *calculus*, quod sine molestia sui brevitate calcetur. *Servius*.

181 *Vivacis olivæ*] Diu viventis. hinc supra, *Tarde crescentis olivæ*. Res enim diu duratura, tarde crescat, necesse est. *Idem*.

182 *Tractu*] Plaga, regione. *Idem*.

184 *Pinguis*] Plautus in Aulularia: *Tibi dabitur pinguior tibicina, quæ propter assidua sacrificia pinguescit*. Phil.

Dulcique uligine læta] Uligo proprie est naturalis humor terræ, ex ea nunquam recedens. bene autem *Dulci* addidit, ad discretionem *amaræ*. Uliginosus ergo ager est, semper humidus. nam *uvidus* dicitur, qui aliquando siccatur. *Servius*.

Uligine] *Uligo* dicitur naturalis terræ humor. *Philarg*.

185 *Fertilis ubere*] Græci οὖθαρ ἀρούρης, et ἦπαρ. Poëta ipse, *ubere glebæ*. Lucret. l. I. *fecundas glebas*. Cerda.

186 *Qualem, &c.*] Videtur Italiam designare. Nam Cato (auctore Plinio XVII. 5.) *agrum optimum judicat, ad radicem montium, planitie in meridiem excurrente, qui est totius Italiæ situs*. Taubmann.

Convalle] Positum hic pro loco, qui undique cinctus est collibus: illa siquidem loca sunt fertiliora propter humores, qui defluunt ex montibus in vallium planitiem. Vide Plinium XVII. 5. *Cerutus*.

187 *Dispicere*] Dispicimus non tantum mente, ut Valla V. 56. cum recta rationis trutina rem ponderamus et animo diligenti perpendimus: sed etiam cum corporis lumina omnes in oras circumferimus. sic apud Cic. de fin. II. 30. de Epaminonda, *qui cum se gravi vulnere exanimari videret, ut primum dispexit, quæsivit*. Sunt qui legunt, *despicere*, quod male hoc in loco καταφρονεῖν Meyen interpretatur: rectius, si hæc lectio probetur, Non. Marcell. c. 4. pro *desuper adspicere*. Emmen.

Huc] Illuc. *Servius*.

188 *Felicem limum*] Terrarum scilicet, id est, fertilem. nam fluminum limus est noxius. *Idem*.

Quique editus austro] Hoc loco de uno eodemque agro intelligit, qui sit pinguis, et lætus dulci uligine, herbosus et ubere fertilis in austrum expositus: quod patet apud Plinium loco citato. *Cerutus*.

189 *Et filicem curvis invisam*] Radices enim ejus sibi invicem sunt nexæ, et avulsæ renascuntur. *Servius*.

Et filicem curvis invisam] Dubium non est, quin filix sit planta invisa agrorum cultoribus, quod latissime proserpat, et difficillime extirpetur. ob radices longiores. Superatur ta-

men frequenti extirpatione, &c. ut Columell. II. 2. Ἀλληγορικῶς utitur hac voce Pers. I. 41. *Non tamen illa filix ullo mansuescit aratro.* De mascula et femina filice agit Theophrast. histor. Plant. IX. 20. *Silicem* tamen negotium facessere aratoribus, nemo est, qui negare sustineat. Sic legit etiam meus Buchelianus. Plerique tamen alii *filicem*. Emmeness.

190 *Olim*] Quovis tempore. *Serv.*

192 *Laticis*] i. vini, ita Ge. III. *latices Lenæos* dixit: Lucret. lib. VI. *vitigenos latices*. Taubmann,

Pateris et auro] Pateris aureis. ἓν διὰ δύο, ut, *Molemque et montes*. Serv.

Qualem pateris libamus et auro] Quale est illud vinum, quod Diis libamus, et e pateris aureis in aras et mensas effundimus, eum hac verborum formula: *Macte hoc vino inferior esto*. Dissolvit orationem *pateris et auro*, pro aureis pateris, ut melius sequenti voci respondeat. *Nicol. Abramus.*

193 *Inflavit ebur*] Tibiarum quibus in aurem sacerdotis cani solebat. *Servius.*

Pinguis Tyrrhenus] Victimarum scilicet carnibus. *Idem.*

Inflavit cum pinguis ebur Tyrrhenus ad aras] Tibicen ex Etruria sive Thuscia et Tyrrhenia evocatus. Tibicines, ut auctor est Livius l. IX. sacrificiis præcinebant. Ovid. Fast. VI. *Cantabat fanis, cantabat tibia lucis: Cantabat mœstis tibia funeribus.* Item; *Quæritur in scena cava tibia, quæritur aris, &c.* Quo in genere lepidum illud Plutarch. Symposiacorum II. Τοῦ Ἰσμηνίου τῇ θυσίᾳ προσαυλοῦντος, ὡς οὐκ ἐκαλλιέρει, παρελόμενος τοὺς αὐλοὺς ὁ μισθωσάμενος, ηὔλησε γελοίως· αἰτιωμένων δὲ τῶν παρόντων. Ἔστιν (ἔφη) τὸ κεχαρισμένως αὐλεῖν θεόθεν. ὁδ' Ἰσμηνίας γελάσας, ἀλλ' ἐμοῦ μὲν αὐλοῦντος ἡδόμενοι διέτριβον οἱ θεοί· σοῦ δ' ἀπαλλαγῆναι σπεύδοντες ἐδέξαντο τὴν θυσίαν. *Ismenia sacrificio cuidam accinente, cum non litaret, accepta tibia is qui eum conduxerat, ridicule canebat, accusantibusque qui aderant, Divinitus, inquit, contigit venuste canere. Hic Ismenias ridens, A me, inquit, canente dii voluptate capti, moras trahebant: te vero insulse canente, liberari volentes, sacra susceperunt.* Tyrrheni frequenter sacris et Indis adhibiti, unde Aruspices et Histriones. Iidem pingues, i. e. vel pingue quiddam sonantes et peregrinum, ut de Cordubensibus Poëtis loquitur Orator pro Archia Poëta. Vel quod genæ tibia canentibus intumescant, et quasi pinguefiant. Vel quod frequenter in æde Jovis victimarum carnibus olim vescerentur, et illis lautitiis pinguescerent. Livius l. IX. Vel denique pingues vitio gentis. Catullus in epigr. in Egnatium: *Aut parcus Umber, aut obesus Etruscus.* Eburneæ vero tibiæ fuerunt. Propert. Elegia IV. cujus initium: *Sacra facit vates. Spargite me lymphis, carmenque recentibus aris, Tibia Mygdoniis libet eburna cadis.* Nic. Abramus.

Inflavit cum pinguis ebur Tyrrhenus ad aras] Has tibias *Lydias*, sive *turetarias* appellat Solinus cap. V. ad hunc locum Salmas. p. 124. ubi multa περὶ τοῦ μέλεος σπονδαυλίου, quod canebatur in libationibus. Plin. XVI. 36. *sacrificas tibias Thuscorum ex buxo factas* testatur. Ex Virgil. tamen discimus ex ebore etiam factas. de ἐλεφαντίνοις αὐλοῖς Græci crebro. Cecinit autem iis tibicen, ne quid aliud ab eo exaudiretur, teste Plin. XXVIII. 2. *pinguis* pro obeso Turn. XIV. 8. *Emmeness.*

194 *Lancibus pandis*] Aut patulis, aut extorum pondere incurvatis. *Servius.*

Pandis] Cavis, ut ipse alibi: *et pandas ratibus posuere carinas.* Philarg.

Lancibus et pandis] Et in discis patulis aut extorum pondere curvatis, exta paullo ante assata et adhuc fumantia aræ imponimus, *Sacerdotum*, inquit Servius, *usus est verbo. Reddere enim dicebantur exta, cum probata et elixa aræ superponebantur.* Lanx

autem fuit vas sacrificiis destinatum. Ausonius in Monosyllabis: *Thuribula, et patera, quæ tertia vasa Deum? lanx.* Nic. Abramus.

Fumantia reddimus exta] Sacerdotum usus est verbo. Reddi enim dicebantur exta, cum probata et elixa, aræ superponebantur. *Servius.*

Reddimus] Quia debentur. *Philargyrius.*

Reddimus] Sacerdotum verbo usus est. REDDI enim dicebantur *exta*, quum probata et elixa aræ superponebantur, auctore Servio. Tacitus H. IV. 53. *Lustrata bove, et super cespitem redditis extis.* Statius Theb. IV. *adhuc spirantia reddit exta:* ubi vetus Interpres, REDDIT, interpretatur, *imponit aris.* Ita *Reddere Tura*, Tibull. dixit: *Reddere Liba, Vina*, Ovidius. Ejusdem familiæ est et *Dare*. Ovid. de Pont. IV. 9. *Turaque mente magis plena, quam lance dedissem.* Cato de R. R. c. 134. *Jovi vinum dato*, et ita passim. Vide Formul. Briss. l. I. *Taubmann.*

195 *Sin armenta*] Quare de armentis dicit, cum tertius liber ad pecudes divisus sit? Solvitur sic: Varietatis causa, ne uniformis narratio esset. Nunc et *armenta:* non de his dicit, sed de terra, quæ utilis sit armentis. Ante enim posuit quæ nutriant, et hic quæ nutrit. *Philarg.*

196 *Aut fœtus ovium, aut urentis culta capellas*] In antiquis omnibus codicibus manuscriptis, quos versare contigerit, scriptum observavi, *Aut ovium fetus, aut urentis culta capellas*, ubi *tus*, prout in veteribus Poëtis sæpe accidit, eliditur. De caprarum vero halitu arboribus exitiali plerique multa dixere: hac porro de caussa apud veteres, si quis locaret prædium, excipiebatur, ut Varro ait, *ne Colonus teneret capras.* Pierius.

Aut urentis culta capellas] Omne enim quod momorderint, urunt. unde est, *Et admorso signata in stirpe cicatrix.* Servius.

Urentis culta capellas] Capræ exitiales sunt sationi, frugibus, fructibus. In prædiorum rusticorum locatione excipi solitum fuit, *Colonus in agro surculario capra natum ne pascat.* quæ verba sunt in Varrone r. r. I. 2. Iterum II. 3. *In lege locationis fundi excipi solet, ne colonus capra natum in fundo pascat.* Addit rationem: *harum enim dentes inimici sationis.* Servius hic: *omne enim, quod momorderint, urunt. Unde est admorso signata in stirpe cicatrix.* Scholiast. Aristophanes loquens de capro in celebritate Ascoliasini: δοκεῖ γὰρ ἐχθρὸν εἶναι ἀμπέλῳ τὸ ζῶον: *Videtur esse hoc animal viti inimicum.* De eadem re Tzetzes comment. in Hesiod. ὁ δὲ τράγος τοὺς θαλοὺς τῆς ἀμπέλου τρώγων, λυμαίνεται ταύτην: *hircus pampinos vitium rodens, illis plurimum nocet.* Plin. VIII. 50. *Morsus earum* (caprarum) *arbori exitialis. Olivam lambendo quoque sterilem faciunt, eaque ex caussa Minervæ non immolantur.* et XVII. 24. *Oleam quidem etiam si lambat capra, sterilescere auctor est Varro.* Sed XV. 8. assignat tempus: *Oleam, si lambendo capra lingua contigerit, depaveritque primo germinatu, sterilescere auctor est Varro.* Hæc fortasse caussa, cur Athenis capræ in arcem non agerentur, nisi semel ad necessarium sacrificium, ne oleam ibi primum editam violarent, ita notat Dalecampius. Redeo ad Plinium, qui XII. 17. *capros maleficum frondibus animal.* Demum Servius infra hoc lib. *Caper, qui obest vitibus.* Iterum: *Cum capra nunquam sine febre sit.* Quod extremum testimonium habet rationem dictorum hactenus. Ideo enim exitialis, urens, malefica, noxia, quia semper ægra. Vide etiam quæ infra adducam ex Varrone ad illud: *Non aliam ob culpam Baccho caper omnibus aris Cæditur.* Ad Virgilii verba alludit Symmachus I. 25. *An vereris æmuli venena lectoris, ne libellus tuus admorsu duri dentis uratur?* Cerda.

197 *Saturi Tarenti*] Aut fœcundi, aut quod est juxta oppidum Saturum. Tarentum enim et Saturum vicinæ sunt Calabriæ civitates. Horatius, *Me Saturiano vectari rura caballo.* Servius.

Et Saturi petito longinqua Tarenti] Tarentum oppidum in Italia, quod condiderunt Parthenidæ, hoc est, exules Lacedæmoniorum, duce Phalanto. In finibus autem Tarentinorum est locus, quem Saturium vocant: unde etiam in Æn. VII. mentionem facit paludis Saturæ. *Probus.*

Saturi] Aut, fœcundi: aut, quod est juxta oppidum *Saturum.* Nam *Tarentum* et *Saturum* vicinæ sunt sibi Calabriæ civitates. Ita Æn. VII. 801. *Qua Saturæ jacet atra palus.* Taubmann.

Longinqua Tarenti] Agrum Tarenti longinquum. *Idem.*

198 *Amisit Mantua*] Quando scil. Augustus, devicto Bruto, cujus partes secuti erant, agros Mantuanos cum agris Cremonensium militibus distribuit. De quo Appianus l. v. ita Ecl. IX. *Mantua væ miseræ nimium vicina Cremonæ!* Idem.

199 *Pascentem niveos herboso flumine cycnos*] Expressit epithetum Homericum, qui ποταμὸν λεχεποίην dixit. De cycnis autem Aristoteles περὶ ζώων ἱστορίας hæc scribit: καὶ οἱ κύκνοι εἰσὶ τῶν στεγανοπόδων, καὶ βιοτεύουσι δὲ περὶ λίμνας καὶ ἕλη. *Ursinus.*

200 *Liquidi fontes*] Puri, sine pestilentia. *Servius.*

201 *Et quantum longis*] Ut in Æneide diximus; hoc dicit Varro fuisse in Rosulano agro, postquam Velinus siccatus est lacus: ubi longam perticam magnitudo superabat herbarum. *Idem.*

Et quantum longis, &c.] Quod hic scribit Poëta pene prodigiosum est. paria Varr. r. r. I. 7. *Cæsar Vopiscus Ædilitius, causam cum ageret apud Censores, Campos Roseæ, Italiæ dixit esse sumen, in quibus relicta pertica postridie non appareret propter herbam.* Eadem Plin. scribit v. 4. *Cerda.*

Longis diebus] *Æstivos* designat, ut Censorinus. De diebus longis in Italia Plin. II. 75. Noster hoc ab Homero, qui ἤματα μακρά. Æstivorum dierum horæ fuere longiores, ut nocturnæ breviores, et vice versa, ubi hiems. Sed hæc alibi. *Emmen.*

Carpent] Nil tritius hoc verbo in re rustica ad exprimendum pastum animalium. Virg. Ge. III. *carpentem herbas.* Calp. ecl. v. *decerpere gramina campo.* Nemes. I. *decerpant, gramina tauri.* Notat vero Germ. sententiam horum duorum versuum similitudinem habere cum illo Hesiod. Theog. de hepate Promethei, quod interdiu devoratum ab ave, tamen: ἀέξετο ἶσον ἁπάντῃ Νυκτὸς ὅσον πρόπαν ἦμαρ ἔδοι τανυσίπτερος ὄρνις. *Crescebat par ubique Noctu, quantum toto die ediderat avis, cui extentæ alæ.* Cerda.

202 *Reponet*] Id est, restituet, instaurabit, resarciet. Cic. ep. ad fam. I. 2. *Næ tibi ego quidem reponam cum veneris.* Juven. I. 1. *Semper ego auditor tantum, numquamne reponam?* id est, nihil rependam; desumpta metaphora a debitore, qui cum debitum creditori persolvit, reponere dicitur, ut Senec. ep. 82. *Emmeness.*

203 *Nigra fere*] Terra frumentis idonea est, *nigra fere,* i. Pulla, (quæ atri et rubri mistura est,) Pinguis, Putris, et Novalis. Sed omnino mihi vide Columell. II. 2. et III. 11. Plinium XVII. 5. Cato *pullam terram* vocat *tenerrimam:* Plinius etiam XVII. 5. *tenerum:* et addit, *Quicquid optari debet, in eo vocabulo* (tenerum) *inveniatur.* Taubmann.

Nigra fere] Meminit optimæ terræ Colum. II. 2. ubi affirmat *resoluta humo nihil esse melius, quod noster quoque Virgilius, cum et alias fœcundi arvi laudes retulisset, adjiciens* versum 204. *Et cui putre solum, namque hoc imitamur arando.* Emmeness.

Pinguis] Fertilis, quia regio ejus

herbosa est. Alii dicunt agrum, in quo condita est Tarentus, *Saturum* vocari. *Philarg.*

204 *Et cui putre solum*] *Et cui* dactylum esse, videtur Valerius Probus asseverare: dum *cui* ex duabus brevibus constare affirmat. Nonnunquam vero in jambum crescere. fieri etiam interdum synalœpham. *Pierius.*

Hoc imitamur arando] In Servio Petri Daniel. non occurrunt, nec in omnium editionum aliqua, hæc verba nempe, *hoc imitamur arando*, quæ tamen Servio per P. Victor. XI. 23. adscribuntur: in una tamen offendes Basiliensi, a L. Lucio edita, et simul hanc interpretationem: *hæc arando inspicimus et videre solemus.* An veteris sint Scholiast. in medio relinquo. Mentem tamen Maronis satis assecutum putamus eruditissimum Victorium: *Terram illam, ut Poëtæ verbis utar, cui putre solum, optimam esse frumentis, indicat studium nostrum subigendi glebas, et ars denique aratorum: conamur etiam terram solutam putremque reddere, et cum hoc præstiterimus, videmur nobis officio nostro functi esse, atque ubertatem frugum expectare posse. terra igitur, quæ sua vi sponteque habet, id, quod nos arte laboreque nostro illi afferimus, idonea esse percipitur.* Emmeness.

205 *Æquore*] Id est, agro, sive arvo: æquor autem pro terra accipit Servius Ge. I. 50. *At prius ignotum ferro quam scindimus æquor.* Idem.

Non Pluru] Columella: *Pinguis ac putris ager maximos quæstus præbet: et cum plurimum reddat, minimum poscit: et quod postulat, exiguo labore atque impensa conficitur, &c.* Taubmann.

206 *Decedere plaustra juvencis*] Supra: *Tardaque Eleusinæ matris volventia plaustra.* Germanus.

Plaustra juvenci] Sceffer. de re vehic. II. 9. vetustissimam consuetudinem enarrat plaustra adjunctos habuisse boves, quod ex veteri epigrammate probat: *Plaustra boves ducunt, quæ remis acta carina est.* Emmeness.

Tardis] Gravitatis pondere ex copia frumenti. *Taubmann.*

207 *Aut unde iratus*] Infœcunditate diuturna. *Servius.*

Aut unde iratus silvam devexit arator] In Mediceo codice *dejecit* legitur. *Pierius.*

Aut unde iratus silvam] Duo dicam, et de epitheto, et de præcepto. Primum illustrat Victorius in Rhet. Arist. II. Arator *iratus* dicitur, vel quia pauper irasci solet in eas res, e quibus ille paupertatem contraxit, quod fere scribit Arist. dicto loco; arator autem penuria gravatus, quod ex angusto agello modicos fructus capit, silvis irascitur: vel eo verbo Poëta expressit studium vehemens agricolæ in evertenda silva. Alterum ego ex Colum. sic scribente II. 2. *Nemorosi frutetosique tractus duplex cura est, vel exstirpandis radicitus arboribus, et removendis: vel si raræ sint, tantum succidendis, incendendisque et inarandis.* Palladio I. 6. *Si tibi ager est silvis inutilibus tectus, ita eum divide, ut loca pinguia puras reddas novales, loca sterilia silvis tecta esse patiaris: quia illa naturali ubertate respondent, hæc beneficio lætantur incendii.* Plinio XVII. 5. *Talis fere est in novalibus cæsa vetere silva, quæ consensu laudatur.* Cerda.

209 *Antiquasque domos*] Aut re vera antiquas, aut charas. Sallustius, *Tantum antiquitatis curæque majoribus pro Italica gente fuit.* Est autem ecbasis in illa descriptione. *Servius.*

Domos avium] Fatentur omnes ductum hoc ex Lucretio, qui l. I. *Frondiferasque domos avium, campoque virentes.* Sed Virgilii integrum locum reddit Manil. l. II. his versibus: *ruit ecce nemus, saltusque vetusti Procumbunt, solemque novum, nova sidera cernunt. Pellitur omne loco volucrum genus, omne ferarum, Antiquasque domos et nota cubilia linquunt.* Paria cum Virgilio Sil. l. IV. ubi de populo vastata igne: *Demisit in altum Populus assuetas ramis habitare volucres.* et l. V. loquens de

arbore nutante, eandem rem avium attingit: *Ceu Zephyrus quatit antiquos ubi flamine lucos, Fronde super tremuli vix tota cacuminis hærens Luctatur, nido pariter luctante volucris.* Hæc eo pertinent, ut ad imitationem Virgilii excisam arborem exornes, illata querimonia volucrum ibi degentium. Sed ut, et *domus* pro nido, ita Calab. l. XII. Philomelam inducit flentem ἀμφὶ δόμον κενεὸν, *circa vacuam domum*, i. e. nidum. Affine quiddam Hom. Odyss. v. nam translationem sumit a cubili. ὄρνιθες, inquit, εὐνάζοντο. Inde et Cic. Nat. II. *aves cubilia sibi nidosque construunt*. Pap. in Achill. *alta cubilia*, id est nidos. Opp. quoque Hal. I. εὐνῆς dixit pro nido. Idem sæpe in Aristotele observavi. *Cerda.*

211 *Rudis enituit*] Colum. II. 2. *Expediendi rudis agri rationem.* Theophr. caus. III. 9. dixit φυτειῶν παιδείαν: plantarum eruditionem. Ager enim eruditus dicitur: est enim nihil aliud erudiri, quam amittere ruditatem. *Cerda.*

Enituit] Poëta Vetus apud Cic. Tusc. II. *Etsi segetem sunt in deteriorem datæ Fruges, tamen ipsæ suapte natura enitent.* Taubmann.

212 *Jejuna glarea*] Sicca et sterilis terra. *Servius.*

213 *Casias roremque*] Casia, et Rosmarinus, apibus aptæ sunt herbæ. *Idem.*

Roremque ministrat] Plin. l. XIX. *Ros marinus locis putridis ac macris seritur.* Pierius.

Rorem] *Rorem* quem *marinum* vocant, dicit: et est humile virgultum, quod in exilibus agris nascitur. *Philarg.*

214 *Tophus scaber*] Lapis asperrimus. Unde et scabies dicitur ab asperitate. *Servius.*

Et tophus scaber, et nigris exesa chelydris] Ita in veteribus omnibus habetur: male vero posuere, qui, *Scaber, nigrisque*, publicandum curaverunt. *Pierius.*

Nigris] Nocentibus. *Servius.*

Nig. chelydris] i. veneno noxiis. Ge. I. *Ille malum virus serpentibus addidit atris.* Et est χέλυδρος ἀμφίβιον, unde et δρύϊνας appellatur, quod in cava quercu lateat. Lucan. *tractique via fumante chelydri.* nam qua serpunt, fumum emittunt. *Taubmann.*

215 *Negant*] Nicander et Solinus, qui de his rebus scripserunt. *Servius.*

Dulcem] Ordo est, *æque dulcem*, hoc est, tam dulcem. *Philarg.*

216 *Curvas præbere latebras*] Pro *curvas*, ut omnes mei codices, Ursinus habet *vacuas*, et veteres omnes agnoscere *varias* asserit. Qua fide ipse viderit. *Emmeness.*

217 *Quæ tenuem exhalat nebulam*] Dicit agrum omnium rerum feracem. Quatuor enim genera agrorum imitatur, qui solus potest, quod, illi quatuor: sicut sequentia indicant. *Servius.*

Quæ tenuem exhalat nebulam.] Theophrast. caus. II. 6. μετὰ τὸ πρῶτον ὕδωρ ἀτμίζειν. *post imbrem primum vaporem exhalare*, loquitur de terra. Lucret. v. *Pulveris exhalat nebulam.* Plin. XVII. 4. *aut* (terra) *quæ tenues exhalat nebulas.* Cerda.

Fumosque volucris] Quasi fumos: scilicet ex humore. *Servius.*

Fumosque volucris] Alas dat fumo. ita Æn. VII. *Volat vapor ater ad auras.* Manil. l. I. *rara vagantur Principia aurarum, volucrique simillima fumo.* Silius l. XIII. *fumoque volucri, Et nebulis similes animas.* Eurip. Troad. ad finem, κόνις—ἴσα κάπνῳ πτέρυγι: *pulvis similis volanti fumo*. et paulo ante: πτέρυγι δὲ καπνός: *fumus cum ala*, aut, *fumus alatus.* Lucret. l. I. *volucrum flammarum.* Transtulit idem ad nubes l. v. *nubesque volantes.* et Ovid. Met. I. *nebulas volucres.* Affinis Homerus Il. XV. ἐκ νεφέων πτῆται νιφὰς, ἠὲ χάλαζα: *ex nubibus volat nix, atque grando.* et XIX. νιφάδες ἐκποτέονται: *volant nives.* Ut vero nebulas vocat fumos, ita Seneca Tragic. vel quis Auctor in Thebaide: *Fumoque similes campus in cœlum erigat*

Nebulas. et ante hunc Calab. l. IV. Πουλὺς δ' αἰθέρ' ἵκανε κονίσσαλος ἐκ πεδίοιο Καπνῷ, ἢ ὀμίχλῃ ἐναλίγκιος: *Multum ante pulveris in sublime ferebatur e campo, Fumo aut nebulæ similis.* Cerda.

218 *Ex se ipsa remittit*] Pervenusta est locutio. *Ipsa* nominativus est, et sic passim optimi. Cæsar B. G. l. I. *Sibi ipse mortem conscivit.* Terent. prol. Ad. vs. 4. *Indicio de se ipse erit.* Corn. vit. IV. 4. *Neque prius vim adhibendam putaverunt, quam se ipse indicasset.* Emmeness.

Remittit] Notatur terra *rara*, cujus est ἀνάδοσις humoris inhibiti. *Taubm.*

219 *Suo gramine*] Naturali scilicet, non coacto. *Servius.*

Quæque suo viridi semper se gramine vestit] In antiquissimo codice Romano numerus ita habet: *Quæque suo semper viridi se gramine vestit.* Pier.

220 *Nec scabie et salsa lædit robigine ferrum*] Proprie. Nam rubigo quasi scabies ferri est. *Servius.*

Lædit] Salsugo enim et amaror terræ inficit vomerem rubigine, quæ ferri quasi scabies est. *Taubmannus.*

Et salsa lædit robigine ferrum] In Romano codice, uti sæpe dictum, *robigine* per *o* legitur prima syllaba. *Pierius.*

221 *Intexet*] *Vitis arbustivæ* notatio. Catullus carm. LVII. *assitas Vitis implicat arbores.* Taubmann.

222 *Illa ferax oleo est*] Sic in antiquissimo Romanæ notæ et in Mediceo legitur, et ita in quodam alio vetustissimo habetur: ex qua dictione ultima syllaba abrasa fuit, et *oleæ* repositum. *Pierius.*

Oleo] Nonius et Cod. vet. *olea;* alii, *oleæ.* Taubmann.

224 *Dives Capua*] Ideo *dives*, quia talem arat. *Servius.*

Dives Capua] Urbs Campaniæ, *corrupti Hannibalis luxurie* nobilitata: a Cicerone *altera Roma*, et *domicilium Superbiæ* nominata, Orat. contra Rullum, ubi et ista legas: *Campani semper superbi bonitate agrorum et fructuum magnitudine, et urbis salubritate, &c.* Vide et Strab. l. v. Plin. III. 5. *Taub.*

Dives Capua] Inter opulentissimas urbium, quæ in Italia habitantur ponit Flor. II. 18. Mela II. 4. *Capua,* inquit, *a Tuscis, et Roma quondam a pastoribus condita: nunc si pro materia dicatur alterum opus.* De ea etiam Flor. I. 16. *Et ipsa caput urbium Capua, quondam inter tres maximas, Romam Carthaginemque numerata.* De origine nominis Freinsh. ad hunc locum. Elegans etiam periphrasis hujus urbis apud Hor. epod. XVI. *Æmula nec virtus Capuæ.* Hic ipse Hannibal et ejus exercitus ardor elanguit, unde natum dictum, *Capuam Hannibali Cannas fuisse,* teste Floro II. 6. *Emmeness.*

Vesevo] *Vesevus* mons est Liguriæ, sub Alpibus positus. nam Campaniæ Vesuvius dicitur: pro quo multi Vesevum esse positum volunt. *Serv.*

Et vicina Vesevo Ora jugo] In Romano, *Vesaeo* scriptum est corrupte: Falsum vero est, quod apud Servium legitur, Vesevum montem esse Liguriæ sub Alpibus positum. Nam ille Vesulus appellatur, de quo Virgilius alibi, *Vesulus quem pinifer affert.* Vesevus vero, de quo hic Virgilius, Campaniæ mons est, qui et Vesuvius, et Vesujus dicitur. *Pierius.*

Vesevo] Mons est Campaniæ ardens *Vesevus,* qui et *Vesuvius* et *Vesevius.* Idem Flacco *Vesbius,* Silio et Martiali IV. 44. (ubi mons hic laudatur) *Vesvius;* et Statio *Vesuinus apex.* Alius est *Vesulus* Liguriæ, sub Alpibus, de quo Æn. x. 708. *Taubmann.*

Vesevo] De hoc monte Vesuvio Strabo l. v. qui eum ἀγροῖς περιοικούμενον παγκάλοις affirmat: unde Mela II. 4. laudat aspectum montis Vesuvii, et Florus I. 16. tanquam pulcherrimum omnium montium, et simul Ætnæi ignis imitatorem. Hodie dictum volunt *Monte di Soma.* Plura Freinshem. quæ hunc spectant montem. *Emmeness.*

225 *Ora*] Et hoc emendavit ipse, qui *Nolam* posuerat. Nam postea offensus a Nolanis; qui eidem aquam negaverant, *ora* pro *Nola* posuit. *Philarg.*

Ora] Agellius VII. 20. memorat, prius scriptum fuisse, *Nola*: quæ urbs est Campaniæ. postea Virgilium petiisse a Nolanis aquam uti duceret in propinquum rus: Nolanos autem negasse. Ita Poëtam offensum, nomen urbis eorum, quasi ex hominum memoria, sic ex carmine suo derasisse. Idem tradit et Philargyr. Vide mihi tamen et J. Jov. Pontanum in Actio, p. 216. *Taubmann.*

Et vacuis Clanius non æquus Acerris] *Acerræ* civitas est Campaniæ, haud longe a Neapoli: quam Clanius præterfluit fluvius: cujus frequens inundatio eam exhaurit. Unde ait *vacuis*, id est, infrequentibus. *Servius.*

Et vacuis Clanius non æquus Acerris] De Acerris Campanis Strabo l. v. Clanius a gigante Clanio sic appellatus, qui tantas Acerris molestias exhibebat, ut incolis suis nudarentur. *Emmeness.*

Clanius] Hunc Clanin vocat Tacit. Ann. his verbis: *Actum deinde in senatu ab Aruntio et Ateio, an ob moderandas Tiberis exundationes verterentur flumina, et lacus, per quos augescit; auditæque municipiorum, et coloniarum legationes, orantibus Florentinis ne Clanis solito alveo demotus in amnem Arnum transferretur, idque ipsis perniciem adfert.* Germanus.

226 *Nunc, quo quamque modo*] In codicibus fere omnibus antiquis *quocumque modo* legitur, quæ lectio minime recepta est. *Pierius.*

227 *Supra morem*] Abundanter, plus æquo. Illi autem versus incomparabiles sunt: tantam habent sine aliqua perissologia repetitionem. *Serv.*

Supra morem] Ordo est: si requiras rara sit, an supra morem densa. et *supra morem* hic pro *valde* est positum, hoc est supra modum, supra justum. *Philarg.*

228 *Altera*] Docet experiri, rarum an spissum solum sit, hoc modo: Facito in solida terra fossam; et inde repleto eadem terra, et calcato pedibus: si terra non æquabit superficiem fossæ, rara est: si superabit, spissa est. Rara est idonea pecori et vitibus: spissa est idonea tritico. Columella ait: *Sed si velis scrobibus effossis egestam humum recondere, et calcare, si abundaverit, certum est esse pinguem, cum defuerit, exilem; cum æquaverit fossam, esse mediocrem, quamquam ista quæ nunc retuli, non tam vera possunt videri. si sit pulla terra, melius proventus frugum annotantur.* Ex aqua cælesti natura terræ cognoscitur: quæ imbrem statim sorbet, rara est; quæ difficulter bibit, spissa est. Cognoscitur etiam terra, ictu cuspidis: et quando herbas creat sponte validas, tunc terra est spissa; quando creat languidas arbores, si in raro solo tophus subest, aut arena, omne alimentum remanet in radicibus arborum. *Pomp. Sa.*

229 *Densa magis Cereri*] Bene addidit *magis*: nam hoc vult ostendere quid ubi melius nascitur. potest enim et frumentum in rara, et vinum in densa, sed non feliciter nasci. *Serv.*

Densa magis] Isti versus, judicio Servii, incomparabiles sunt: qui tantam habeant, sine perissologia aliqua, repetitionem. *Densam* autem *terram* sic deprehendi ait. Si effossam rursus in eandem scrobem regeras, eaque omnis eo reponi non possit, sed quasi fermento intumescat, et abundat; ea *Densa* est. Si vero terra eandem scrobem, unde egesta est, non plane implet, *Rara* est. Eadem Columella II. 2. *Taubmann.*

Lyæo] Ita dictus Bacchus παρὰ τὸ λύειν τὰς μερίμνας, καὶ τοὺς πόνους. Allusit clare ad etymon Petron. Sat. *aniculæ solutæ mero.* Iterum: *Cum solutus mero amisissem ebrius manus.* Ovid. *Turpe jacens mulier multo resoluta Lyæo.* Hor. epod. IX. *Curam metumque Cæsaris rerum, juvat Dulci Lyæo*

solvere. Oppian. Cyneg. IV. ὑπὸ λυσιπόνῳ Διονύσῳ. *sub solvente curas Baccho.* Cerda.

230 *Capies*] Eliges. ut, *Aut capere, aut captas jam despectare videntur.* Servius.

Capies oculis] Id est, eliges, ut, *Nunc terras ordine longo.* Philarg.

Altaque jubebis In solido puteum demitti] In Mediceo *videbis* legitur; ut domini curam et diligentiam ad opus recte faciendum invitet: unde statim subjicit, *et pedibus summas æquabis arenas,* quod perperam in codicibus aliquot legitur, *pedibus summis.* Est et *puteum dimitti* legere, sed *demitti* per *e,* hoc est, deorsum mitti, longe melius. *Pierius.*

231 *In solido*] Ne ager sit concavus. *Servius.*

Omnemque repones] Herod. τὰς τάφρους ἀναστομοῦσθαι, *fossas terra ingesta complere.* quanquam alias ἀναστομοῦν, meatus oppilatos expedire. *Germanus.*

232 *Pedibus æquabis*] *Recalcando,* ut Columel. loquitur. *Taubmann.*

233 *Si deerunt*] In Medic. et antiquis aliis *deerunt,* et *derunt,* facta synæresi ex duobus *ee* in unum. *Pierius.*

Vitibus almis] Eo significato videntur vites dictæ almæ, quo Bacchus almus, Ceres alma, frumenta alma, nimirum ab alendo: nisi quis torqueat ad rem sacram, et dicatam Baccho. *Cerda.*

234 *Aptius uber erit*] Aptior ubertas et fertilitas. *Servius.*

Sin in sua posse negabunt Ire loca] Videtur innuere solum frumento intumescens, ut inquit Columella, hoc est, compositum solum, laxum, solutumque. *Germanus.*

236 *Glebas cunctantis*] Validas, graves, magnas: ut, *Aviduseque refringit Cunctantem.* Servius.

237 *Expecta*] Proba. ut, *et rebus spectata juventus.* Idem.

Exspecta] In Romano codice legas *exerce.* Sed longe melius *exspecta,* ut in cæteris codicibus habetur. *Pier.*

Proscinde] Idem Ge. I. *proscisso æquore.* Attius in Œnom. *ferro rosidas Proscindunt glebas.* Plaut. Trin. *terra cum proscinditur.* Lucret. V. *terram pressis proscindere aratris.* Apul. Fl. I. *periti proscindendi soli.* Cerda.

238 *Salsa*] Hyperbaton, id est, *salsa tellus.* Philarg.

Salsa autem tellus] Vide Plut. ἐν αἰτίαις φυσικαῖς, διατί τῶν χυμῶν ὀκτὼ τῷ γένει ὄντων, ἕνα μόνον τὸν ἁλμυρὸν ἀπ' οὐδενὸς καρποῦ γενόμενον καλοῦμεν. Aristot. autem Meteor. l. II. inquirens in causam marinæ salsuginis, eam multis rationibus committi docet ab halitu sicco, et terrea particula aquæ admixta, ducta a cereo vase inter cætera demonstratione: quod si quis e cera vas efformatum in mare demittat, obturato prius re tali osculo, ut nihil interhiet, per quod mare intro fluat, aqua quæ se per cereos parietes insinuat, potulenta evadat, quando et terrena portio, et id quod salsitudinem sua admistione parit, quod tum ponderis (salsa enim quam dulcis gravior) tum etiam crassitudinis et corpulentiæ causa extat, sequestrari, cum percolatur aqua, assoleat. Quam certe Aristotelis theoriam et observationem in exploranda et periclitanda salsa terra respexisse videtur Maro, in eo, quod aquam, e calatho vimineo erumpentem, terræ contagia et saporem referre vult, ita demum tamen, ut non omnino ejus specimen et exemplum cum Aristotelico conveniat; quod hic per cerea septa illabens aqua amarorem exuat et excernat; illic non de influxu in vas, sed effluxu e vase agatur, et aqua contagionem succumque salsæ terræ retinente et exhibente, nec per tam angusta foramina eluctante, ut terræ portio et corpulentia secerni et repurgari ab aqua possit. *Germanus.*

239 *Frugibus infelix*] Philo de mundi opificio, quidquid est ἁλμυρὸν, *salsum,* vocavit αἴτιον ἀγονίας, *causam infœcunditatis.* Cerda.

Nec mansuescit arando] Dum aratur. alibi de arboribus ita, *Exuerint sil-*

vestrem animum. Servius.

240 *Sua nomina*] Propriam generositatem. ut, *Et nos aliquod nomenque decusque Gessimus.* Idem.

Sua nomina] De vino vero et fructibus proprie *Nomen* dicebatur: a quo dixit Cato, *Ne vinum nomen perdat.* Ita vinum *perdere* etiam *Notam* dicitur, cum aut acuit aut alio quovis casu alteratur. Nam dicebatur *Nota vini.* Hor. serm. I. 10. *Chio nota si commista Falerni est.* Hinc tralatio, *Homines de meliore nota* Ciceroni et Catullo. Vide Salig. ad Ætnam. De re ita Theophrastus: *Pomiferæ arbores, nisi apto conserantur solo, degenerant. Nam ubi ante in terra dulci melimela erant, nunc in amara oxymela futura sunt.* Vide et Columell. III. 10. et Notas Ge. I. 197. *Taubmann.*

241 *Specimen*] Dignam probationem. *Servius.*

Tale dabit specimen] Specimen pro argumento. *Philarg.*

Spisso vimine] Spissi viminis. *Serv.*

Tu spisso vimine qualos] In Longobardico, *spissos vimine qualos* legitur: sed magis placet *spisso vimine*, ut in Mediceo et aliis habetur. *Pierius.*

Qualos, Colaque prælorum] Qualos, per quos vinum defluit: qui et ipsi a colando dicti sunt. Præla autem trabes sunt, quibus uva jam calcata premitur. *Servius.*

Qualos] Quali vasa sunt e denso vimine contexta, quibus vinum percolatur acinis remanentibus, liquore defluente; quamvis hoc nomen canistris omnibus et calathis videtur convenire. Horat. Carm. III. 12. *Tibi qualum Cithereæ Puer ales, tibi telas operosæque Minervæ Studium aufert.* Nic. Abr.

Qualos] Dicitur et *quali*, et *quala* in genere neutro. Cato de r. r. c. 11. *Quala sataria.* et c. 23. *quala parentur, et sarciantur.* Sic c. 52. *in qualos pertusos.* et paullo post: *eum qualum aut calicem terra impleto.* De qualis vindemiatoriis, et exceptoriis, in quibus uvæ comportantur, Ulpian. L. instrumenta, de fund. instr. *Emmeness.*

242 *Cola*] Vasa quibus vinum percolatur, vel saccus, sive cilicium vinarium. Quæ cola, ut et quali suspenduntur ad fumum, ut serventur innoxia. ut Ge. I. 175. de instrumentis agriculturæ dictum: *Et suspensa focis exploret robora fumus.* Quæ etiam jubet Hesiodus: ὑπὲρ καπνοῦ κρεμάσασθαι: *super fumum suspendere.* Nic. Abramus.

Prælorum] Recte Dausquius non per *æ* scribendum docet. Contenditur, an per *æ*, an per *e* sonorum. Qui per diphthongum scribunt, originem a *præluendo* ducunt; qui diphthongum removent, a *premendo* prelum, et id quasi *premulum* dictum volunt. Quam sententiam meliores codices confirmant. Sic Vitruvius VI. 9. duo illa conjungit, *prelo premitur.* Plin. XIII. 12. *Premuntur prelis.* Sic et ad hunc locum ipse Servius. De materia ex qua fieri debeat, Cato de r. r. c. 31. *Prelum de sapina atra potissimum facito.* Emmeness.

244 *Eluctabitur*] Cum mora egredietur. *Servius.*

Aqua eluctabitur omnis] In antiquis plerisque codicibus, *luctabitur* legitur: quod non ita probatur, quum *eluctabitur* rem magis pingere videatur. *Pierius.*

246 *Et ora Tristia*] Sic et Nicand. Alexiph. Οὖλα θ' ὑποστύφει χαλόεν ποτόν. Et Lucret. II. *At contra terra absinthi natura, ferique Centauri fœdo pertorquent ora sapore.* Hæc autem graphica expressio salsi succi, ejusque effectus, attentius observata liberat, aut certe levat me dubitatione, in qua diuscule versatus sum, cur πλατὺς Græcis idem nonnunquam sit, quod ἁλμυρὸς, ut ex Tusani interpretatione et Vatabli constat. His locis Aristot. Meteor. l. II. διὰ τοῦτο τά τε νότια ὕδατα πλατύτερα· et, καὶ τοῦ μετοπώρου πλατέα τὰ ὕδατα· et, γίνεται μὲν οὖν ἀεὶ πλατυτέρα διὰ ταύτην τὴν αἰτίαν. Scilicet fit mihi verisimile, ex effectis *salsum* dici *latum*, quod salis acredo, ut dicit Maro, ora gustantium

torqueat, et deducat quodammodo; hoc est, ut Nicander, ὑποστύφει, καὶ πλατύνει. *Germanus.*

247 *Amaror*] Amaritudo. et est sermo Lucretii: et vera lectio ipsa est. Nam multi *Amaro* legunt: ut sit, *sensu amaro.* Servius.

Sensu torquebit amaror] Quamvis Servius et aliquot alii, veram hanc esse lectionem asserant, et a Lucretio sumptam, *Cum tuimur misceri absinthia tangit amaror*, accedantque codicum nonnullorum perveterum testimonia, multaque in hanc lectionem Aulus Gellius congesserit: displicere tamen non potest, quod in antiquissimo codice Romano *amaro* legitur. Sapor enim utrique verbo suppositum esse potest. In Longobardico etiam *amaro* scriptum erat, sed enim *r* littera altera manu et atramento apposita est, idem factum in Mediceo. *Pierius.*

Amaror] Vera lectio, et sermo Lucretii est, l. IV. et VI. ut docent Servius et Agellius I. 21. *Taubmann.*

250 *Ad digitos*] Pro inter digitos. *Philarg.*

Lentescit] Cohæret. *Servius.*

Lentescit] Plin. XVII. 4. ita effert: *pinguis* (terra) *adhærens digitis.* Talem terram κολλωδεστάτην nominat auctor Geop. l. IV. Ideo Colum. II. 2. *Glutinosa et quovis levissimo tactu pressa inhærescit.* Cerda.

Habendo] Dum habetur. *Servius.*

Habendo] Lucret. l. I. *Annulus in digito subtertenuatus habendo.* Cerda.

251 *Alit*] Pind. olym. od. VII. terram vocat πολύβοσκον multialtricem. Lucret. I. *Tellus Unde alit, atque auget generatim pabula præbens.* Idem.

Justo Lætior] Ultra modum, plus quam oportet. *Servius.*

252 *Ah nimium ne sit mihi fertilis illa*] Ne herbæ plus æquo crescentes spem adimant frumentorum. Unde ait in primo, *Luxuriem segetum tenera depascit in herba.* Idem.

253 *Neu se prævalidam*] In Rom. Codice, in Mediceo, et aliquot aliis *nec* habetur. in quibusdam aliis *ne.* Pierius.

Neu se prævalid.] Ne se nimis feracem herbis surgentibus ostendat. Sed et hæc parum probata Plinio lib. XVII. 4. *Taubmann.*

Primis aristis] Herbis surgentibus, quarum luxuries futuris frugibus nocet: quas culmi tenues ferre non possunt. *Servius.*

254 *Ipso tacitam se pondere prodit*] Sic omnia antiqua exemplaria: in nonnullis *tacitum:* quod vel adverbialiter, vel in supini figura cur longe repetere debeamus, non video. *Pier.*

256 *Et quis cui color*] Vera lectio hæc est: *et quisquis color.* nam male quidam, *Et quis cuique* legunt, excludentes *At:* ut sit, *Et quis cuique color, sceleratum exquirere frigus, Difficile est.* Alii *colos* legunt, ut, excluso *s*, fiat Synalœpha: et scandamus ita, *Et quiscuique col' at sceleratum:* ut sic sit, quemadmodum, *Inter se coisse viros et decernere ferro.* quod non procedit. Tunc enim R in S mutatur, cum longa opus est syllaba; ut color, colos; labor, labos; honor et honos. hic autem non solum longam non facit syllabam, sed etiam excluditur *s* cum superiore vocali. unde legendum est *et quisquis color*, quod nec obscuritatem affert, nec fidem derogat lectioni. *Servius.*

Et quis cui color] In Codicibus nonnullis admodum vetustis legere est: *Et quis cuive color sceleratum.* In Mediceo: *Et quis cuive colos at.* Ut sit abjectio illa, quam tangit Servius: qui tamen lectionem illam magis approbat, quæ vulgatis in exemplaribus habetur. *Pierius.*

Sceleratum] Nocens, omnia exurens. *Servius.*

Sceleratum frigus] Autumat D. Hieronymus Poëtam more patriæ suæ frigus *sceleratum* dixisse; indicantem noxium, et omnia exurens. Alii iracunde hoc Poëtam dixisse ajunt, ut qui vim ejus aliquando expertus, hoc vocabulo istud infamarit. Vide Ery-

thræum et Cæl. Rhodig. xxv. 9. *Taubmann.*

257 *Taxique nocentes*] Hujus arboris malignitas sparsa in auctoribus, cujus esus, umbra, odor, fumus lethalia sunt. De esu Theophrast. III. 10. φασὶ δὲ τὰ μὲν λόφουρα, ἐὰν φάγῃ τῶν φύλλων, ἀποθνήσκειν: *Dicuntur animalia obire foliorum esu.* De umbra Plutarch. Sympos. η. σκιὰ σμίλακος ἀποκτείνει τοὺς ἐγκαταδαρθέντας: *Occidit taxi umbra dormientes sub ea.* Eadem interpres Nicandri in Alexipharm. καὶ τοὺς ἐγκοιμηθέντας αὐτῇ ἀποθνήσκειν. Contrahit hoc malum Plinius xvi. 10. ad unam Arcadiam ex Sextii auctoritate; *in Arcadia tam præsentis veneni, ut qui obdormiant sub ea cibumve capiant, moriantur.* Angustius adhuc Diosc. ad urbem unam; nam l. iv. ita ait: *Narbone tam præsentis est veneni, ut qui dormiant sub ea, aut in ejus umbra subsideant, lædantur, et sæpe moriantur.* Transeo ad odorem: de hoc Lucr. l. vi. *Est etiam magnis Heliconis montibus arbos, Floris odore homines tetro consueta necare.* Nam de taxo hæc intelligenda esse censuit jam Victorius xviii. 22. Restat fumus, de quo Plin. xx. 13. *Taxi arboris fumus mures necat.* Ab tot malis, quorum hæc arbos dives, nata quæstio, an toxicum inde originem ducat, et ita dictum sit, quasi *taxicum.* Affirmat doctissimus Brodæus Comment. in Græca epigram. negat doctissimus Gorthæus in Nicand. Alexipharm. Plinius in nullam partem inclinat, tantum ait: *Sunt, qui et taxica hinc appellata dicant venena, quæ nunc toxica dicimus, quibus sagittæ tingantur.* Mihi placet, ut toxicum ducatur ἀπὸ τῶν τόξων, sagittis; itaque toxicum erit venenum illud, quo sagittæ linuntur contra feras, modo e taxo, modo aliunde assumatur. Hanc rem adumbrarunt fabulose, qui dixerunt, toxicum dictum a sagittis Herculis imbutis veneno Hydræ. Et quidem potuit toxicum primum omnium illud fuisse, mox vero propagari significatio ad omne venenum, quod linit sagittas. Ut scripsi, sentit etiam Fungerus in Etymologico, nam Paulus Ægineta l. v. τὸ δὲ τοξικὸν δοκεῖ μὲν ὀνομάζεσθαι, ἐκ τοῦ τὰ τοξεύματα ὑπὸ τῶν βαρβάρων ἐν αὐτῷ χρίεσθαι. Ovidius itaque ad rem istam alludens, de Ponto iv. *Adspicis et mitti sub adunco toxica ferro, Et telum causas mortis habere duas.* Et amor. ii. 2. *Non scelus aggredimur, non admiscenda coimus Toxica, non stricto fulminat ense manus.* Cerda.

258 *Ederæ pandunt vestigia nigræ*] ederæ indicant frigus. nam *Vestigia* appellavit *indicia.* Servius.

Nigræ] Ad albarum discretionem, ut, *edera formosior alba.* Idem.

Nigræ] Id est, frigidæ terræ argumenta demonstrat. *Philarg.*

Nigræ] Est enim et *alba;* immo et tertia, *helix.* Ecl. vii. *edera formosior alba.* Plin. xvi. 34. Plutarch. Symp. iii. 2. *Taubmann.*

259 *His animadversis*] Id est, agri qualitate deprehensa. *Servius.*

Terram multo ante memento Excoquere] Hoc dicit, non esse eo anno ponendas vites, quo fodiuntur scrobes; sed post annum: ut calore, frigore, et labore rustici, possit terra putrefieri. *Idem.*

Terram multo ante] *Primum præceptum, De pastinatione Novelleti,* et soli vincatici. Ita et Columella v. 10. jubet anno prius scrobem fieri, ut sole pluviisque maceretur. quem vide: ut et Plin. xvii. 11. et Theophrast. Hist. Plant. l. iii. *Taubmann.*

260 *Excoquere*] Sic Columell. xi. 3. *ita vis frigoris excoquit terram.* Sil. Ital. lib. iii. *Sol terram excoquit.* proprie est, perfecte coquere, ut apud Ter. Ad. v. 3. 63. *Tam excoctam reddam, &c.* Emmeness.

Et magnos scrobibus concidere montis] In Romano codice *circundare montes* legitur: quod suos habet amatores. In Mediceo absque *et* legitur, *Excoquere magnos scrobibus concidere montes.* Nam et membrum quod se-

quitur absque copula est. *Pierius.*

Scrobibus] Pulcre Theophr. scrobes vocat γύρους quasi circos. Et Colum. IV. I. *cubile: Nec sane positio seminum sibi altum cubile substerni desiderat.* Idem *sinum,* verba jam scripsi. *Cerda.*

Concidere montis] Perfodere montanum vinetum. *Taubmann.*

261 *Ante supinatas glebas*] Pro, inversas, ex penu Virgilii, caruit enim imitatione, nam nemo ante illum. Pulcre hoc etiam Ovid. dixit Fast. IV. *Tum primum soles eruta vidit humus.* De fossis, simili præcepto Colum. II. 2. *imbricibus supinis similes facere conveniet.* Notetur obiter locutio Herodoti lib. II. qui ad signandum, Ægyptum campestrem et planam esse, ὑπτίην nominat, *supinam.* Eundem vocis hujus usum animadvertes apud Suidam. *Cerda.*

Supinatas] Inversas. Stat. l. v. *Ore supinato.* Taubmann.

262 *Infodias*] Obruas. *Servius.*

263 *Arva solo*] Sensus: optima arva sunt, si putrescit solum. et quia rem difficilem videbatur præcepisse, adjecit: *Et id venti curant gelidæque pruinæ.* Propter quod docuit nos oportere, ut solibus et pruinis coquatur. Ipse alibi: *ut cui putre solum: namque hoc imitamur arando.* Philarg.

Optima putri Arva solo] Ratio præcepti tota versatur in putrefactione, et coctione glebarum. Theophr. Caus. III. 5. hanc adhibet non dissimilem: ὅπως ἡ γῆ καὶ ἡλιωθῇ, καὶ χειμασθῇ ἑκατέραν τὴν ὥραν. ἄμφω γὰρ ταῦτα ποιεῖ μανὴν, καὶ χαύνην: *Ut humus solem nivemque tempore utroque combibat; utroque enim modo soluta suspensaque redditur.* Colum. V. 10. *Scrobem fodito, ita sole pluviisve macerabitur, et, quod positum est, cito comprehendet.* Mago apud Plin. XVII. 11. jubet scrobes fieri, *ut solem pluviasque combibant.* Certe Plinio hæsit Theodorus in reddendo Theophrasto. *Cerda.*

264 *Et labefacta movens*] Hypallage, movens et labefaciens. *Servius.*

Labefacta] Nota figuram. movendo labefaciens, aut movens et labefaciens. *Philarg.*

Jugera] Jugerum vocatur, quod uno die juncti boves exarare possunt, ut Varro de r. r. I. 10. et Plin. XVIII. 3. In auctoribus rei agrariæ Goesii pag. 291. *Actus duplicatus jugerum facit: ab eo quod est junctum, jugerum nomen accepit. Jugerum autem constat longitudine pedum ducentorum* XL. *latitudine* CXX. Idem Quintilian. I. 10. et Valla I. 7. *Emmeness.*

265 *At si quos*] II. Præceptum, *De Cura seminarii:* ut scil. sit quam simillimum terræ, in quam transferatur semen: ne viviradices degenerent. Item, ut planta eam cæli partem spectet, cui a teneris in seminario consuevit. Vide Plin. XVII. 10. et 8. Catonem c. 46. et Colnmel. c. 1. de Arboribus: et de Re rust. III. 4. et seq. *Taubmann.*

266 *Ante locum similem exquirunt*] Dicit, in translatione arborum similem terram esse requirendam. *Servius.*

Locum similem exquirunt] Theophr. II. 7. δεῖ τὰ φυτὰ λαμβάνειν ἐξ ὁμοίας γῆς εἰς ἣν μέλλεις φυτεύειν: *necesse est, sumantur plantæ ex terra simili ei, in quam debeas transferre.* aut certe ex deteriori. et causar. III. 6. ὀρθῶς δὲ καὶ τὸ μᾶλλον ἐξ ὁμοίας γῆς, εἰ δὲ μὴ, χείρονος λαμβάνειν: *recte quoque illud animadversum, ut ex simili solo, aut e deteriore semen accipiatur.* Aristot. plant. I. 5. τινὰ δὲ ἐν τοῖς τόποις κρείττοσι μετατίθεντας: *Transferuntur quædam in loca meliora.* Paria Plin. XVII. 11. *ante omnia igitur in similem transferri terram, aut meliorem oportet.* Columell. III. 5. *Prudentis coloni est, ex deteriori terra potius in meliorem, quam ex meliore in deteriorem transferre.* Summa omnium est, debere fieri hunc transitum in terram similem: hoc si nequeat, in meliorem: in deteriorem, nullo modo. *Cerda.*

267 *Arboribus seges*] Quia de seminario loquitur arborum, bene *sege-*

tem appellavit. *Servius.*

Digesta] Id est, ordinata. ut, *Digerit in numerum, atque antro seclusa relinquit.* Idem.

Digesta feratur] Antistrophe, id est, translata digeratur. *Philarg.*

Digesta] Pro, translata digeratur. supra, vs. 54. *vacuos arbor digesta per agros. Æn.* III. *digerit in numerum.* Taubmannus.

268 *Mutatam ignorent subito ne semina matrem*] Aliquot abhinc annis omnes ad unum convenerunt, ut *mutata* scriberent; et ad *semina* referri vellent, quum tamen in veteribus omnibus exemplaribus manuscriptis, *mutatam* quippe *matrem* legatur: eaque de causa Virgilius similem locum exquirendum admoneat, ne accidat seminibus, quod et infantibus, ubi vel matris, vel nutricis ubera mutaveris. Fit enim, ut alias reformident, easque pertinaciter reposcant, quibus a teneris insuerint. Nam quod semina mutata, de loco ad locum translata interpretari volunt, ineptum est. In Mediceo codice, apex ille compendiariæ notæ, qui pro *m* illitus erat, nunc abrasus est. De diligentia vero quæ sit adhibenda, ne vites deteriore seramus solo, multa apud Columellam et Theophrastum. *Pier.*

Matrem] Terram. ut, *Antiquam exquirite matrem.* Servius.

269 *Cœli regionem in cortice signant*] Theophr. Hist. II. 7. ait observandam positionem ἥνπερ εἶχεν ἔνια τῶν δένδρων, τὰ πρὸς βοῤῥᾶν, καὶ τὰ πρὸς ἕω, καὶ τὰ πρὸς μεσημβρινά: *quam habebant aliquæ arbores aut in aquilonem, aut in orientem, aut in meridiem.* Et caus. III. 6. cum dixerit plantas, quæ transferuntur, esse imbecillas et teneras, addit: διὰ ταῦτα γὰρ καὶ τὰς θέσεις τῶν φυτευομένων τὰς αὐτὰς ἀποδιδόασι, κατὰ τὰ πρόσβοῤῥα, καὶ νότια, καὶ πρὸς ἕω, καὶ δυσμάς. Columell. v. 6. *plurimum enim refert, ut ad eam partem cœli spectent, cui ab tenero consueverunt.* Hanc doctrinam non necessariam putat Plin. XVII. 11. Nam notans, ut credo, Virgilium, ita scribit de Catone: *non omisisset idem, si attineret meridianam cœli partem signare in cortice, ut translata in iisdem et assuetis statueretur horis.* Lege reliqua. Sed credamus Virgilio, Theophrasto, Columellæ. *Cerda.*

270 *Ut, quo quæque modo steterit*] Arripuit credo Lucret. l. I. *Et quo quæque modo fiant.* Idem.

271 *Quæ terga obverterit axi*] Septentrioni. Nam Græce ἅμαξα dicitur. *Servius.*

Axi] Id est, Septentrionali. *Philarg.*

Terga obverterit axi] Nihil dici melius potuit: quia plantæ in meridiem, ut qui benignior, inclinantur: fugiunt a borea, ut ab hoste, curvando se, quod experti in plerisque periti rei rusticæ. Ideo pars ad meridiem a figura, vultum; ad aquilonem, tergum præfert. *Cerda.*

272 *Adeo in teneris consuescere multum est*] In Rom. Cod. *multum st* antiquorum more scriptum est: ut multa apud Plautum. In nonnullis est *a teneris*. Sed *in teneris* lectio est codicis Medicei. *Pierius.*

Adeo in teneris consuescere multum est] Sententia sumpta est ex Theophrast. de Plantis, l. III. quam Aristoteles Ethic. II. uberius tractat. *Sabinus.*

273 *Collibus, an plano melius sit ponere vitem, Quære*] Atqui supra ait, *Denique apertos Bacchus amat colles:* sed etiam in vallibus poni posse vites, superius indicavit: ut, *Hic tibi prævalidas olim multoque fluentes Sufficiet Baccho vites.* Unde modo utrumque complectitur, et dicit, quemadmodum in plano, quemadmodum in collibus vites ponere debemus. *Servius.*

Collibus, an plano m. s. p. vitem] Numero unitatis, in Cod. aliquot antiquis cum Mediceo, *vitem;* quod figuratius, quam *vites*. Pierius.

274 *Metabere*] Eliges. et longe alia significatio est, *Metor, metaris* (unde Lucanus, *Hesperios audax veniam metator in agros*) et alia, *Metior, metiris.*

Illud enim *metatus sum:* hoc *messus sum* facit; ut, *messum de pollice florem.* Servius.

Metabere] Eliges, vel, metis et terminis suis distingues, et divides. *Vineas metari* Colum. dixit. ita Lucanus: *veniam metator in agros.* Ita *metata porticus* in Horatio est mensurata, disposita: ut Lipsius e vet. Scholiaste exponit. Cicero Philip. XIV. *Peritus metator et callidus decempeda sua saxa diviserat.* Decempeda illa *arvipendium* etiam sive *arvipennium* dicebatur. *Taubmann.*

Pinguis agros metabere campi] Observa ex hoc loco (quod ante nos Lævin. in Sueton. ad Jul. c. 20.) campum, majus aliquod spatium esse, quam agrum: ita ut ager pars sit campi. Explico hoc, nam reliqua tacet Lævinus. Omnis locus planus dicitur *campus,* modo in eo segetes insint, modo vites, modo oleæ, et talia hujusmodi. At vero *ager* tantum est locus, in quo sunt segetes. Id liquidum ex definitione Varronis, quam adduco in ipso initio Ge. I. pete inde. Est vero *metari agros,* dividere illos, ac secare suis finibus et metis. Sic *vineas metari* apud Colum. Et *metata porticus* in Horat. est mensurata, et disposita. Et Tertullian. tempus vocat *arbitrum, et metatorem initii et finis.* Apud Cicer. quoque in Agrar. *metator agrorum* est finitor. Vox traducta est ad exercitus et castra. Plura his Lips. Mil. Rom. v. 12. Fiebat hæc metatio, aut perticis: Virg. in Diris: *Pertica quæ nostros metata est impia agellos:* aut funibus, quos Romani *arvipendia* nominabant: hæc Glossarion exponit γεωμετρικοὺς σχοίνους. *Cerda.*

275 *Densa*] Pro dense. ut, *Et pede terram Crebra ferit,* pro crebro. *Serv.*

Densa] Pro *dense:* Turn. XI. 17. supra vs. 134. *Taubmann.*

Non segnior ubere Bacchus] Divina locutio. Cum eodem sapore dices. *non segnior agris Emergitque Ceres, nec segnior ubere Pallas.* ad signandum frumentum, atque oleum. Quin, ut segetem notes maligne erumpentem, dices: *exsurgit, emergit segniter.* Cerda.

276 *Sin, tumulis adclive solum*] Docet vites in quincuncem disponendas esse: dicuntur autem vites, vel arbores, in quincuncem digestæ, cum ita collocatæ sunt, ut literæ V inter se speciem præbeant: V enim litera, quinarium numerum significat, et Latini ipsam literam V quincuncem appellaverunt. Porro hæc figura duplicata literam X efficit, quæ Latinis numerum denarium significat, et vocatur a Latinis decussis; est igitur in quincuncem et decussim vites vel arbores redigere, et ordine eas collocare, ut similitudinem V vel X referant, ita ut in quamcumque partem spectaveris, semper rectæ sint lineæ, quæ ratio non modo utilis, verum etiam adspectu grata. *Cerutus.*

277 *Indulge ordinibus*] Da operam: ut, *Indulgent vino.* et eos effice largiores. Nam de plano ait, *Densa sere.* Servius.

Indulge ordinibus] Da spatia. *Nec secius*] Minus. *Philarg.*

Indulge ordinibus] Internodia et ordines effice largiores. *Indulgere* proprie est contrarium τοῦ *urgere:* ea enim origo vocis. *Indulgere* pro *inurgere* dixerunt inserto *d.* ut *indolescere,* pro *inolescere:* unde est *indoles.* Deinde *l* pro *r* posito, quæ litteræ in omnibus linguis facile permutabiles. *Urgere* est severi ἐργοδιώκτου, qui pensum morose exigit. *indulgere* est ejus, qui de summo jure aliquid remittit, ut fere parentes liberis. Persius Sat. V. *Hic campo indulget,* i. multus est in campo. Ubi hæc ita explicat eruditiss. Casaub. *Taubm.*

Nec secius] Grammatici per ἧττον interpretantur: vel a *secus,* vel a *sero* adverbiis voce deducta. Auctores tamen boni *sequiorem* etiam in nomine dicunt: ut et Ulpian. Sed et personarum contemplatio habenda

est, hoc est, cujus vitæ sunt hi, quibus alimenta relicta sint, utrum frugi vitæ hi sint, qui alias sufficere sibi possint, an sequioris, qui de aliis pendeant. An *secius* tamen et *sequior* a secus trahenda sint, amplius videndum, cum mensura primæ syllabæ discordet: etiam si Adr. Turnebus a *sequendo* deducat, eo loco, ubi eum Varronis locum citat apud Nonium: *Non modo absens quicquam sequius de te cogitat, sed etiam ruminabitur humanitatem.* Sunt et quibus non displiceat, apud Maronem eo loco, ubi *non segnius* reperitur, *sequius* legere, affinitate elementorum, et facili transitu in se mutuo *gn* in *qu*. Germanus.

In unguem] Ad perfectionem: et est translatio a marmorariis, qui juncturas unguibus probant. Horatius, *ad unguem Factus homo.* Servius.

In unguem] Græci: *δι' ὄνυχος ἀκριβοῦν*. Plutarch. *ἡ ἀκριβὴς καὶ δι' ὄνυχος λεγομένη συζήτησις. ὀνυχίζειν*, et *ἐξονυχίζειν*, pro *ἀκριβολογεῖσθαι*. Item *εἰς ὄνυχα* Plutarch. *πῶς ἄν τις αἴσθοιτο ἑαυτοῦ· οὐδὲν εἰκῇ προσίενται τῶν γινομένων, ἀλλ' οἷον ὑπὸ σταθμῆς τοῦ λόγου προσάγουσι καὶ προσαρμόττουσιν ἕκαστον, ὑπὲρ οὗ τὸν πολύκλειτον οἰόμενοι λέγειν, ὡς ἔστι χαλεπώτατον αὐτῶν τὸ ἔργον, ὅτων ἂν εἰς ὄνυχα ὁ πηλὸς ἀφίκηται.* Sequens autem versus, *secto via limite quadret*, docet Poëtam alludere ad Græcorum *τὸ πλαίσιον*, et *πλινθίον*, quod est lateris forma, et militaris ordo quadrangulari forma: Thucyd. *ἐν πλαισίῳ τεταγμένοι.* Toti autem huic loco arridet ille apud Xenophontem in Œcon. ubi Cyrum ab æquo agriculturæ et armorum studio commendat, his in idem argumentum subjunctis præcedentibus verbis: *ἐπεὶ δὲ ἐθαύμαζεν αὐτὸν ὁ λύσανδρος, ὡς καλὰ μὲν τὰ δένδρα εἴη, δι' ἴσου τὰ πεφυτευμένα, ὀρθοὶ δὲ οἱ στίχοι τῶν δένδρων, εὐγώνια δὲ πάντα καλῶς εἴη, ὀσμαὶ δὲ πολλαὶ καὶ ἡδεῖαι συμπαρομαρτοῖεν αὐτοῖς περιπατοῦσι. καὶ ταῦτα θαυμάζων εἶπεν. 'Αλλ' ἐγώ τοι, ὦ κῦρε, πάντα μὲν ταῦτα θαυμάζω ἐπὶ τῷ κάλλει, πολὺ δὲ μᾶλλον ἄγαμαι τοῦ καταμετρήσαντός σου καὶ διατάξαντος ἕκαστα τούτων*, &c. *Germanus.*

278 *Arboribus positis*] Vitibus ordinatis. *Servius.*

Secto limite] Ducto. Unde et sectæ philosophorum dicuntur, id est, ductus. *Idem.*

Via] Nominat Poëta vias interstitia et intervalla vinearum. Et supra *indulge ordinibus.* in utroque, ut apparet ex sequenti comparatione, confugit ad militiam Romanam, in qua erant similiter viæ, et ordines. Liv. VIII. de Romana acie: *compressis ordinibus velut claudebant vias.* Et X. *panduntur inter ordines viæ.* Arist. quoque Polit. VII. dixit *συστάδας ἀμπέλων: ordines vitium.* quæ vox ducitur a verbo *συνίστημι*, et confinis est *συστάσει*, quæ sane verba dicuntur de apparatu bellico, seditionibus, coitionibus militaribus, ac turmis. Et Eustathius in Iliad. IV. ait, *ὁδὸν εἶναι, ὅπως δι' ἐκείνης καὶ προελθεῖν δύνανται βουλόμενοι, καὶ ὑποστρέψαι πάλιν*, *Viam esse, per quam progredi, et regredi possunt, qui pugnant.* Agit quippe de acie, quam Nestor instruxit. *Cerda.*

Quadret] Consentiat, congruat. Translatio a quadris lapidibus, qui sibi invicem bene conveniunt. *Serv.*

Quadret] Directis scil. in quincuncem ordinibus, qui Xenophonti sunt *ὀρθοὶ στίχοι τῶν δένδρων*, et *εὐγώνια*. Plinius XVII. 11. Varro I. 7. Columella III. 13. *Taubmann.*

In unguem quadret] In exactissimum quadrum redigatur. Eleganter Horat. epist. I. 6. *Mille talenta rotundentur, totidem altera porro et Tertia succedant, et quæ pars quadret acervum.* i. e. quæ acervum quadratum reddat. sic Colum. XI. 2. *abies atque populus ad unguem quadrantur.* et paulo ante: *materia perquadrata.* Emmeness.

279 *Ut sæpe ingenti*] Hic locus haud dubie videtur ductus ab illo Lucret. l. II. *Præterea magnæ legiones, cum*

loca cursu Camporum complent belli simulacra cientes: Et circum volitant equites, mediosque repente Transmittunt valido quatientes impete campos: Fulgur ibi ad cælum se tollit, totaque circum Ære renidescit tellus, subterque virum vi Excitus pedibus sonitus, clamoreque montes Icti rejectant voces ad sidera mundi. Germanus.

Ut sæpe ingenti bello] Vult arbores apte poni et seri, ad exemplum militiæ, in qua manipuli aut cohortes situ isto alternanti explicantur. Vide Lipsium Milit. R. IV. 1. et de legione II. 4. et 5. *Taubmann.*

280 *Agmen*] *Agmen* proprie est, auctore Isidoro, ordinata multitudo, non stans, sed sese agens et ambulans. Græcis τάγμα, τέλος. V. n. N. Æn. v. 190. *Idem.*

281 *Directæque acies*] In Rom. Cod. et hic, et alibi, *detectæ* legitur. Eademque lectio in Mediceo. *Pierius.*

Fluctuat] Splendet. *Servius.*

282 *Ære renidenti tellus*] Sic et Eurip. in Phœniss. κατάχαλκον ἅπαν πεδίον ἀστράπτει. Ut autem *fluctuat* dixit *ære*, sic et Eurip. in Iphig. in Taur. ῥεύματα στρατοῦ dixit: et in Rheso, Θρήκιος ῥέων στρατός· et Sophocl. de hostili agmine in Antigo. καὶ σφᾶς ἐσιδὼν πολλῷ ῥεύματι προσνισσομένους χρυσοῦ καναχῆς ὑπεροπλίας. Et Æschyl. in ἑπτὰ, κῦμα στρατοῦ· et Lycoph. πέφρικαν δ' ὥστε ληΐου γυαὶ λόγχαις ἀποστίλβοντες· et Xenoph. στράτευμα κυμαῖνον vocat. Lucretius vero *fervere* etiam ad instructæ aciei progressum transtulit l. II. cum ebullitio et fervor fluctuantem æstuantemque undam imitentur. Sic autem ille: *legiones per loca campi Fervere cum videas, belli simulacra cientes; Fervere cum videas classem, lateque vagari:* ut et postea Maro Æn. VIII. *Fervere Leucaten.* Germanus.

Ære renidenti tellus] In codicibus aliquot *renitenti* syllaba refragante legitur. Sed enim *renidenti*, cum Romano codice, et quibusdam aliis legendum. *Renidere* enim proprium æris est, quum politum et levigatum fuerit: cujusmodi esse arma decorum est, quod a Vegetio præcipitur. Nam et Servius, *fluctuat*, splendet exponit, ut ab hac sententia non recedat. Quamvis id per metaphoram potius dictum videtur, eo quod instructæ acies fluctuum marinorum instar moveri videntur. *Renidere* vero, quamvis apud Catullum et Statium adblanditionem quandam significare videatur: apud Horatium tamen eo significatu dictum, quo hic Virgilius utitur, *Non ebur, neque aureum mea renidet in domo lacunar.* Pierius.

Miscent Prælia] Est Lucretii l. IV. *Reges expugnant, capiuntur, prælia miscent.* Cerda.

283 *Dubius Mars*] Hom. ἀλλοπρόσαλλος Mars est, Ciceroni *communis*, Livio *anceps*. Taubmann.

284 *Numeris*] Ordinationibus. *Serv.*

Omnia sint par. num. dim. viarum] Hoc refertur ad superius illud, *Indulge ordinibus.* Ut autem hic Poëta confert et committit arborum ordines cum militaribus, Cyrus quoque de hortorum suorum et arborum distributione et εὐταξίᾳ glorians, ordines suos vocabat alludens ad militiam. Itaque et convenire videtur, quod Græcis significat στίχος tam versum, hoc est, ordines arborum, quam manipulum militum et τάξιν: unde στιχηδὸν adverbium, et στιχίζω, et στιχῶμαι. Hom. Il. Β. ἐστιχόωντο Ἰλαδὸν εἰς ἀγορὴν, id est, ἐν τάξει παρεγίγνοντο. στοῖχος etiam dicitur, et στοῖχοι pro ordinibus in quincuncem, et militaribus, et στοιχέω, et στοιχηδόν· ordo etiam in quincuncem ὄγμος dicitur. Propert. de ordinibus arborum: *Et creber pariter platanis surgentibus ordo:* quamvis de area et spatio Maro accepisse, Propert. magnitudinem, et æqualitatem arborum respexisse videatur. *Germanus.*

285 *Pascat prospectus*] Delectet: ut, *atque animum pictura pascit inani.* Ser.

Non animum modo uti pascat prospectus inanem] Sic Cic. Philipp. xi. 3. *ac in corpore ejus lacerando atque vexando cum animum satiare non posset, oculos paverit suos.* Ter. Ph. i. 2. 35. *Restabat aliud nihil nisi oculos pascere.* Inde *pascere* et *delectare*, tanquam idem significantia conjunguntur in orat. Cic. in Pis. c. 20. *Emmeness.*

286 *Dabit vires*] Pro, suppetere alimentum. Res vulgaris, sed non dicta vulgariter. Lucret. ita extulit l. i. loquens de arboribus: *a terris quodque cibatur.* Iterum: *cibus ab radicibus imis—Per truncos ac per ramos diffunditur omnes.* Theophr. Hist. i. 2. τὴν τροφὴν ἐπάγεται: *cibus attrahitur.* Itaque Virgilii *vires* a cibo sunt, sed *vires* maluit, quam *cibum* dicere. Theophrast. Hist. i. 1. ita quoque extulit: ἐπίφυσιν λαμβάνει τὰ δένδρα. *Cerda.*

287 *In vacuum*] Ipse alibi: *inane*, ad rem eandem. Lucret. l. ii. utramque vocem conjunxit: *Cum per inane meant vacuum.* Idem.

Terra, neque in vacuum poterunt se extendere rami] In Romano codice, absque pronomine *se*, legitur *poterunt extendere.* ut alibi *ferro accingunt*, absque *se* et *lateri adglomerant* nostro eodem modo. In Mediceo tamen, et aliis, id pronomen habetur. *Pierius.*

288 *Forsitan et scrobibus quæ sint fastigia quæras*] Ut etiam supra diximus, scrobes sunt masculini generis. nam Cicero in Œconomicis sic dicit: et Plautus ait, *Sexagenos scrobes.* Minor autem est Lucani et Gracchi auctoritas. Nam Lucanus ait, *Exigua posuit scrobe.* Gracchus, *Abunde fossa scrobis est.* quod exemplum in Terentiano est. *Servius.*

Scrobibus] Pro humillima scrobe posuit, ut, *Hic plantas tenero abscindens de corpore matrum, Deposuit sulcis.* et rursus: *omnibus est labor impendendus, et omnes Cogendæ in sulcum, ac multa mercede domandæ.* Philarg.

Quæ sint fastigia quæras] Fastigium et summæ et imæ partis possumus dicere: sicut altum et mare et cælum dicimus. Hinc est, *Cælumque profundum.* Cum et puteus sit profundus. *Servius.*

Fastigia] Infimas altitudines dixit. *Philarg.*

Forsitan et scrob.] iv. *De conveniente scrobium fastigio* sive profunditate. Quidam hanc partem ad primum præceptum, de pastinatione, referunt. De hoc Theophrastus iii. 18. De Causs. Plinius xvii. 11. et 22. Columella iii. 13. et 19. speciatim de Arborum scrobibus, l. v. 10. *Taubm.*

289 *Ausim*] Ausus sim, audebo. *Servius.*

Sulco] Id est, fossæ. *Idem.*

Vitem ten. comm. sul. Alt. ac pen. t. d. arbos] Hic videtur Maro vitem ab arbore distinguere, nec nomenclatura arboris vitem censere et comprehendere, ut qui altius arborem statuat defigendam, vitem tenui sulco committat, arbori (ex Ascensii, nescio an vera, sententia) maritandam. Certe Ulpianus sub tit. arb. furt. cæs. l. vitem, vitem arboris appellatione complectitur: quamvis et inter rei rusticæ scriptores sint qui fruticem et θάμνον maluerint vitem, quam arborem nuncupari, quod per se ad justam arboris magnitudinem non assurgat, nec statura ordinaria multas herbas vincere cognoscatur. *Germanus.*

290 *Altior ac penitus terræ defigitur arbos, Æsculus*] Antiqua exemplaria sunt, in quibus *altior* legatur. Quæ quidem lectio in Mediceo codice subditicia est, quum prius *altius* scriptum esset. *Pierius.*

Defigitur] Ita dicas de arbore, quæ vult magnum scrobem, non de illo, quæ parvum. Aristot. Plant. i. 1. de omnibus nullo discrimine, δένδρα γῇ εἰσι πεπηγότα. et cap. 5. τῇ γῇ πεπήγασι. *Cerda.*

291 *Æsculus in primis*] Arbor est glandifera, quæ licet ab esu dicta

sĭt, tamen per *æ* scribitur; sicut et cælatum, licet a celo celas habeat derivationem. *Servius.*

Æsculus] Hæ arbores ab Homero Il. XII. dicuntur *ὑψικάρηνοι elatæ capitibus.* et l. XXIII. *δρῦς ὑψικόμους*: *quercus alticomas.* Orpheus in Argon. *ὑψηλὰς δρύας.* Philo lib. de Mundo *δρυῶν ὕψη περιμηκέστατα*: *Quercuum robora procerissima.* Lucanus: *Qualis frugifero quercus sublimis in agro.* Claudian. Stilic. II. *tendentem ad sidera quercum.* Seneca in Thyeste: *Quam* (silvam) *supra eminens Despectat alte quercus, et vincit nemus.* De quercu etiam Stat. Theb. IX. *cælo mista comas.* Silius l. X. *celsa æsculus.* et l. V. *Annosa excelsos tendebat ad æthera ramos Æsculus, umbrosum magnas super ardua silvas Nubibus insertans altis caput.* Demum Virgilius ipse: *Consurgunt geminæ quercus, intonsaque cælo Attollunt capita, et sublimi vertice nutant.* Cerda.

Æsculus] Plin. XVI. 31. *Si Virgilio quidem credimus, æsculus quantum corpore eminet, tantum radice descendit.* Æn. IV. idem de quercu. *Taubm.*

Quæ quantum vertice, &c.] Potest huic loco illud Hesiodi in Theog. convenire: *Τόσσον ἔνερθ' ὑπὸ γῆς, ὅσον οὐρανός ἐστ' ἀπὸ γαίης· Ἶσον γάρ τ' ἀπὸ γῆς ἐς τάρταρον ἠερόεντα.* *Germanus.*

Quæ quantum vertice ad auras] De quercu similia plane in Æn. IV. Neque abhorrent ista Hesiod. in Theog. etiam si de re alia: *Τόσσον ἔνερθ' ὑπὸ γῆς, ὅσον οὐρανός ἐστ' ἀπὸ γαίης· Ἶσον γάρ τ' ἀπὸ γῆς ἐς τάρταρον ἠερόεντα*: *Tantum infra sub terram, quantum cœlum distat a terra: par enim spatium a terra in tartarum caliginosum.* Neque ista Val. I. Argum. etiam si de rupe: *Stat rupes horrenda fretis, quot in æthera surgit Molibus, infernas totidem demissa sub undas.* Ovidius quoque Fast. VI. videtur ad umbram Virgilii scripsisse: *Et quantum a summis, tantum secessit ab imis Terra: quod ut fiat, forma rotunda facit.* Cerda.

293 *Non flabra*] Hoc nomen tantum pluralem recipit numerum. ab eo vero quod est flamina, flamen possumus dicere: licet sit vitandum propter aliam significationem. Nam dicitur flamen Dialis, flamen Martialis. *Servius.*

294 *Convellunt*] Quod hic *convellunt*, in Æn. IV. *eruere.* Quod hic *immota manet*, ibi, *ipsa hæret scopulis.* Cerda.

Multosque nepotes Multa virum volvens durando sæcula vincit] In Romano codice legere est: *multosque nepotes, Multa virum.* Pierius.

Multa virum volvens durando sæcula vincit] Variavit isto flexu versum Lucretii hunc l. I. *Multaque vivendo vitalia vincere secla.* Disce antiquos imitari. Ego ad lucem utriusque: *Multa virum forti pugnando prælia vicit Agmine.* Cerda.

297 *Sustinet umbram*] Supra omnem Musam. Vulgaris Poëta diceret, *efficit*, *reddit*, aut quid simile. *Idem.*

298 *Vineta*] Ἀμπελῶνες, ἀμπελόφυτα, οἰνόπεδα. *Germanus.*

Neve tibi ad solem vergant vineta cadentem] Hic habenda ratio videtur aëris, et eligendas esse tales plagas, quæ temperiei conveniunt. Sic Plinius commendat septentrionalem et præfrigidam XVII. 20. Inde sic Colum. III. 12. *Ad quæ contemplationem suam dirigat, qui vineas instituet: quæ cuncta (sicut ego reor) magis prosunt, cum suffragatur etiam status cæli, cujus regionem quam spectare debeant vineæ, vetus est dissensio. Saserna maxime probante solis ortum, mox deinde meridiem, tum occasum, Tremellio Scrofa præcipuam positionem meridianam censente. Virgilio de industria occasum sic repudiante: Neve tibi ad solem, &c. Democrito, et Mogone laudantibus cæli plagam septentrionalem, &c.* Emmen.

299 *Neve inter vites corulum sere*] Radices enim ejus nocent vitibus. *Servius.*

Neve inter vites corulum sere] In an-

tiquis exemplaribus *corulum* per u scribi, quaque ratione diximus in Bucolicis. Sunt vero, qui intelligant præceptum hoc, quia coruli sunt exiles: neque diuturnæ, minimeque idoneæ, quibus vites applicentur. Sed enim potior est caussa, quia vitibus nocent: quare inferius in antipharmacum dixit, *et in veribus torrebimus exta colurnis.* ut hostia nocens eo præcipue virgulto coquatur, quod itidem vitibus nocet. Ea enim de caussa caper Baccho immolabatur. *Pierius.*

Neve flagella Summa pete] Flagella dicuntur summæ arborum partes; ab eo quod ventorum crebros sustinent flatus. *Servius.*

Neve flagella Summa pete] Virgil. absque ullo discrimine loquens, ait non assumendos surculos, et innuit assumendos imos. nam dicit *tantus amor terræ.* Auctor etiam Geop. l. IV. ait sumenda plantaria ἐκ τῶν κατωτέρων μερῶν: *ex inferioribus partibus vitis.* Alii vero discriminant. nam idem ipse l. V. ait: τὰ δὲ κλήματα ληπτέον μήτε ἐκ τῶν ἄκρων, μήτε ἐκ τῶν κάτω μερῶν, ἀλλὰ ἐκ τοῦ μέσου τῆς ἀμπέλου: *sarmenta non capienda ex summis partibus, neque imis, sed ex media vite.* Consentit Colum. l. III. 10. *Non debet ultimum flagellum quasi fœcundum observari, etiam si plurimum afferat, siquidem loci ubertate in fructum cogitur, sed id sarmentum, quod media vite situm, non importuna quidem parte deficit, ac numeroso fœtu benignitatem suam ostendit. Hic surculus translatus rarius degenerat, cum ex deteriore statu meliorem sortitur.* Observa, *ultimum flagellum* in Columell. non esse illud, quod prope terram, sed summum, et perductissimum, quodque est ad caput vitis, quod colliges ex initio ejusdem capitis. *Cerda.*

300 *Summa destringe ex arbore plantas*] In veteribus aliquot codicibus *summas* omnino legitur. In quibus et *destringe*, non *defringe* habetur. In Romano vero, et aliquot aliis antiquioribus, *summa*, unitatis numero, sexto casu legitur. Ex arbore enim summa et ima eleganter dicere solemus. *Pierius.*

Aut summa destringe ex arbore plantas] Utraque lectio invenitur. Apud Catonem cap. 37. *Frumenta bis face sarrias, runcesque avenamque destringas.* Sic alibi apud Columellam: *oleam destringere.* Omnes tamen, quotquot mihi suppetunt, codices *defringe* habent. Pro qua scriptione Varronis faciunt verba I. 40. *Et quæ de arbore transferas, ut ea deplantes potius quam refringas.* Sed quid sit, *defringere surculum*, luculentius exponit Turnebus XXI. 24. ubi disserens de verbis Ciceronis III. de Oratore 28. quæ hæc sunt: *Etiam hac instituendo divisione utuntur: sed ita, ut non jure aut judicio, ut denique recuperare amissam possessionem, sed ut ex jure civili surculo defringendo usurpare videantur. Nam illud alterum genus, quod est temporibus, locis, reis definitum, obtinent; atque ad ipsum lacinia.* Quorum verborum hanc sententiam esse puto; Academici et Peripatetici non ultra consultationem partiuntur: eam tamen usurpant, et sibi vindicant in instituendo, cum theses declamare soleant, ita quod oratorum proprium est, non legitimo XII. tabularum jure vindicant, non judicio recuperatorio repetunt, ne prætorio quidem interdicto, quo in possessionis causis judicia ordinantur, amissam possessionem recuperant, sed tanquam quadam jurisconsultorum auctoritate, introducta vi festucaria, quia in locis consitis quadam solemnitate surculum defringebant vindiciarum loco, qui suam rem esse contendebant, Peripatetici et Academici consultationes sibi adsciscunt et usurpant. Quantum ad præceptum Virgilii, confirmat hoc Colum. III. 17. negans superiorem partem materiæ idoneam esse frugibus, eas autem taleolas destringendas et terræ mandandas, quæ ei vici-

niores sunt, quia melius proveniunt, et feraciores sunt. *Emmeness.*

Plantas] Sagittas dicit, id est, sarmentum, de summa parte præcisum. *Philarg.*

Plantas] Hac voce intelligit surculos. Hoc significato accepit Varro Rei Rust. I. 55. *Qui quatiet, ne adversam cædat: sæpe enim ita percussa olea secum defert de ramulo plantam.* Hoc Virgilius supra: *His plantas tenero abscindens de corpore matrum.* Theophr. Caus. I. θαλλείας vocat. Inde etiam seminaria dicuntur *plantaria.* Cerda.

301 *Tantus amor terræ*] Sic diligenter a rusticis ager est colendus. *Servius.*

Tantus amor terræ] Possit esse forma adagii, qua uteris, cum sermo sit de homine despiciente præ terrenis, et caducis cœlestia, et æterna: de aulico ambiente honores, et solidam virtutem contemnente: de avaro præferente nummos sanctitati. *Cerda.*

Ferro læde retuso] *Retuso*, obtuso, quo vites quassantur potius, quam putantur. *Servius.*

Retuso] Quare *retuso?* solvitur, quoniam hebes ferrum vulnerat magis, quam secat. *Philarg.*

Neu ferro læde retuso] In exemplaribus antiquioribus *retunso* legitur, ut *vomeris obtunsi*, de quo alibi. *Pierius.*

Neu ferro læde retuso] Acuto ergo: nam plaga, quia celerior, ideo mitior, et levior. Colum. v. 10. *Semina lege sine ulceribus, integro libro: ea bene, et celeriter comprehendent.* Theophr. Caus. III. 10. ideo ait perpurgandas arbores σιδήροις ὡς ἐλαφρότατα: *ferro perquam levissime, perquam celerrime.* Addit rationem: κίνδυνος γὰρ ἅμα τῷ πόνῳ διὰ τὴν ἕλκωσιν: *Est enim periculum interitus ab ulcere.* Et hoc est, quod idem ait Hist. IV. 16. vitem sarculandam esse, ὅταν τῇ ἐργασίᾳ συμπάθῃ: *Cum cultura illam læserit*, nimirum præ imperitia. Auctor Geopon. I. v. loquens de radicibus vitium, quæ interdum secandæ, ait illas auferendas ὀξυτάτῳ δρεπάνῳ: *falce acutissima.* et alibi: δεῖ δὲ τῶν πρὸς τὴν κλαδείαν δρέπανα ὀξύτατα καὶ τομώτατα εἶναι: *oportet falces ad putationem esse acutissimas, et penetrantissimas.* Eodem videtur pertinere, quod postea in alio cap. ait, non amputandam vitem λοξῇ τομῇ, *obliqua cæsura, obliqua plaga*, nam hæc major est recta. Columel. late de hoc præcepto IV. 24. *Cerda.*

302 *Neve oleæ silvestres insere truncos*] Non quod non prosit, sed ut etiam ipse dicit, propter casum incendii. *Servius.*

Neve oleæ silvestres insere truncos] Nituntur ista præcepto Theophr. Caus. III. 15. χαλεπώτατα δὲ καὶ ἀμπέλῳ, καὶ τοῖς ἄλλοις συκῆ, καὶ ἐλαία. καὶ γὰρ τροφὴν πολλὴν ἀμφότερα λαμβάνει, καὶ σκιὰν παρέχει πλείστην: *Molestissima tam viti, quam ceteris, ficus atque olea: nam et alimenti plurimum exsugunt, et faciunt umbram maximam.* Subticuit hic rationem incendii, sed illam adducit Hist. v. 10. ἐμπυρεύεται δ' ἄριστα, καὶ συκῆ, καὶ ἐλαία. συκῆ μὲν ὅτι γλίσχρον τε καὶ μανόν, ὥστε ἕλκει τε καὶ οὐ δίεισιν. ἐλαία δὲ, ὅτι πυκνὸν, καὶ λιπαρόν: *Principes sunt ad incendium ficus, atque olea: ficus, quia lenta, et rara; ideoque, quæ semel attrahit, non dimittit: olea, quia spissa, et pinguis.* Ideo Poëta, *pingui sub cortice.* Habes ergo ex primo loco Theophrasti, ficum et oleam esse infestam vineis, ex altero rationem incendii. Ergo Poëta, (ut ex consecutione operis clare apparet) vetat inserendos, id est, plantandos oleastros inter vites, uti etiam vetuit interserendam corylum. *Cerda.*

Silvestres truncos] Æqua periphrasi pro oleastro dixit Statius Theb. VI. *fera oliva.* In Græco versiculo vidi ἀγριέλαιαν. Themistius apud Iunium IV. 21. ita circumscribit: τὴν ῥίζαν τῆς βλάστης ἀκέραιον: *radicem germinis puram.* Quia videlicet nondum

olea admista, aut inserta, ex arte humana. *Idem.*

303 *Incautis pastoribus*] Negligentibus, circa alia occupatis. *Servius.*

Excidit ignis] Hom. Il. O. δαλὸς δέ οἱ ἔκπεσε χειρός· Idem eodem: ἢ ἀλοὸν πῦρ Οὔρεσι μαίνηται βαθέης ἐνὶ τάρφεσιν ὕλης. Apoll. l. iv. Ὡς δ' ὅτε τυφομένης ὕλης ὕπερ αἰθαλόεσσαι Καπνοῖο στροφάλιγγες ἀπείριτοι εἱλίσσονται, Ἄλλη δ' αἶψ' ἑτέρη ἐπιτέλλεται αἰὲν ἐπίπρο Νειόθεν εἰλίγγοισιν ἐπήορος ἐξανιοῦσα. Ut autem hic victorem ignem Poëta, sic et infra flammas ovantes. Non omittendum autem constare inter Physiologos, quod et agnoscit Lucret. lib. i. ex agitatione et mutuo arborum in silvis attritu et collisione ignem ultro creari et exprimi: unde et Aristot. l. ii. de cælo: ἡ δὲ θερμότης ἀπ' αὐτῶν, καὶ τὸ φῶς γίγνεται, παρεκτριβομένου τοῦ ἀέρος ὑπὸ τῆς ἐκείνων φορᾶς· πέφυκε γὰρ ἡ κίνησις ἐκπυροῦσα καὶ ξύλα, καὶ λίθους, καὶ σίδηρον· quibus et Thucyd. l. ii. assentitur, ἤδη γάρ, inquiens, ἐν ὄρεσι ὕλη τριφθεῖσα ὑπ' ἀνέμων πρὸς αὑτήν, ἀπὸ ταυτομάτου πῦρ καὶ φλόγα ὑπ' αὐτοῦ ἀνῆκε· quod animadvertit doctissimus vir Lambinus mihique amicissimus in eundem Lucretii locum. Repetit autem eandem demonstrationem Lucret. l. v. eo loco: *Et ramosa tamen cum ventis pulsa vacillans æstuat, in ramos incumbens arboris arbor.* Germanus.

305 *Robora comprendit*] Infra Æn. vii. *comprendit crinibus ignem*, de simili pene deflagratione. Hæc et Plutarch. in Polit. præcep. ἐπεὶ δὲ ὥσπερ ἐμπρησμὸς οὐ πολλάκις ἐκ τόπων ἱερῶν ἄρχεται, καὶ δημοσίων, ἀλλὰ λύχνος τις ἐν οἰκίᾳ παραμεληθείς, ἢ συρφετὸς διακαείς, ἀνῆκε φλόγα πολλήν, καὶ δημοσίαν φθορὰν ἀπεργάζεται, &c. *Idem.*

Frondesque elapsus in altas] Nonnulla ex veteribus *elabsus* scribi per *b* characteristicum thematis, ita etiam in Ge. iii. *labsus*, et alibi eodem modo. Harum vero literarum *b*, et *p*, vicissitudinarium consensum superius ostendimus: unum addam exemplum, quod e contrario carpo, et scribo, quum præteritum faciunt characteristicum præsentis in sibi cognatam mutant, ut *scribo scripsi* facit: contra vero *carpo carbsi*: per *b* enim præteritum verbi hujus enuntiari, Terentius Scaurus attestatur. Sed et scripsi per *b* in antiquis et probatis exemplaribus invenio. Ut in Terentiano codice Vaticano, quem plerique omnes docti homines magni faciunt, scriptum est: *Tu te his rebus finem præscribsti pater.* Quare mihi non fit mirum, in tanta sententiarum varietate, ut *labor* verbum, characteristicum suum in præterito retinere possit. *Pierius.*

308 *Et totum involvit flammis nemus*] Homer. Il. ii. sic prior: πῦρ ἀΐδηλον ἐπιφλέγει ἄσπετον ὕλην. Par incendium habes in Il. xx. Ὡς ἀναμαιμάει βάθε' ἄγκεα θεσπιδαὲς πῦρ Οὔρεος ἀζαλέοιο, βαθεῖα δὲ καίεται ὕλη. Πάντῃ τε κλονέων ἄνεμος φλόγα εἰλυφάζει: *Quemadmodum autem furit per profundam vallem sævus ignis Montis aridi, profunda autem ardet silva. Ubique autem turbans ventus flammam convolvit.* Quint. Calab. l. x. ἀναζαλέης ξυλόχοιο Πῦρ τρομεῖ αἰθόμενον. *Diffunditur incendium per fruteta arida.* Plenius l. xiii. Εὖτ' ὄρεος λασίῃσιν ἄδην κατακείμενον ὕλης Ἐσσυμένως καίηται ὑπὲρ πυρὸς ὀρνυμένοιο Ἐξ ἀνέμων, δολιχαὶ δὲ περιβρομέουσι κολῶναι: *Non aliter ac mons vestitus hirsutis silvis Raptim conflagrat incendio excitato Ventorum impetu, longi autem circumstrepunt colles.* Vide etiam uti Homerus describat Il. xxi. arbores incensas a Vulcano juxta Scamandrum fluvium. et ut Silius segetes, Punic. vii. et uti Apollon. silvam, Argon. iv. *Cerda.*

Et ruit atram] Egerit, emittit, ruere facit. Nam modo *ruit* agens est. *Servius.*

Et ruit atram Ad cælum, &c.] H[...] ii. Αἴγλη παμφανόωσα δι' αἰθέρος [...]

νὸν ἧκε. Lucret. lib. I. *Ad cœlumque ferant flammai fulgura.* Isti pro aëre cœlum. Clarius Calab. l. XIII. Φλὸξ δ' ἄρ' ἐς ἠέρα δῖαν ἀνέγρετο : *flamma subvolvebantur in aërem.* Cerda.

309 *Picea caligine*] Hinc Valer. Flac. Argon. I. *piceoque premit nox omnia cœlo.* Idem.

Nubem] De fumo, et igni. ita Æn. III. de Ætna: *prorumpit ad æthera nubem.* Claudian. de eadem: *piceaque gravatum Fœdat nube diem.* Idem.

310 *A vertice*] Ab Aquilone. ut, *Hic vertex nobis semper sublimis.* Serv.

Præsertim si tempestas a vertice] Negat Victorius Servii sententiam defendi posse, ut *a vertice*, ab Aquilone accipiamus: sed potius pro eo quod est a superiore cæli parte, vel stirpium. Certe, ut me Victorii partibus adjungam, *a vertice*, id simpliciter significare puto, quod Græcis κατ' ἄκρας, et ἐξ ἄκρας, et ἐς τὰ ἄκρα· nam non solum Homero Boreas ἀκραὴς, sed et Zephyrus, et nonnunquam venti alii ἀκραεῖς quoque dicuntur, hoc est, ἄκρως πνέοντες, et εὐκραεῖς, quod huic loco convenire non potest, cum hic tempestatem ventique impetum locus præ se ferat. Favet autem Victorii nostræque interpretationi illud Arati φαιν. εἰ δέ κε νηῒ Ὑψόθεν ἐμπλήξῃ δεινὴ ἀνέμοιο θύελλα Αὔτως ἀπρόφατος, ut ὑψόθεν ἐμπλήξῃ respondeat τῷ *a vertice incubuit.* Quin ambitu forte verborum ventum significat, quem ἐπιζαῆ vocat Hom. Od. M. ὦρσεν ἐπιζαῆν ἄνεμον νεφεληγερέτα ζεύς. *Germanus.*

Tempestas a vertice Incubuit] Ad verbum pene Aratus in Phænom. Ὑψόθεν ἐμπλήξῃ δεινὴ ἀνέμοιο θύελλα. Itaque quod Homer. Odys. V. κατ' ἄκρης, et Virg. *a vertice.* Aratus, ὑψόθεν. Quod Virg. *incubuit.* ille, ἐμπλήξῃ. Versus integer sapit hunc Lucretianum lib. II. *Præsertim cum tempestas arridet, &c.* Cerda.

311 *Incubuit*] Tempestas impotentior et atrocior infertur, quæ a vertice, id est, superne, ut Æn. I. 118. *ingens a vertice pontus*, dejecta est, et eleganter dicitur *incumbere*, cum desuper veniat, ut notat Turneb. XII. 5. Locus Victorii, quem Germanus citat supra libro occurrit var. lect. XIX. 8. *Emmeness.*

Ferens] Flans. ut, *Fieret vento mora ne qua ferenti.* Servius.

Ferens ventus] Id est, incitatus vehementi flatu, quæ auget incendium, sæpe *ventus ferens* idem, *quod ventus secundus.* Sic Æn. IV. 43. *Expectent facilemque fugam, ventosque ferentis.* Ovid. Heroid. ep. XVI. 125. *Ventisque ferentibus usus Applicor in terras.* Emmeness.

312 *Hoc ubi*] Subaudi contigerit. *Servius.*

Hoc ubi] Quidam distinguunt, *hoc ubi non.* et erit sensus: ubi oleæ in oleastrum insitæ non fuerint, etiam si incendio conflagrarint, exustæ a trunco reviviscent, et cæsæ reverti possunt, *atque ima similes revirescere terra.* Insitæ autem cum summe perierint, oleastri truncus remanet. *Philarg.*

314 *Superat*] Superest. ut, *Quid puer Ascanius, superatne?* Servius.

Foliis oleaster amaris] Lucret. lib. VI. *At nihil est homini fronde hac quod amarius exstat.* Græcis *oleaster* ἀγριέλαιος et ἀγριελαία· quam et alii, auctore Dioscoride, κότινον, καὶ ἐλαίαν αἰθιοπικὴν vocant. *Germanus.*

Infelix superat foliis oleaster amaris] Diximus alibi *infelices arbores* dici steriles, sic et hoc loco *oleaster infelix*, est sterilis, cui opponitur frugifera oliva, ut Turn. XIII. 21. quæ ideo *felix* dicitur, ut Æn. VI. 230. *Spargens rore levi, et ramo felicis olivæ.* et Æn. VII. 751. *Fronte super galeam, et felici comptus oliva.* Emmeness.

315 *Nec tibi tam prudens quisquam*] Dicit quo tempore vites ponendæ sint: et probat tolerabiliter autumno, melius verno. nam dicturus, *Ver*

adeo frondi nemorum, ver utile silvis. Servius.

Nec tibi tam prudens] Præceptum hoc est in omnibus scriptoribus rerum rusticarum. Libavit Ovid. Fast. I. *Omne reformidat frigore vulnus humus.* Cerda.

Nec tibi, &c.] VII. *De tempore, quo vites pastinandæ et conserendæ sint*: et probat, tolerabilius auctumno, melius verno: nam dicturus est vs. 323. *Ver adeo, &c.* Vide Colum. III. 14. *Taubm.*

316 *Moveri*] Non arari prohibet: neque enim hic de arvis loquitur, sed scrobes fieri vetat. *Philarg.*

Tellurem moveri] Pro arari, ita infr. *Sollicitanda tamen tellus, pulvisque movendus.* Iterum: *Agricola incurvo terram dimovit aratro.* Pari phrasi Ovid. Met. v. *Prima Ceres unco terras dimovit aratro.* Jul. Maternus c. 3. *Novit agricola quando terram aratro dimoveat.* Ante omnes Xenophon in Œcon. σκληρὰ ἔσται ἡ γῆ κινεῖν τῷ ζεύγει: *erit terra aspera, ut aratro moveatur.* Iterum: εἴ τις αὐτὴν (γῆν) ἐν μέσῳ τῷ θέρει κινοίη τῷ ζεύγει: *si quis terram æstate media, ac die medio aratro moveat.* Cerda.

Tellurem Borea rigidam spirante moveri] In Romano codice *moveri* legitur: quod minime displicet. Impersonale enim habet nescio quid magis generale, ex Servii sententia: nam etiam in segetum cultu præceptum hujusmodi dedit: et Borea flante, neque arandum, neque serendum monent agricolationis magistri. *Pierius.*

Tellurem Borea rigidam spirante moveri] Terram *frigidam* ut Non. Marcell. l. IV. vel potius frigore adstrictam arari, vel scrobes fieri, ut Philarg. ne per te, vel alius consilio utens, patiaris. sic Ovid. trist. III. 10. 48. *rigidas aquas.* pro quo Horat. epist. I. 18. 105. *rugosum frigore pagum* dixit. Et *rigor* pro frigore Lucret. l. v. *Tandem bruma nives adfert pigrumque rigorem.* Cæterum vim Boreæ describit in induranda tellure Ovid. in Elegia supra nominata. *Emmeness.*

317 *Rura gelu tunc claudit hiems*] Huic locutioni opponit postea, *Laxant arva sinus.* Cicer. opponit verbo *comprimo, relaxo.* lib. IV. de Rep. apud Non. *Cumque autumno terras ad concipiendas fruges patefecerit, hieme ad conficiendas compresserit, vere ad effundendas relaxarit.* Itaque tellus hieme dicetur *clausa, compressa.* Vere *laxata, relaxata,* ex Musa unius, ex prosa alterius. *Cerda.*

Nec semine jacto] Syllepsis per adsumptionem casus. Nam ex ablativo, id est, semine, assumendus nominativus, hoc est, semen. et erit sic: nec semine jacto patitur semen radicem terræ affigere. *Philarg.*

318 *Concretam radicem*] Ante enim quasi gutta quædam est ex terra et humore procreata, quæ postea tenditur in radicem. *Servius.*

Concretam] Concreta vero utcunque. *concreverit* autem, commixtam dixit: et *jacto hic semine,* id est, deposito. *Philarg.*

Radicem affigere terræ] Admodum poëtice, et ex natura scrobium, quibus tanquam foraminibus surculi infodiuntur. Imitatur Ovidius Remed. I. *Ipse potes riguis plantam defigere in hortis.* Cerda.

319 *Optima vinetis satio*] Non vites solum, sed omnes arbores serendas aut vere, aut autumno, liquidum est axioma. De Vere statuit Theophrast. Caus. III. 4. et addit rationem, αὐτά τε γὰρ τὰ φυτὰ προωρμημένα, καὶ ἀὴρ μαλακὸς καὶ εὐβλαστὴς, καὶ ὅλως ἡ ὥρα γονιμωτάτη: *Plantæ enim sponte quadam concitatæ jam sunt. est etiam aër benignus, et genitalis, tempus omnino fœcundissimum.* Addit plura. Auctor Geopon. ait, plantandas quoque vites ἔαρος ἀρχομένου, et Ζεφύρου πνέοντος: *Inchoante vere, flante Zephyro.* Videndum quartum integrum caput Theophr. ex Caus. III. ubi satio verna autumnali præfertur. Sed quoniam

Poëta et ver, et autumnum exhibet, firmanda quoque hæc pars. Theophr. Caus. cap. 8. post mentionem veris, et autumni, καθ' ἃς καὶ φυτεύουσι μᾶλλον· καὶ κοινοτέρως ἐν τῷ ἦρι: *In quibus potius fit satio: sed communius vere.* Columel. III. 14. distinguit, et ait vitem conserendam esse vere, ubi cœlum est pluvium, aut frigidum, ubi ager pinguis, campestris, uliginosus. Rursum autumno, ubi cœlum siccum, et calidum; ubi ager exilis, aridus, macer, præruptus. Eodem videntur pertinere, quæ scribit IV. 10. de tempore putationis. *Idem.*

Vere rubenti] Floribus splendido. *Servius.*

Vere rubenti] Ductum ex Græcis Poëtis, qui sæpe ἔαρ φοινικάνθεμον, et φοινικόπεπλον. ita supra *ver purpureum.* Ut et Oppian. Ἔαρ πορφύρεον. et vetus Poëta in descriptione veris: *Ipsa gemmeis purpurantem pingit annum floribus.* Iterum: *In pudorem florulentæ prodierunt purpuræ.* Nonnus Dionys. III. καρπὸς ἐρευθιόων. *Cerda.*

320 *Candida venit avis*] Juvenalis, *Serpente ciconia pullos Nutrit.* Serv.

Candida venit avis] Ciconiæ periphrasis, quæ an a Ciconibus, in ripa Hebri positis, juxta Melam II. 2. an a sono, quo crepitant, quasi Cicaniæ, ut annuit Isidorus, indagare non lubet. Et quamvis πελαργὸς Græce ab utroque colore appelletur, vel ut Græcus interpres διὰ τὸ ἔχειν πτερὰ μελάντερα καὶ λευκά. πελὸν enim idem quod μέλαν, ἀργὸν idem quod λευκὸν, *candida* tamen dicitur, ut Ovid. Met. VI. 96. *Sumtis quin candida pennis Ipsa sibi plaudat crepitante ciconia rostro.* pro *crepitare* in Carm. de Philomela *glotorare* habes. nigras tamen inventas esse narrat Gesnerus lib. III. de avibus. Verni temporis nuntius est, ut Isidorus XII. 7. et ex decantato illo Poëtæ versu, Δός μοι εὐαγγέλιον, ὅτι εἴαρος ἦλθε πελαργός. Petronius insignem hujus avis descriptionem tradens idem affirmat. Ciconia etiam grata, peregrina, hospita, pietaticultrix, gracilipes, crotalistria, *Avis exul hiemis, titulus tepidi temporis.* Plin. X. 23. *æstatis advenus* vocat. Quo autem tempore veniant, non adeo obscurum est. Plerumque circa VIII. Cal. Martias, teste Schoockio c. 2. de Ciconiis. Stata habent tempora adventus sui, sicut discimus ex Jeremia VIII. 7. *Nemo venire, sed venisse cernit* juxta Plinium cap. notato. Unde? incompertum habemus, si Plinio accedimus. Latere eas hiberno tempore vult Aristot. hist. animal. VIII. 16. Conjecturas hac de re ex Gesnero, et Schoockio pete c. 3. de Ciconiis. *Emmeness.*

Avis longis invisa colubris] Capitale fuisse in Thessalia narrat Aristot. lib. θαυμ. ἀκουσ. ciconiam interficere, quod provinciam serpentibus repurgaret, his: περὶ Θετταλίαν μνημονεύουσιν ὄφεις ζωογονηθῆναι τοσούτους, ὥστε εἰ μὴ ὑπὸ τῶν πελαργῶν ἀνῃροῦντο, ἐκχωρῆσαι ἂν αὐτούς. διὸ καὶ τιμῶσι τοὺς πελαργοὺς, καὶ κτείνειν οὐ νόμος· καὶ ἐάν τις κτείνῃ, ἔνοχος τοῖς αὐτοῖς γίνεται, ὥσπερ καὶ ὁ ἀνδροφόνος. *Germanus.*

Longis invisa colubris] Isidorus XII. 7. *Serpentium hostes* nominat. Ideo petunt lacus et fluvios, ut Aristot. hist. animal. VIII. 3. Huc faciunt verba Plin. X. 23. *Honos iis serpentium exitio tantus, ut in Thessalia capitale fuerit occidisse, eademque legibus pœna, quæ in homicidam.* Sic Stephanus de urbibus in voce Θεσσαλία: ἐν ταύτῃ οὐκ ἔξεστι τοὺς πελαργοὺς κτείνειν· τοὺς γὰρ τῆς χώρας ὄφεις ἀναιροῦσιν. *Emmeness.*

323 *Ver adeo*] Hinc incipit veris descriptio. Longum esset temporis hujus elogia conferre. Ab Nazianzeno Orat. XLIII. vocatur ἡ βασίλισσα τῶν ὡρῶν: *princeps anni pars et regina.* Ab Herodoto lib. VII. pars totius anni probatissima, ἐν τῷ ἐνιαυτῷ ἐστὶ τὸ ἔαρ δοκιμώτατον. Ab Oppian. Cyn. I. *aureum*, εἴαρι χρυσείῳ. Ab Ovid. Fast. IV. *formosum tempus.* Hic a

Virgil. *utile.* et postea *rubens*, sicuti ab Oppiano *purpureum*. Reliqua obvia erunt Lectori. *Cerda.*

Adeo] Abundat. *Philarg.*

Utile] Bis subaudiendum. *Idem.*

324 *Vere tument terræ*] Asper simpliciter accipit, ut *terræ* nominativus sit pluralis. Donatus vero *terræ* genitivum vult esse singularem: ut sit sensus mutata distinctione, *Vere tument silvæ*, scilicet a superioribus; *terræ et genitalia semina poscunt.* Id est, tument silvæ, et genitalia semina terrarum requirunt. Sed melius Asperum sequimur: ut *Genitalia semina*, quæ nos jacimus intelligamus; non quæ ex terra silvæ suscipiunt. *Genitalia* autem dicimus semina, quibus aliquid procreatur et gignitur. *Serv.*

Tument] Suspenduntur. *Idem.*

Tument terræ] Explicat Turn. xxv. 39. Poëtam cum respectu ad virgines, quæ plena jam pubertate, et cum maturæ sunt viro, tumescunt, præsertim pectore et mammis. Et firmat, quia a Papin. Theb. II. dictum est: *tumida cum virginitate jugari.* Victorius ait VIII. 22. respectum ad verbum Græcum ὀργᾷν, quo usi sunt in agresti Theophrastus, et Plutarchus. Prior Caus. III. ὀργῶσαν γῆν dixit: *terram tumentem.* Posterior loquens de taxo, ὅταν ὀργᾷ πρὸς τὴν ἄνθησιν: *Cum tumet, ut erumpat in flores.* Additque, inde iram Græcis vocatam ὀργὴν a tumore, quod Horatius significavit, cum de irato dixit od. I. 13. *Fervens difficili bile tumet jecur.* Certe non dubium, quin Poëta respexerit ad ὁμιλίαν, καὶ συνουσίαν. nam supra *genitalia semina.* et Lucret. l. IV. *irritata tument loca semine.* Iterum: *Qui ciet irritans loca turgida semine multo.* Explico vero ego, quod sit terram tumescere, advocato loco Theophrasti percommodo ex Caus. III. 3. ὀργᾷ δὲ (γῆ) ὅταν ἔνικμος ᾖ, καὶ θερμὴ, καὶ τὰ τοῦ ἀέρος ἔχῃ σύμμετρα. τότε γὰρ εὐδιάχυτός τε, καὶ εὐβλαστὴς, καὶ ὅλως εὐτραφὴς ἐστι: *Tumet tellus, cum humida est, cum tepida, cum statum aëris temperatum habet: tunc enim agilis est, fertilis, læta.* Cerda.

325 *Pater omnipotens fecundis*] Interdum pro aëre Juno, et pro æthere Juppiter accipitur. Aliquoties et pro aëre, et pro æthere Jupiter. Juno vero pro terra et aqua: sicut hoc loco intelligimus. Nam æther non habet pluvias, unde ætherem pro Jove accipimus: cui tribuuntur aër et æther: quæ duo mixta terræ et humori universa procreant. Dicit autem verno tempore esse pluvias, quibus cuncta nascuntur. unde *fecundis imbribus* dixit: quibus terra fecundatur. *Servius.*

Tum pater omnipotens] Hunc locum videtur Virg. mutuatus a Lucret. l. I. *Postremo pereunt imbres, ubi eos pater Æther In gremium matris terrai præcipitavit.* Videtur autem hic ex disciplina Stoica locutus, et Chrysippi præsertim, qui fusionem illam purissimi ætheris per singulas res Deum esse censuit, fatalem necessitatem, et futurorum omnium certissimam providentiam, qui ratione homines, animalia sensu afficiat, terram seminibus impleat, quibus innumerabiles stirpium nascentium formæ propagentur, et in lucem erumpant spiritu illo æthereo excitatæ: unde et συνεκτικὸν αἴτιον nominarunt. Sed et generationem omnem Lucret. l. V. terræ ætherique tribuit, his: *Linquitur, ut merito maternum nomen adepta Terra sit, e terra quoniam sunt cuncta creata. Quo minus est mirum si tum sunt plura coorta, Et majora nova tellure, atque æthere adulto.* Lucretii quoque l. II. locus huic congruit, *Omnibus ille idem pater est, unde alma liquentes Humorum guttas mater cum terra recepit, Fœta parit nitidas fruges, arbustaque læta, Et genus humanum.* Qui Lucretiani versus ducti videntur ab illis Eurip. Ἐρᾷ δ' ὁ σεμνὸς οὐρανὸς πληρούμενος Ὄμβρου πεσεῖν εἰς γαῖαν ἀφροδίτης ὕπο, Ὅταν δὲ συμμιχθῆτον εἰς ταυτὸν

δύο, Φύουσιν ἡμῖν πάντα καὶ τρέφουσ' ἅμα. Ut *fœcundos imbres* hic, sic et Eurip. in Suppl. ἀπ' οὐρανοῦ Σταγόνας ὑδρηλὰς, ὡς τάγ' ἐκ γαίης τρέφῃ· ut denique *gremium conjugis*, sic et idem Eurip. χθόνα εὐρύκολπον vocavit. Plato quoque leg. η. ὕδωρ μὲν πάντων τὸ περὶ τὰς κηπείας διαφερόντως τρόφιμον. Sunt et quibus non incommode Poëta videtur per Ætherem Jovem innuere, qui quinto corpori et cælo præest, et veris tempore rerum regenerationem et renovationem instaurare et auspicari videtur, tum cum aërem ipsum calfacit, et cum uxore ἥρᾳ, hoc est, aëre committitur: iisdemque caloribus terra quoque vicinitate provocari ad conceptionem et partum apparet, ut fruges genus omne summittere incipiat. Cui sententiæ favet et illud Platonis in Cratylo, ἥρα δὲ ὡς ἐρατή τις· ὥσπερ οὖν καὶ λέγεται ὁ ζεὺς αὐτῆς ἐρασθεὶς ἔχειν, ἴσως δὲ μετεωρολογῶν ὁ ὀνομαθέτης τὸν ἀέρα ἥραν ὠνόμασεν ἐπικρυπτόμενος θεὶς τὴν ἀρχὴν ἐπὶ τελευτὴν, γνοίης δ' ἂν εἰ πολλάκις λέγοις τὸ τῆς ἥρας ὄνομα· suffragatur et quod Plato αἰθέρα vult dictum παρὰ τὸ ἀεὶ θεῖν περὶ τὸν ἀέρα ῥέοντα οἱονεὶ ἀειθῆρα. Hoc autem versu Maro, *Magnus alit mag. comm. corp. fœtus*, alludit ad Jovem Græcorum ἐπικάρπιον, tanquam *frugipotentem*, qui et ὄμβριος· de quo Lycoph. Γύας τιθαιβώσσοντος ἀρδηθμῷ διός· et Orph. Πέμπειν καρποτρόφοις ὄμβροις ἐπὶ μητέρα γαῖαν. *Germanus.*

326 *Conjugis in gremium*] Ex Lucret. qui l. I. *In gremium matris Terrai.* Et II. *Pingere Telluris gremium.* Cerda.

327 *Magno commixtus corpore fœtus*] Pro corpori. ut, *Hæret pede pes.* Item alibi, *Et magno se corpore miscet.* Licet possimus accipere, Commixtus terræ magno sub corpore, id est, ætherio. *Servius.*

Corpore] *Corpore* aut suo, aut terræ. sic *terræ* pro corpori. *Philarg.*

328 *Avia tum resonant*] Non dubito istam sententiam sumtam e Lucr. l. II. *Et variæ volucres, nemora avia pervolitantes, Aëra per tenerum liquidis loca vocibus opplent.* Iterum: *Et quæ pervolgant nemora avia pervolitantes.* Inde ego in Virgilio subaudivi *nemora.* Est vero hæc nota maxima verni temporis. Vetus Poëta Græcus Anthol. l. I. describens ver: Πάντῃ δ' ὀρνίθων γενεὴ λιγύφωνος ἀείδει: *Aëra concentu mulcet genus omne volucrum.* Mox numerat halcedines in fluctibus, hirundines in domibus, cycnum in fluminibus, lusciniam in lucis, suaviter omnes modulantes. Vetus item Latinus apud Lips. I. 5. ver etiam describens, *Et canoras non tacere Diva jussit alites, Jam loquaces ore rauco, stagna cycni perstrepunt.* Et supra dixerat: *Ver novum, ver jam canorum.* Ab Anonymis transeo ad certos. Nazianz. orat. XLIII. in pulcerrima veris descriptione. ἀρτὶ δὲ καλιὰν ὄρνις πήγνυται, καὶ ὁ μὲν ἐπανέρχεται. ὁ δ' εἰσοικίζεται, ὁ δὲ περιίπταται, καὶ καταφωνεῖ τὸ ἄλσος, καὶ περιλαλεῖ τὸν ἄνθρωπον: *jam avis nidum construit, atque alia quidem redit, alia immigrat, alia circumvolat, ac nemus cantu suo implet, hominemque garritu demulcet.* Libanius in Prog. describens ver, ᾄδει μὲν ἔαρι χελιδὼν, ᾄδει δὲ καὶ ἀηδὼν, καὶ πανδίονος θυγατέρες: *Canit vere hirundo, canit luscinia, utraque filia Pandionis.* Mox volucres alias inducit πανταχοῦ πετόμενα, *ubique pervolitantes.* Eandem notam Ovid. posuit in duplici descriptione, ejusdem temporis, videlicet Fast. I. *Et tepidum volucres concentibus aëra mulcent.* Et Trist. III. 12. *Indocilique loquax gutture vernat avis.* Et Manil. l. III. ver describens: *totumque canora Voce nemus loquitur.* Sicut et Stat. Syl. IV. *nunc volucrum novi Questus, inexpertumque carmen, Quod tacita statuere bruma.* Et Synesius Epist. CXIV. ποικίλαι δὲ καὶ ὀρνίθων ᾠδαὶ, καὶ ἀνθέων χροιαὶ, καὶ λειμῶνος θάμνοι: *Varii avium cantus, florum colores, prati frutices.* Cerda.

329 *Certis diebus*] Statutis, legiti-

mis, a natura arcana quadam ratione dispositis: ut tractat Lucretius, qui dicit rationem hanc ex ætherio calore descendere. *Servius.*

Certis] *Certis* pro his, neque aliis ullis. *Philarg.*

Et Venerem, &c.] Non omiserunt alii istam notam veris: indicabo nonnullos huic loco illustrando, et ideo tantum indicabo, ne persequar rem indignam auribus. Vid. itaque Oppian. Hal. I. et Cyn. Ovidium in descriptione veris Fast. l. IV. Lucretium l. I. Varronem Rust. II. 7. Manilium l. III. Aristotelem Animal. v. 8. et VI. 18. Libanium in Prog. ubi ver describit. Huic loco servire potest mos ille Persarum, apud quos nulla erant matrimonia legitima, nisi quæ facta vere ineunte. Et alter Amazonum (scribit hoc Cæsarius Dialog. 2.) quæ semel in anno verno tempore erant cum viris. Sed observanda verba illa, *certis diebus.* Ita sane est; nam unus tantum homo semper intemperans, animantia ferme cetera statis temporibus. Quadrant in hunc locum verba ista Plinii X. 63. *Ceteris animalibus stati per tempora anni concubitus, homini (ut dictum est) omnibus horis dierum noctiumque. Ceteris satietas in coitu, homini prope nulla.* Arist. Hist. v. 8. cum præmiserit reliquis animantibus esse statuta tempora concubitus, adjicit, ἄνθρωπος δὲ μάλιστα πᾶσαν ὥραν: *Homo imprimis temporibus omnibus.* Lege quæ scripsit Rhodig. II. 31. et quæ in hunc locum ex Plutarcho, et Xenophonte adducit Germanus. Atque ista Arist. l. II. de Animal. ὧραι δὲ καὶ ἡλικίαι ἑκάστοις τῆς ὀχείας εἰσιν ὡρισμέναι τῶν ζῴων. Non egent versione ex verbis Plinii. *Cerda.*

330 *Parturit*] Eadem metaphora Plinius XVI. 25. de arboribus: *Pariunt vero cum florent.* Iterum: *vitis bis parturit.* Cic. Nat. II. de Terra: *gravidata seminibus omnia pariat.* Cyprianus epist. II. cum respectu ad terram: *exilis ingenii angusta mediocritas tenues admodum fruges parit, nullis ad copiam fœcundi cespitis culmis ingravescit.* Recurre ad tertiam Eclogam. *Idem.*

Almus ager] Ab eo, quod nos alat. *Servius.*

Zephyri] Favonii. alibi, *Et Zephyro putris se gleba resolvit.* Horatius, *Solvitur acris hiems, grata vice veris et Favoni.* Idem.

Zephyrique tepentibus auris Laxant arva sinus] In Romano codice et in Mediceo, *trementibus* legitur: quod si admittas, dictum erit ab effectu. Magis vero placet *tepentibus* ob rationem physicam, quod calidi sit aperire, ut frigidi condensare. *Pierius.*

331 *Laxant*] Exprimere voluit naturam lactis animalium. Nam *laxant arva sinus* dicens, partum significat: deinde statim humorem superare, quo alat fetus, intulit. *Philarg.*

Laxant arva sinus] Nulla celebratior nota his, qui ver describunt. Poëta ille Græcus Anthol. I. Γαῖα δὲ κυανέη χλοερὴν ἐστέψατο ποίην: *coronatur tellus cærulea viridanti herba.* Oppianus Cyn. I. εἴαρι φυλλοτόκῳ: *vere frondido.* Nazianzenus de Virginit. ἄνθεα εἴαρος: *flores veris sunt.* Et Orat. XLIII. loquens de vere: καὶ λειμὼν εὐωδεῖ, καὶ φυτὸν βρύει, καὶ κείρεται πόα, *Pratum olet suaviter, viret planta, herba tondetur.* Ideo ab Æschil. in Prometh. ver dicitur floridum, ἀνθεμώδους ἦρος. Et ab Oppiano prim. Halic. ἀνθεμόεσσαι εἴαρος ὧραι: *floridæ veris horæ.* Et Anacr. vocat ver στεφανηφόρον: *ferens corollas, floresque.* Demum eo pertinet veris etymon, quod dictum a virore, ut auctor est Varr. Ling. Latin. l. v. sed quia adducit triplex etymon, audienda ejus verba: *Ver, quod tunc incipiunt virere virgulta, ac vertere se tempus anni, nisi quod Iones dicunt ἦρ.* *Cerda.*

Laxant arva sinus] Metaphora a mulieribus ducta, quæ etiam Græcis

ἀνίεσθαι κόλπον λέγονται, ἀντὶ τοῦ γυμνοῦν. Germanus.

Superat humor] Ideo *tumere* terram dixit, vs. 324. *Taubmann.*

332 *Novos Soles*] Dies vernales. *Servius.*

Inque novos Soles audent se gramina tuto Credere] Lucretius l. I. eandem sententiam ita extulit loquens de omni genere animantium: *visitque exortum lumina Solis.* Ovid. Fast. IV. *Tunc primum Soles eruta vidit humus.* Noster infra, *nituntur ad sidera.* Et: *auras tulerunt.* Et supra: *Exiit ad cœlum ramis felicibus arbos.* Catullus de arbore nove exoriente, ita: *Feriebat arbor auras; redimita pampinis.* Sed nihil conferas cum hoc, *gramina audent se credere in novos Soles.* Explicuit, ut puto, ista Lucretii libro primo, *vivida tellus Tutores teneras effert in luminis oras.* Itaque ut explices erumpentem arborem, aut segetem, possis dicere: *Seges se credit in novos Soles, videt lumen Solis, nititur ad sidera, fert, perfert, ferit auras, ad cœlum exit, effert se in oras luminis.* Séd et vocem, *audent*, ad rem eandem arripuit Manil. l. III. *Et varios audet flores emittere tellus.* Cerda.

Gramina] Celsus ait *germina* reliquisse Virgilium. loquitur enim de omnium arborum fetu. Unde male quidam *gramina* legunt. An ideo non metuit, quia non surgunt? quod magis placet. *Philarg.*

333 *Nec metuit surgentes pampinus austros*] Varie. Nam supra ait, *Audent se gramina tuto Credere.* Servius.

Nec metuit] Quomodo non metuit, si surgunt? solvitur: Neque surgentes metuit, sed ne surgant. Hoc dixit: non metuit, ne tempestate opprimatur. *Philarg.*

334 *Aut actum cœlo magnis Aquilonibus imbrem*] Inter notas veris hæc est magna, tunc placidas esse et mites pluvias, salutares ac fœcundos imbres, qui gremio terræ accipiuntur: non procellosos turbines, tempestates horridas, Aquilones feros. Oppianus Cyn. I. *Ἔαρι χρυσείῳ, κρυερῶν νεφέων ἐλατῆρι: Vere aureo, horridarum nubium expulsore.* Anacr. ver describens: *νεφελῶν σκιαὶ δονοῦνται: nebulæ fugantur atræ.* Lucretius l. VI. idem præstans: *Ventique calore Deficiunt, neque sunt tam denso corpore nubes.* Theophrast. Caus. III. 3. *τότε (ἦρι) ὁ ἀὴρ μαλακός ἐστι, καὶ ἐρσώδης: tunc* (in vere) *aër est placidus, et roscidus.* Cerda.

335 *Trudit*] Propellit, effundit in folia. *Servius.*

Sed trudit gemmas] Locutio hæc variatur Ecl. VII. in illis: *turgent in palmite gemmæ.* Pergo ad notam veris. Ovid. de hoc tempore Trist. III. 12. *de palmite gemma movetur.* Et Fast. IV. *Nunc tumido gemmas cortice palmes agit.* Et I. *Et nova de gravido palmite gemma tumet.* Gemmare in vitibus est, cum ad nodos sarmentorum, instar gemmarum, erumpunt. Scriptores rei rusticæ has gemmas vocant etiam oculos. Philo in lib. quod Deus sit immutabilis. *ὅτε ἐν τοῖς κλημματίσι λεγόμενοι πρὸς τῶν γεωπόνων ὀφθαλμοὶ, καθάπερ ἐν τοῖς ζώοις, καταμύουσι: et in palmitibus oculi, sicut rustici vocant, connivent tanquam animalium.* Plinius XVII. 22. utramque vocem ita commiscet, ut aperte, quæ dixi, appareant: *Plerique æstate tota post singulos rores confodi jubent vineam. Alii vetant gemmantem, decuti enim oculos, tactuque intrantium deteri: et ob id arcendum procul omne quidem pecus, sed maxime lanatum, quoniam facillime auferat gemmas.* Cerda.

336 *Non alios prima*] Hoc secundum licentiam poëticam dixit. nam falsum est. Constat enim post factum mundum ex qualitate cursus, Solis tempora esse divisa. *Servius.*

Non alios prima] Si crescit, deficit. In quo videtur secutus Epicurum, qui ait: *Omnia quæ orta occidunt, et aucta senescunt.* Varro autem in Satura, quæ scribitur de salute: *Sic*

mundum haud natum esse, neque mori. Plato autem non natum, at mori. Metrodorus autem, neque natum, neque mori. Zenon ex hoc mundo quamvis aliqua intereant, tamen ipsum perpetuo manere, quia inhæreant ei elementa, e quibus generantur materiæ, ut dixit crescere quidem, sed ad interitum non pervenire, manentibus elementis, a quibus revalescant. *Philarg.*

Non alios prima crescentis origine] Lucret. l. VI. *At novitas mundi nec frigora dura ciebat, Nec nimios æstus, nec magnis viribus auras.* Germanus.

Non alios prima, &c.] Gravis est dissertatio inter Theologos, quo tempore mundus fuerit conditus, vernone, an autumnali? Nam de hyeme, et æstate omnes silent. Autumnus patronos habet graves, sed ver gravissimos. Ratio, quæ petitur a maturitate fructuum, autumno favet: veri, quæ a commodissima anni temperie. Sed hæc quæstio appellet suos Theologos, mihi satis adducere auctores, qui consentiunt cum Poëta, qui natales mundi primos rejicit ad vernum tempus. Sunt illi ex Græcis Cyrillus cateches. XIV. Nazianz. in Novam Dominic. Damas. II. Fid. Auctor quæstionum ad Antiochum, quod opus Athanasio tribuitur. Theod. Quæst. XXVII. in Exod. Ex Latinis Ambr. I. Exham. Gaudentius Episc. Brixiens. Tract. I. in Exod. Isid. V. Etymol. Beda, Rabanus, Magister Hist. Sch. plures alii. Qui contrariam opinionem sustinent pauci sunt, si cum his conferantur, et ii ferme novitii. Inter hos Junius Animad. III. 8. Addam opinionem, quam sequor, esse Plinii XVI. 25. ubi ait: *Arborum flos est pleni veris indicium, et anni renascentis.* Vere ergo natus est annus primus, nam vere redeunte renascitur. Inde vetus Poëta ex Lipsiana emendatione: *Ver novum, ver jam canorum, ver renatus orbis est.* Cerda.

337 *Tenorem*] Ductum, hic continuationem. *Servius.*

338 *Ver illud erat*] Absoluta elocutio: quicquid illud fuit, ver fuit. *Idem.*

Ver illud erat] His verbis consentiunt ista veterum Philosophorum apud Lactant. II. 12. *Non erant, inquiunt, in principio mundi hiems, et æstas: sed perpetua temperies, et ver æquabile.* Et versus Lucret. l. V. *At novitas mundi nec frigora dura ciebat, Nec nimios æstus, nec magnis viribus auras.* Cerda.

Ver magnus agebat Orbis] Quomodo dicunt, homines diem festum agere. *Magnum Orbem*, potest et zodiacum circulum dicere, qui faciat divisionem temporum: quod si est, *agebat*, pro circumagebat, accipiendum erit. *Philarg.*

Ver magnus agebat Orbis] Ex Catul. qui *jucundum cum ætas florida Ver ageret.* Longam descriptionem Paradisi Terrestris, quam magna ex parte ex imitatione Virgilii confecit Alcimus Avitus, quære, si lubet, Biblioth. Sanct. tom. VIII. *Idem.*

339 *Hibernis flatibus*] Asperis, sævis. *Servius.*

Parcebant] Hic *parcebant* pro abstinebant. *Philarg.*

340 *Cum primæ lucem pecudes*] Sic legunt Romanus et Mediceus Codex: quod non displicet: invenias tamen in nonnullis, *Cum primum lucem, &c.* Pierius.

Pecudes] Placet mihi sententia Scaligeri in Conject. qui rejecta prius Varron. etymologia, pecudes ait dici, quasi ποκάδες, quod tonderentur, unde et πόκος apud Græcos, id est, vellus remansit. Latini vero *pecudes* potius dixerunt more suo, quam *pocudes.* Nam et veteres *Apellinem* dicebant, non *Apollinem: temperis*, non *temporis: elera*, non *olera.* unde et *olvela* remansit, id est, minuta olera. In quibus omnibus mutavimus *e*, in *o*, sicut etiam in Proserpina, quæ vete-

ribus fuit Prœserpina a Græca Περσεφόνη. *Cerda.*

Virumque Ferrea progenies] Procreata ex lapidibus ad laborem. Alibi, *Unde homines nati durum genus.* Servius.

Virumque Ferrea progenies duris caput extulit arvis] Lactantius libro II. lectionem agnoscit *terrea;* ubi dicit, Illud hoc loco præterire non possum, quod errantes quidam philosophi ajunt, homines, cæteraque animalia sine ullo artifice orta esse de terra, unde illud Virgilianum, *terrea progenies duris caput extulit arvis.* Sed quantum pertinet ad Terream, tam instrumenti nostri monumentis consonum est, quam a philosophorum antiquioribus scholis non alienum, Ægyptiis, Arabibus, et plerisque aliis nationibus, apud quas rerum naturalium disciplina claruerit, in eandem sententiam facile concedentibus. In quibusdam vero Lactantii codicibus, verba illa, *procreata ex lapidibus,* ex Servii commentario importune videas inserta Virgiliano carmini. Illud autem *terrea* eruditis auribus non satis facit, qui putant Lactantii codicem depravatum, quum *Ferrea* sententiam nihil immutet. *Pierius.*

341 *Ferrea*] Quia creditum est primo homines e terra natos, a qua humo homines existimabant dictos. *Phil.* [Inde patet Philarg. legisse *Terrea.*]

Ferrea progenies] Sunt qui hic malint *terrea,* propter auctoritatem Lactantii II. 11. Nequeo assentiri, nam Virgil. videtur omnino expressisse illud Hesiod. γένος σιδήρεον. Et Cic. Nat. II. ex vetere Poëta *Ferrea tum vero proles exorta repente est.* Dixerat quippe vetus hic Poëta, χαλκείη γενεή. Sed quare hoc uterque vates? vel propter labores, ad quos tolerandos nati videntur homines, et ideo ferrei, id est, duri. Neque alio sensu dixit noster *ferream vocem, ferreum somnum.* Ideo Ge. I. *Unde homines nati, durum genus.* Vel etiam propter impudentiam, qua vel in cœlum ipsum, si necesse, ruunt homines. Neque aliter capiendus Catul. ex mente Mureti, cum dixit: *ferreo canis ore.* Eadem mente dictus ab Aristophane σιδηροῦς ἀνήρ. Primum præfero. *Cerda.*

Ferrea] Procreata ex lapidibus ad laborem. De quo diximus Ge. I. 62. Lactantii Codex habet, *Terrea prog.* de quo Cæl. Rhod. VII. 19. ubi docet Philosophos etiam hominem e limo effictum statuisse. Sed melius est, *Ferrea:* ut respexerit illud Hesiod. Νῦν γὰρ δὴ γένος ἐστὶ σιδήρεον. *Taubm.*

342 *Immissæque feræ silvis*] Hunc ordinem propter Arcadas tenuit; qui se Proselenos esse asserunt, id est, ante lunam natos: quod et Cicero in Fundaniana commemorat: et Statius, qui ait, *Arcades astris lunaque priores.* Servius.

Immissæque] Pro innatæ: neque enim ab alio immissæ sunt. *Philarg.*

Immissæque feræ silvis, et sidera cœlo] Versum hunc Manilius reddidit Astron. III. flexu isto: *Immissumque fretum terris, iter æquoris undis.* Est hæc perfectissima imitatio. Phil. περὶ ὀνείρων, ita consentanee ad vatem: γῇ μὲν τὰ χερσαῖα ἐγκατεσκεύασε, θαλάττῃ δὲ καὶ ποταμοῖς τὸ ἔνυδρα, οὐρανῷ δὲ τοὺς ἀστέρας: *Terræ terrestria attribuit, mari et fluminibus aquatilia, cœlo sidera.* Istud de sideribus ita extulit Calab. l. v. ἐπεκίδνατο δι' οὐρανὸν ἄστρα: *Astra diffundebantur, spargebanturque cœlo.* Ovidius Met. VIII. Nostrum æmulans aperte: *sumtam de fronte coronam Immisit cœlo.* Dicit videlicet Ariadnem versam a Baccho in stellam. Quare autem primum feræ immissæ silvis, quam cœlo sidera? Putat Servius hunc ordinem respicere ad fabulam Arcadum, qui dicti προσέληνοι, quia geniti ante Lunam et sidera: quam Servii mentem ex Eudoxo et Apollonio illustrat Ursinus. *Cerda.*

343 *Hunc laborem*] Vel frigoris, vel caloris. *Servius.*

Nec res hunc teneræ] Hic versus Lucretiana constat mente et imitatione: nam ubi de religione et natura agit, Lucret. l. v. ita, *Et simul ecquæ sit finis quoad mœnia mundi, Et tanti motus hunc possint ferre laborem.* German.

344 *Quies*] Tranquillitas. Et est veris definitio. *Cæli indulgentia.* Serv.

345 *Inter*] Id est, interveniret: Fuit autem prior lectio, *frigusque calorque.* ut Plautus: *Neque frigus neque calor metuo neque ventum neque grandinem.* Aliter hypermetrus versus erit. *Philarg.*

Exciperet cæli indulgentia] Et hoc verbum Lucretii est l. v. *Mutat enim mundi naturam totius ætas, Ex alioque alius status excipere omnia debet, Nec manet ulla sui similis res:* et post paulo, *Ex alio terram status excipit alter.* Eadem quoque significatione usurpant Græci ἐπιλαμβάνειν· Plato in Epinom. ταχὺ γέ μην ἐπιλαβὸν γῆρας ὀντινοῦν ποιῆσαι ἂν μήποτε ἐθελῆσαι πάλιν ἀναβιῶναι. Idem in Politico: θορύβου δὲ καὶ ταραχῆς ἤδη παυόμενος, καὶ τῶν σεισμῶν γαλήνης ἐπιλαβόμενος εἰς τὸν εἰωθότα δρόμον τὸν ἑαυτοῦ κατακοσμούμενος εἴη. *Germanus.*

Indulgentia] Et nove *indulgentia* dixit. Veteres enim *indulgitatem* dicebant. ut Cœlius in VII. *Consuetudine uxoris, indulgitate liberum.* Phil.

Terras] Id est, fetus terræ. *Idem.*

346 *Quod superest*] Non quod deest, sed quod sequitur. *Servius.*

Quod superest] Hæc vocum consecutio amata, ut elegans. Terent. 'Εαυτ'. *ausculta quod superest.* Noster Æn. v. *Quod superest, oro.* Cic. *Quod superest perge, mi Brute.* Cerda.

Quod superest] VIII. *De fœcundandis seminibus vineaticis* stercore, lapide arenario, concha, et saxo. Colum. III. 15. *Taubmann.*

Premes] Demerges, infodies. *Serv.*

Premes] Explicui *infodies*, aut *demerges* secutus Servium hic, et Magium Miscel. IV. 7. qui adnectit ad Maronem verba Caji J. C. in l. adeo, ff. de adquirendo rerum dominio: *Quod si vicini arborem in terra presserim, ut in meum fundum radices egerit.* Horat. quoque *terra premam* dixit, pro infodiam Epod. I. *Cerda.*

Premes] Demerges, infodies. Colum. l. III. de Arb. *In terram bene pastinatam ac stercoratam sarmentum defigito.* Taubmann.

Quæcunque virgulta] Sive de plantariis, sive de arboribus. *Servius.*

Virgulta] Plin. et Colum. *virgas* appellant, alii *plantaria;* Noster sæpe, et alii, *semina.* Omnes intelligunt *surculos*, qui terræ committuntur. *Cerda.*

347 *Sparge fimo*] De hoc præcepto Plin. loquens de vitibus XIV. 12. *terram fimo misceri necessarium.* Auctor Geop. l. v. ait stercoranda τὰ ἄκρα ἀμπέλου: *summa vitium.* Adhibet rationem, quia stercus θάλπει, καὶ στερεοῖ τὸ φυτόν: *fovet, firmatque plantam.* Paria ferme Theophrast. Caus. III. de stercore, μανοῖ τὴν γῆν καὶ διαθερμαίνει: *laxat terram fovetque.* Sed considerate Poëta, *sparge;* quia arboribus non convenit, imo nocet, ait Theophr. Caus. III. 12. κόπρισις δριμυτάτη, *valida et acris stercoratio.* Ac multo minus vitibus, quæ calidissimæ naturæ. Ideo concludit, minus stercoris spargendum, si acrius sit: plus, si mollius. τῆς μὲν δριμυτέρας, ἐλάττονα, τῆς δὲ μαλακώτερας, πλείονα. Multo aliter in segetibus, ubi acrior, vividior, fusior stercoratio. Ideo in seq. c. absolvit, vites stercorandas post annos 4. et eo amplius, quia si citius, οὐ δύναται φέρειν. De genere stercoris, quod aptum vitibus, Poëta nihil. Col. III. 15. ex Afro auctore probat vinacea permista stercori. Quod ista vires surculis moveant, et veluti irritent, ac provocent, Auctor Geop. l. v. stercus hoc vitium contrahit ad βόλβιτον, *bubulum.* Loco alio ejusdem libri inducit varia genera stercorum pro diversa terrarum qualitate. *Idem.*

Multa memor occule terra] Rationem hujus præcepti hanc adhibet Theoph. Caus. V. 16. nam frigus (inquit)

transit a summis ad ima, et ad radices. Dissidet vero Virg. a Theophr. in parte præcepti. Poëta clare: *multa occule terra.* Græcus eodem loci, *οὐδὲν δεῖ πολλῆς γῆς, ἀλλὰ μετρία τις ἐπιοῦσα δύναται διατηρεῖν*: *nec terra multa opus, nam mediocris servare potest.* Virg. favent verba ista Plin. XVII. 2. ex Caton. *Penito in scrobe, aut in sulco, operitoque, et bene occultato.* Lege Catonem ipsum c. 33. *Idem.*

348 *Lapidem bibulum*] Qui arenarius vocatur. *Servius.*

Aut lapidem bibulum] *Lapidem* autem *bibulum*, hic non lapidis epithetum est, sed ex lapide beneficium, id est, per quem terra humorem possit ad radices vitis admittere. *Philarg.*

Aut lapidem bibulum] Quod ad lapidis bibuli infossionem pertinet, Aristot. lib. *περὶ νεότ.* docet, ut siderationi stirpium occurratur, solere peritos agricolas lapidum quorundam genera radicibus substruere, et aquam in vasculis, ut arborum radices refrigescant, sufficere, his verbis: *ἂν δὲ ἡ τὸ περιέχον ὑπερβάλλῃ ψυχρότητι διὰ τὴν ὥραν, ἰσχυρῶν γενομένων τῶν πάγων, ἐξαυαίνεται, ἢ τοῦ θέρους ἰσχυρὰ συμβαίνῃ καύματα, καὶ μὴ δύνηται τὸ σπώμενον ἐκ τῆς γῆς ὑγρὸν καταψύχειν, φθείρεται μαραινόμενον τὸ θερμὸν, καὶ λέγεται σφακελίζειν, καὶ ἀστρόβλητα γίνεσθαι τὰ δένδρα κατὰ τοὺς καιροὺς τούτους, διὸ καὶ γένη τινὰ λίθων ταῖς ῥίζαις ὑποβάλλουσι, καὶ ὕδωρ ἐν ἀγγείοις ὅπως αἱ ῥίζαι ψύχωνται τῶν φυτῶν.* In quam sententiam Theophr. l. III. de stirpium causis observavit quibusdam arboribus, ceu oleæ et fico, lapides subjici, ut lapides humorem contineant, et æstatem radicibus arborum propulsent, vel sarmenta substerni, vel vasa aquæ plena apponi, vel lignum infodi satis crassum, quod postea extrahatur, ut nunquam alimenti copia desit, ex humoris confluxu solo assidue humescente, eo consilio, ut contra utrumque tempus talis præparatio fiat, ut per hiemem humore perfrui, et æstatem possint refrigerari. *Germanus.*

Lap. bibul.] *Lapis porosus* infoditur, aut propter spiramina; aut propter hauriendum humorem, si forte nimius fuerit: *Cochleæ* vero *sordidæ*, propter admittenda spiramina. Sed vide et Plin. XVII. 11. et Theophr. III. 5. Columella: *Aptissima vitibus terra est arenosa, sub qua consistit dulcis humor.* Taubmann.

Lapidem bibulum] In scrobibus prope radices stirpium infodiendos lapides, ex Theophrasto, et Aristot. docet Victor. var. lect. XXXVI. 5. *Emmeness.*

Aut squalentis infode conchas] Conchæ autem propter admittenda spiramina infodiuntur. Lapis vero arenarius, et propter spiramina, et propter hauriendum humorem, si forte nimius fuerit. *Servius.*

Squalentis] Sordidas. *Idem.*

350 *Animos tollent*] Sument ab his rebus magnanimitatem. *Idem.*

Animos tollent sata] *Animos tollere* de satis metaphorice: Æschyl. in Agam. *αἴρεσθαι κέαρ.* Ἦ *κάρτα πρὸς γυναικὸς αἴρεσθαι κέαρ·* et, *θυμὸν αἴρεσθαι·* Aristot. lib. *πολ. η΄. πρὸς τοὺς συνήθεις καὶ φίλους ὁ θυμὸς αἴρεται μᾶλλον, ἢ πρὸς τοὺς ἀγνῶτας, ὀλιγωρεῖσθαι νομίσας.* Germanus.

Sata] *Sata* autem dicit virgulta, quæ presseris. et hoc bis repetitum: non enim duo sunt, sed unum iteratum, ac si diceret: hoc monimentum contra imbres et æstus. *Philarg.*

Jamque reperti] Scilicet diligentiores. *Servius.*

Jamque reperti] Et, *jam*, hic pro *propterea* ponitur. *Philarg.*

351 *Saxo*] Quinque librali. Vide Columell. III. 15. et c. 3. de Arborib. *Taubmann.*

352 *Urguerent*] Utrum *saxo*, et *testa*: an illud sensit testam cavam, superiorem lapidem? hoc enim fit. *Philarg.*

Effusos munimen ad imbris] Contra nimias pluvias. *Servius.*

Effusos munimen ad imbris] Sic et Arist. l. I. de Animo domum definit pro re proposita: *ὅτι σκέπασμα κωλυτικὸν φθορᾶς ὑπ' ἀνέμων, καὶ ὄμβρων, καὶ καυμάτων. Germanus.*

352 *Hoc ubi*] Q. d. Hoc munimentum contra imbres et æstus. *Philarg.*

Hiulca] Nimis caloribus fissa. *Serv.*

Hiulca siti findit canis] Tibul. *Canis arenti torreat arva siti.* idem: *Qualis et arentes cum findit Sirius agros.* Germanus.

354 *Seminibus*] Iterum *seminibus* pro arboribus accipi oportet. et, *superest*, sequens est. *Philarg.*

Seminibus positis] IX. *De repastinatione vineæ novellæ.* Cato apud Plin. XVII. 22. *Capita vitium putata circumfodito, arare incipito, ultro citroque sulcos perpetuos ducito, &c.* Taubmann.

Superest deducere terram] In Romano codice, *diducere.* In aliquot aliis *educere.* Sed vulgata lectio castior. *Pierius.*

Deducere] Fodiendo resolvere. *Taubmann.*

355 *Ad capita*] Positarum scilicet vitium. *Servius.*

Capita] Hic per *capita vitium* radices intelligunt Scal. in Fest. voce *tignum;* Turn. XIII. 27. Germanus in hunc locum, docti alii. Vere. Nam in arboribus diversa est ratio ab homine, cui os, et caput in sublimi. Ideo Plato hominem dixit esse inversam arborem: Arist. clare lib. περὶ μακροβ. τὸ γὰρ ἄνω τοῦ φυτοῦ, καὶ κεφαλὴ ἡ ῥίζα ἐστί: *superior pars arboris, et caput, radix est.* et supra, κεφαλοβαρῆ, μακροβιώτερα: *vivaciores sunt arbores, quibus radix profunda.* Adverbium est: *vivaciores sunt arbores, quibus caput profundum.* Et de anim. l. II. αἱ δὲ ῥίζαι τῷ στόματι ἀνάλογον: *radices instar sunt oris.* Latius lib. περὶ νέοτ. ἀνάλογον γάρ εἰσιν αἱ ῥίζαι τοῖς φυτοῖς, καὶ τὸ καλούμενον στόμα τοῖς ζώοις, δι' οὗ τὴν τροφὴν, τὰ μὲν ἐκ τῆς γῆς λαμβάνει, τὰ δὲ δι' αὑτῶν: *Habent radices arborum analogiam cum ore animantium, ista cibum capiunt per os, illa per radices.* Philo περὶ φυτουργ. καὶ μὴν τὰ μὲν φυτὰ κατωκάρα ἀνειργάζετο, τὰς κεφαλὰς αὐτῶν ἐν τοῖς βαθυγειοτάτοις μέρεσι πήξας: *Stirpes* (Deus) *deorsum merso fecit capite infigens fertilissimis ejus partibus.* Os ergo arborum, radix. Quæ hic dixi, firmant sententiam omnium, qui in Virgilio per caput intelligunt radices. Negari tamen nequit, quin Columel. longe alio significato sumserit, cum scribit III. 10. *Feracissima autem semina sunt, non, ut veteres auctores tradiderunt, extrema pars ejus quod caput vitis appellant, id est, ultimum et productissimum flagellum, &c.* Clariora hæc erunt adeunti Col. ipsum. Facit huc etiam a Poëtis dici frondes arborum *comas.* Et a Plin. l. XVII. 2. 28. tenues ramusculos arborum, *barbam.* Quis vero neget comas dici respectu ad caput, barbam cum respectu ad faciem? Phil. l. III. de Animalib. quæ idonea ad sacrificium dixit, καθάπερ δένδρου περιττοὺς κλάδους τὰς τῆς κεφαλῆς τρίχας ἀπέκειρε, καὶ παρέδωκε πυρί: *Veluti arboris superfluos ramos, capillos capitis detondit, atque igni tradidit.* Facit etiam nonnihil illud Arist. de Anim. II. loquentis de arboribus: οὐ γὰρ ἄνω μὲν αὔξεται, κάτω δ' οὔ, ἀλλ' ὁμοίως ἐπ' ἄμφω; *Non enim sursum quidem accrescunt, deorsum autem non accrescunt, sed ad utramque similiter differentiam.* Ex quibus verbis possit quis elicere, utramque partem dici posse caput? *Cerda.*

Jactare bidentis] Hoc ad comminuendas pertinet glebas. Dicit autem circumfodiendum esse: et ad ipsa capita plantarum terram adducendam, et sæpius ideo, quia et vento et imbribus a capite terra descendit. *Servius.*

Jactare bidentis] Colum. a nostro IV. 17. *fossores quoque liberius, et aptius jactant bidentes.* De utilitate quæ provenit arbustis ex fossione, videndus Theophr. Caus. III. 14. Anc-

tor Geop. ait fossionem esse viti causam βίου, τροφῆς, πολυκαρπίας: *vitæ, alimenti, ubertatis.* Parco reliquis. *Cerda.*

357 *Flectere luctantis*] Cum quadam moderatione ducere; ne tenera adhuc virgulta concutiant. *Servius.*

358 *Levis calamos*] Nitidos. Dicit autem et cannas et virgas radendas; ne ex corticibus rubigo, adversa vitibus, possit creari. *Idem.*

Tum levis calamos] Poëta hic, ut vides, fulcra ista teneri surculi depacti, vocat *calamos, hastilia, sudes, furcas.* Theophr. Hist. II. 7. πάτταλον nominat: *palum.* Auctor Geop. l. v. χάρακας: *perticas.* et l. IV. ῥάβδον λεπτήν: *tenuem virgam.* Colum. IV. 12. *adminiculum modicum,* atque *arundinem.* Et c. 13. ait, nectendam novellam vineam *vinculo quam mollissimo.* *Calamos* cum Virgilio vocant Plin. Columella, Auctor Geopon. *Cerda.*

Tum levis] x *De Pedatione vitium.* Colum. IV. 11. et Plin. XVII. 20. et 22. *Taubmann.*

359 *Furcasque bicornis*] In Romano codice legere est, *furcasque valentis.* quod mihi non satis facit, tametsi in aliquot aliis codicibus ea lectio reperiatur. *Pierius.*

360 *Contemnere ventos*] Sic et Lucret. v. *Immensi validas ævi contemnere vires.* Germanus.

361 *Sequi tabulata*] *Tabulata* sunt rami effusiores et in plana tendentes, non in altiora crescentes. *Servius.*

Tabulata] Nunc *tabulata* dici dispositionem ramorum, per quos vitis usque ad summum ascendit. et est relatio facta ad omnes, in quibus extructiones singulæ, *tabulata* dicuntur. *Philarg.*

Tabulata] Quæ sint hæc elucet clare ex verbis Colum. v. 6. *Cum deinde adolescere incipient, falce formandæ, et tabulata instituenda sunt: hoc enim nomine usurpant agricolæ ramos, truncosque prominentes: eosque vel propius ferro compescunt, vel longius promittunt, ut vites laxius diffundantur.* Ergo, rami laxius diffusi, tendentesque in plana efficiunt tabulatum, non qui crescunt in altitudinem. Ideo Plin. XVII. 23. usus est signatissimo verbo dilatandi, cum ait: *tabulata earum* (loquitur videlicet de ulmis, in quibus hærent vites arbustivæ) *ab octavo pede altitudinis dilatantur in collibus.* et l. XIV. *tabulata in orbem patula.* Servius etiam hic: *tabulata sunt rami effusiores, et in plana tendentes, non in altiora crescentes.* Cerda.

Tabulata] Sunt rami effusiores et in plana tendentes, non ad altiora crescentes, per quos vitis usque ad summum adscendit. Et est relatio facta a domibus, in quibus exstructiones singulæ *Tabulata* dicuntur: Plinius XVII. 23. *Ulmus detruncata a media, in ramorum scamna digeritur, &c.* Ibid. *In summis tabulatis laudatiora una gigni, sicut uberiora in imis.* Taubmann.

362 *Adolescit*] Crescit. *Servius.*

Adolescit] Usus locutione Virgil. Colum. IV. 1. et v. 6. Plin. XVI. 34. VI. 32. Jam *juventus, pubertas, adolescentia,* de arboribus, crebra in hoc, et aliis scriptoribus. *Cerda.*

363 *Parcendum teneris*] De hoc præcepto Theophr. Caus. III. 9. *Plantam unamquamque, dum fundit prima germina, sine mittat radices, neque amputes superiora: ut fit in vitibus, in quibus flagella non adimuntur: ubi autem convaluerint, tunc amputanda, &c.* et cap. 10. ait, amputandas arbores, cum sunt ἰσχυρόταται, *validissimæ.* Cato etiam: *Vitem novellam resecari tunc erit tempus, ubi valebit.* Verba ista Poëtæ *parcendum teneris,* esse possunt forma adagii, cujus usus esse poterit, cum sermo fuerit de lenitate, qua tractandi in schola pueri. Ad hanc enim rem sententiam Virgilii transfert Quintil. II. 4. *Idem.*

Lætus Palmes] Theoc. Idyl. I. ἕλιξ ἀγαλλομένα. *Idem.*

364 *Palmes agit*] In Mediceo codice, *aget,* futuro tempore legitur. *Pier.*

Per purum] Per aërem, quasi inanem. *Servius.*

Per purum] Lucret. *Aëra per purum graviter simulacra feruntur:* idem etiam substantive et absolute. Homerus quoque sæpe absolute ἐν καθαρῷ extulit, quamvis de loco intelligeret: Il. Ψ. Κεῖτο βαρυστενάχων πολέσιν μετὰ μυρμιδόνεσσιν Ἐν καθαρῷ, ὅθι κύματ' ἐπ' ἠϊόνος κλύζεσκον. Idem Il. K. τάφρον ἐκδιαβάντες ὀρυκτὴν ἑδριόωντο Ἐν καθαρῷ. Et Horat. *plerumque per purum tonantes Egit equos, volucremque currum:* et supra: *ne se in vacuum poterunt extendere rami.* Germanus.

Immissus habenis] Sumsit proculdubio a Lucret. qui l. v. *Arboribusque datum est, variis exinde per auras Crescendi magnum immissis certamen habenis.* Cerda.

365 *Ipsa acies falcis nondum tentanda*] Si *acies*, sensus hic est, Teneris adhuc vitibus, non est falcis *Acies* necessaria. si *Acie*, subaudimus virgulta: ut sit, Ipsa virgulta nondum falcis acie tentanda sunt. *Servius.*

Ipsa acies falcis nondum tentanda] In Romano codice, Numerus ita habet, *ipsa acie nondum falcis.* In aliquot aliis, *ipsa acies* legitur. Sententiam vero hanc Quintilianus sibi desumpsit Institutionum l. II. Quod etiam rusticis notum est, qui frondibus teneris non putant adhibendam esse falcem, quia reformidare ferrum videntur, et nondum cicatricem pati posse. *Pierius.*

Tentanda] Existimo a Marone sumsisse Tranquillum c. 49. Neron. *Duos quos pugiones secum tulerat, arripuit, tentataque utriusque acie, rursus condidit.* Cerda.

366 *Carpendæ manibus frondes, interque legendæ*] Auctor Geop. l. v. *Ablatio manu fiat, non ferro: stuporem enim novæ viti inducit ferri contactus.* Et loco alio longe distanti: βλαστολογεῖν δὲ χρὴ διὰ τῆς χειρὸς ἀκόπως: *Pampinandæ vites sunt manu, ut citra incommodum.* Theophrast. quoque Caus. 3. ταῖς χερσὶν ἀφαιρεῖν. Cum signate ait, *legendæ*, visus est alludere ad illos, qui dicebantur Leguli rusticorum vocabulo, qua voce usi Cato, et Varro. Inde oleæ strictivæ ad discrimen cadivarum: illæ, quæ manu stringebantur; istæ quæ cadebant, legente nemine. *Cerda.*

367 *Stirpibus*] Solidioribus palmitibus, id est, truncis. *Servius.*

Stirpibus] Hic radicibus. Alii *stirpem* pro ipsa materie vitium positum volunt, ut idem alibi: *et amnorum signata in stirpe cicatrix.* Philarg.

Amplexæ stirpibus ulmos] Vetus Codex A. Colotii habet *viribus*, pro *stirpibus.* Ursin.

368 *Exierint*] Ipse supra: *Exit ad cælum ramis felicibus arbos.* Cerda.

Stringe comas] Ipse Ge. I. *glandes stringere.* Et Ecl. IX. *stringunt frondes.* Idem.

Brachia] Ita Æn. XII. de arbore, *posuitque comas, et brachia ferro.* Plin. XVII. 23. Ex Caton. loquens de vitibus arbustivis: *alterna servantur brachia, alternis putantur annis.* Col. V. 6. *vites capitatas, brachiatas.* Theodor. ἀκρέμονας Theophrasti reddit non semel *brachia.* Idem.

Stringe comas et brachia tonde] *Stringere* pro *amputare* Serv. et Taubmannus Ecl. IX. 61. *Coma* de frondibus dici arborum, fruticum, &c. tironibus notum. Hor. Od. IV. 3. et *spinæ nemorum comæ.* Plura Salmas. in Plinian. exercit. p. 581. Nec inelegans metaphora in *tondere*, cum oves, equi gramina depascunt, agricolæ metunt agrorum fructus, et frondatores seu putatores ramulos putant. Noster Ge. I. 71. *tonsas novalis* ubi Servius *messos agros.* et vs. 15. *nivei tondent dumeta juvenci.* vid. et ibi Servium et Æn. III. 537. *equos in gramine vidi Tondentes campum late.* Sic Lucret. l. II. *Nam sæpe in colli tondentes pabula læta Lanigeræ reptant pecudes.* Emmeness.

369 *Dura Exerce imperia*] Sic Phædr.

I. f. 32. *et exercere imperium sævis unguibus.* Idem.

370 *Et ramos compesce fluentis*] In antiquissimo codice Romano legere est, *ramos compesce valentis.* Præcepto, phrasique ex Varrone sumpta, qui primo de Agricultura ait, Vites pampinari, sed a sciente. Nam id, quam putare, majus: neque in arbusto, sed in vinea fieri. *Pampinare* est sarmento coles, qui nati sunt de iis qui plurimum valent, secundum, nonnunquam, et tertium relinquere, reliquos decerpere, ne relictis colibus sarmentum nequeat ministrare succum. *Pierius.*

Compesce fluentis] Jurisconsultus quoque; *Si conventus dominus sublucare noluerit, a vicino luxuries ramorum compescatur.* Germanus.

Compesce] Colum. loquens de vitibus: *compescenda quasi pueritia seminum est.* l. Consultus apud Germ. *luxuries ramorum compescatur.* Flexu alio Colum. III. 21. *vitem coërceat.* Alio Juvenal l. III. *Nunc scrobibus, nunc falce premens vineta retunde.* Phil. lib. de agricultura, ita, τὰ δὲ ἀπὸ πλεοναζούσης τροφῆς κεχυμένα τομαῖς στέλλειν: *quæ alimento nimio luxuriant, putatione sunt cohibenda.* Pertinent ista ad locutionem, ceterum de præcepto Plin. XVII. 22. *Non indulgendum est, sed semper inhibenda fœcunditas.* Addit rationem: *quicquid materiæ adimitur, fructui accedit.* Ait præterea, eam esse naturam vitis, *ut parere malit, quam vivere.* Cur? quia *semina mavult, quam fructum gigni.* Ideo ergo compescenda, inhibenda, amputanda. *Cerda.*

Fluentis] De vitibus Theoph. Caus. III. 20. ἐγκληματοῦσθαι: *luxuriare, silvescere, fluere.* Non abit Lucret. dixisse l. II. *fluidas frondes.* Xenophon. in œcon. expressit his verbis: περιπεφαννύουσα τὰ οἴναρα. Virg. Ge. I. ut solet, optime, *luxuria foliorum exuberat umbra.* Cerda.

371 *Texendæ sepes etiam*] Alii hic distinguunt: alii separant texendæ, sepes etiam et specus omne tenendum. *Servius.*

Sepes] Insuper etiam pecus prohibendum. *Philarg.*

Texendæ sepes] De hoc præcepto ita Philo-Judæus lib. de agricultura: τὸ περικείμενον τεῖχος ὀπώρας καὶ φυτῶν τῶν κατὰ τῶν ἀγρῶν ἐστὶ φυλακτήριον, τοὺς σίνεσθαι, καὶ παραφθείρεσθαι βουλομένους ἀνεῖργον: *Sepes fructus conservat, plantasque agrorum, arcens irruendi, ac nocendi cupidos.* Et Oppianus quart. Hal. ἅτε σκολίπεσσιν ἀπάντῃ φραξάμενοι πυκνοῖσι περίδρομον ἕρκος ἀλωῆς Ἀγρονόμοι: *ac veluti sudibus usque quaque Munientes frequentibus rotundum septum horti Agricolæ.* Subjicit alia in eandem sententiam. Sepem Homerus describit odys. XIV. loquens de re alia. *Cerda.*

Texendæ sepes etiam] Talis sepes appellatur *structilis*, quæ postponenda sepi vivæ, ut Columella XI. 3. vide etiam Palladium I. 34. *Emmeness.*

Et pecus omne tenendum est] In Romano codice, *tuendum* habes. In Mediceo, *tenendum*, absque *est*. Pierius.

Pecus omne tenendum] *Tenere*, pro arcere, et continere, ex imitatione Græcorum, qui ἔχειν, et κατέχειν. De præcepto Plin. XVII. 22. *Arcendum procul omne quidem pecus, sed maxime lanatum, quoniam facillime auferat gemmas.* Colum. V. 6. *ab injuria pecoris emuniri.* Cerda.

372 *Frons tenera*] *Frondis* vera lectio est. Lucretius, *Frondiferasque domos avium.* Apud antiquiores enim singularis nominativus erat *frondis*: hodie vero et a *fronte* et a *fronde* unus est nominativus *frons*; sicut etiam *lens* a *lente*, et a *lende* capitis breviore pediculo. *Servius.*

Præcipue dum frons tenera] Adverte loco hoc Servii corrupta esse verba; quæ ut per te incolumitati suæ restituere possis, quid super hoc nomine veteres tradiderint apponam. Carisius ait *frundes*, et *frundibus*, veteres

per V dixisse: cujus exemplum ponit Ennii ex annalium libro septimo, *Rurescunt Frundes* non *frondes*. mutatum vero *u* in *o* monet Plinius: et nominativum absque *n* littera in utroque loqui, *frus*, *fros*. Nam *fros*, τὸ μέτωπον. *Pierius.*

D. frons t.] Dum vitis novella est et laboris inexperta, atque, ut Colum. ait, *injuriæ impatiens*. Taubmann.

Imprudensque laborum] Sic et cum genitivo Hom. Il. Λ. ἔτ' ἐόντ' οὔπω μάλα εἰδότε θουρίδος ἀλκῆς. *German.*

Imprudensque laborum] Græcorum more dixit ἀπείρητος πόνων. *Sabinus.*

373 *Indignas hiemes*] Explicui *magnas* secutus, quæ jam dixi Ecl. x. ad illud, *indigno cum Gallus amore periret*. Neque aliter is locus expediri potest commode, quam de magnitudine hiemis. *Cerda.*

Solemque potentem] Intolerabilem, gravem. *Servius.*

Indignas hiemes] Sævas. *Idem.*

Solemque potentem] Quid si sumpsit ex Aristotele? Hic enim ad explicandum Solem vigentem, ita ait Meteor. II. 8. ὁ γὰρ ἥλιος ὅταν μάλιστα κρατῇ. *Cerda.*

374 *Silvestres uri*] Id est, boves agrestes, qui in Pirenæo monte nascuntur inter Gallias et Hispanias posito. Sunt autem, exceptis elephantis, majores animalibus cæteris. dicti *Uri*, ἀπὸ τῶν ὄρων, id est, a montibus. *Servius.*

Silvestres uri assidue, capræque sequaces Illudunt] In Romano codice, *adsidue*: quam scriptionem improbat Carisius, quum nomen sit ab *Asse*. Quod vero Servius *Uros* in Pyrenæis nasci dicit, Plinius eos, quos inter equos etiam enumerat, ad septentriones statuit: quorum cornibus Barbari illi potant: Cæsar in Hercinia silva Germaniæ. *Pierius.*

Uri] De *Uris*, qui boves feri, vide Cæsaris Comment. l. VI. Plin. VIII. 15. et XI. 37. Solin. c. 22. Hic pro omnibus feris silvestribus sumi, notat P. Sabinus. *Taubmann.*

Capreæque sequaces] Id est, persecutrices; seu quod vites persequuntur: ut, *Maleæque sequacibus undis*. Servius.

Sequaces] Eadem forma Virgil. *fumos sequaces*, *undis sequacibus*, *flammis sequacibus*. Arripuit a Lucret. qui *metus sequaces*, *mores sequaces*, l. II. et III. *Cerda.*

Sequaces] Persecutrices vineti: Ramus *fugaces* interpretatur; a velocitate: ut Æn. x. *si forte fugacem Conspexit capream*. Taubmann.

375 *Inludunt*] Per ludum nocent: Ge. I. *Inludunt pestes variæ*. Idem.

377 *Incumbens scopulis*] Etiam saxa caloribus penetrans. *Servius.*

Aut gravis incumbens scopulis arentibus æstas] In codice Mediceo *æstus* legitur. Quod frigori respondet per Antitheti proprietatem, et eadem locutione variatum in Palæmone, *Si lac præceperit æstas*. Pierius.

379 *Admorso*] Participium est, ac si diceret, abroso. *Servius.*

Et admorso signata in stirpe cicatrix] *Admorso* quidem in veteribus aliquot codicibus habetur: in plerisque vero *d* littera abrasa est, imperite, ut mihi videtur: nisi sit, quod in antiquis aliis *a morsu* legitur. Sane Romanus codex, *admorsu* unica dictione, verbali nomine, legit. In Mediceo etiam prius scriptum erat *admorsu* per *u*. Inde illita est circularis linea alio atramento, ut *admorso* dicat. Sed enim Servius *admorso* participium agnoscit, ac si diceret, *abroso stirpe*. Quamvis negat Donatus *stirpem* apud Virgilium reperiri, fœminino genere: quam sententiam et Carisius et alii plerique rejecerunt. Ut alibi dictum. *Pierius.*

Signata in stirpe cicatrix] Cossinius apud Varronem ait capellarum dentes sationi inimicos, et eas Astrologos ita recepisse in cælum, ut extra limbum duodecim signorum excluserint. Sed et capræ non solum Baccho et Æscu-

lapio, verum et Minervæ immolari sunt solitæ, auctore Plin. VIII. 47. quod ejus morsus arboribus exitialis esset, olivam lambendo quoque sterilem faceret. Porro dicunt et rei rusticæ curatores et scriptores, vulnus a capra plantæ inflictum, aut letale esse, aut certe conduci et coalescere nunquam posse, sed indelebili se suo stigmate et cicatrice semper prodere. Tales calumniæ morsus et plagas prisca bonitas notabat: ut nesciam, an Maro forsan ad medium illum, Alexandri adulatorum choragum, alluserit, cujus in hæc verba meminit Plutarch. lib. *πῶς ἄν τις διακρίνειε*, &c. *λάθρα δὲ ὑφίησί τινας, καὶ ὑποσπείρει διαβολὰς, κρυφίου δὲ λόγου κνίσαντος ἕλκος, κἂν μὴ παντελῶς εὐθὺς ἐξεργάσηται, τὸ τοῦ Μηδίου φυλάττει μεμνημένος. ἦν δὲ Μήδιος τοῦ περὶ τὸν Ἀλέξανδρον χοροῦ τῶν κολάκων οἷον ἔξαρχος, καὶ σοφιστὴς κορυφαῖος ἐπὶ τοὺς ἀρίστους συντεταγμένος. ἐκέλευεν οὖν θαῤῥοῦντας ἅπτεσθαι καὶ δάκνειν ταῖς διαβολαῖς, διδάσκων, κἂν θεραπεύῃ τὸ ἕλκος ὁ δεδηγμένος, ἡ οὐλὴ μένει τῆς διαβολῆς.* *Germanus.*

Admorso] Hac verbi forma usus Plautus Pseud. Propert. l. III. 11. Sidon. Epist. VII. 6. Capitolinus in Antoniuo. Seneca epist. XXVII. Symmachus Epist. I. 25. Conjunxit hoc in extremum Juretus. *Cerda.*

Cicatrix] Hæc, et similes aliæ voces frequentissimæ Scriptoribus rei rust. Theophr. Caus. III. 9. *ἕλκωσις πόνον παρέχει καὶ κακοῖ τὰ δένδρα*: *Facit vulnus ut languescant arbores, laborentque.* et c. 10. loquens de arboribus, *διὰ τὰς πληγὰς propter plagas.* Auctor Geop. l. v. loquens de vite: *τραυματισθεῖσα νοσεῖ, καὶ ἀκαρπεῖ*: *Vulnerata ægrotat, neque fert fructum.* Col. l. IV. 24. *saucianda, exulceranda vitis.* et de vineis, *obducere cicatricem.* Plin. XVII. 22. *cicatricosum.* et millies *cicatricem* nominat. *Idem.*

380 *Non aliam ob culpam*] Victimæ numinibus, aut per similitudinem, aut per contrarietatem immolantur. Per similitudinem, ut nigrum pecus, Plutoni. Per contrarietatem, ut porca, quæ obest frugibus, Cereri: et caper, qui obest vitibus, Libero. Item capra Æsculapio, qui est deus salutis: quum capra nunquam sine febri sit. *Aris* autem *omnibus* non sine caussa dixit. Nam cum numinibus cæteris varie pro qualitate regionum sacrificetur, ut Veneri Paphiæ tantum de ture: unde est, *Haud equidem tali me dignor honore.* Genitrici vero, id est, Romanæ, etiam de victimis: Libero ubique caper immolatur; quia vites, quæ in honore ipsius fuerant, ab eo comestæ sunt. Iratus Liber pater eum occidi fecit, et ei tolli utrem, in quo mitti vinum fecit pro ejus vindicta. *Servius.*

Non aliam ob culpam Baccho caper omnibus aris Cæditur, et veteres ineunt proscenia ludi: Præmiaque ingentes pagos, et compita circum Theseidæ posuere] Sunt qui epitheton *ingentes* otiosum esse, vel importunum judicent: quod non in ingentibus tantum pagis, sed in omnibus, ea sacra fieri pietas illa vetus exposcebat. Neque distinguendum, ut per *compita* minores pagos intelligamus, quum sit ejusdem sententiæ dilatatio, ut etiam apud Horatium, *quis circum pagos, et circum compita victor.* quin pagus paucissimis etiam casis constare potest. *Compita*, quum triviorum plateas requirunt, pluribus itidem constare domibus æquum est. Quare lectionem illam summopere approbarim, quam in codicibus omnium, quos versaverim, antiquissimis observavi, *præmiaque ingeniis pagos et compita circum Thesidæ posuere.* Ut intelligas de Tragœdiis, quarum scriptoribus hircus præmium fuerit propositum, Horatio dicente, *Carmine qui tragico vilem certavit ob hircum.* Et his ludis Poëmata cani solita, idem Horatius ostendit: dum Thespin ait *plaustris vexisse Poëmata*, de Tragœdiæ inven-

tore loquens. Dicamus igitur Athenienses posuisse *præmia Ingeniis pagos et compita circum.* Quia vero sunt, qui Virgilium negent usum *Ingenii* vocabulo, pro ea vi mentis, quæ sit docilitatis, meditationis, inventionis, et prudentiæ capax; eo significato, quod apud Horatium est, *Grajis ingenium;* et apud Sallustium, *Sed quia provenere ibi præclara ingenia:* omne punctum me tulisse fateantur, si dixero apud Virgilium eodem significato accipi, *Haud equidem credo, quia sit divinitus illis Ingenium.* Ad eorum enim opinionem refellendam hoc ait, qui putabant multis et prudentiæ, et docilitatis signis in avium genere perspectis, ea pollere mente: cujus sententiæ Democritum fuisse tradunt. Si quis vero Virgilii sententiam inspiciat, neminem tam stupidum esse crediderim, qui non fateatur eo loco *Ingenium,* pro vi mentis, accipi, quæ sit docilitatis, et prudentiæ capax. Quod si etiam nusquam alibi, Virgilius eo vocabulo usus fuisset, Latinissimæ illius ætatis consensus, qua M. Tullius, Sallustius, Horatius claruere, facit, ut hoc loco non incongrue in hanc sententiam poni potuerit: etiamsi rei tactæ pulchritudo, eruditioque ipsa, et veterum codicum testimonia non accederent. *Pierius.*

Non aliam ob culpam] Quæ hic scribit Virg. non aliunde melius cognosci queunt, quam ex verbis istis Varr. r. rust. I. 2. *Quædam pecudes culturæ sunt inimicæ, ac veneno, ut istæ, quas diximus, capræ: hæ enim omnia novella sata carpendo corrumpunt, non minimum vites atque oleas. Itaque propterea institutum diversa de caussa ad alius Dei aram hostia adduceretur, ad alius non sacrificaretur: cum ab eodem odio alter videre nollet, alter etiam videre pereuntem vellet. Sic factum ut Libero Patri, repertori vitis, hirci immolarentur, proinde ut capite darent pœnas: contra, ut Minervæ caprigeni generis nihil immolarent, propter oleam, quod eam, quam læserit, fieri dicunt sterilem: ejus enim salivam esse fructui venenum.* Eo spectant ista Ovid. Met. xv. *Vite caper morsa Bacchi mactatus ad aras Ducitur ultoris.* et Fast. I. *Rode caper vitem, tamen hinc cum stabis ad aram, In tua, quod fundi cornua possit, erit.* Et Martial. III. 24. *Vite nocens rosa stabat moriturus ad aras Hircus, Bacche, tuis victima grata sacris.* Sed et Prudentius contra Sym. *His nunc pro meritis Baccho caper omnibus aris Cæditur.* Adjunge ista Eueni Poëtæ apud Natalem v. 18. inducentis vitem loquentem cum capro: *Κἂν με φάγῃς ἐπὶ ῥίζαν, ὅμως δ' ἔτι καρποφορήσω Ὅσσον ἐπισπεῖσαι σοὶ τράγε θυομένῳ: Rodas me licet ad stirpem de palmite fundam Dulcia mactando vina sed hirce tibi.* Cerda.

Caper] Proprie castratus hircus. sed hic pro hirco ponitur, qui *ἀνὴρ αἰγῶν* Theocrito, ut et nostro Ecl. VII. *Vir gregis ipse caper.* Ge. III. *ducem et pecori dixere maritum.* inf. 395. proprie *stabit sacer hircus ad aras.* Taubmann.

Baccho caper omnibus aris Cæditur] Quam ob culpam Baccho mactetur, intellectum superius. Ideo etiam hircum appellare videtur *ἐχθρὸν ἐσσομένης ὀπώρης* Nonn. Dionys. l. VII. Quod hostia frequens sit Libero patri, discimus ex Horat. od. III. 8. *Voveram dulceis epulas, et album Libero Caprum.* Nonnunquam tamen eum Priapo immolatum esse, nos docet Petronius: *ibit ad aras, Sancte, tuas hircus, pecoris pater ibit ad aras Corniger.* Emmeness.

381 *Veteres ineunt proscænia ludi*] Primi ludi theatrales ex Liberalibus nati sunt: ideo ait, *veteres ludi.* Serv.

Veteres] *Proscenia* sunt pulpita ante scenam, in quibus ludicra exercentur: *λογεῖον* Hesychio, *τῆς σκήνης τόπος ἐφ' ᾧ ὑποκριταὶ λέγουσι*: vide Jul. Cæsar. Bulenger. de Theatro I. 14. *Taubmann.*

Proscænia] *Proscænium* procul dubio pulpitum dicit. *veteres ludi*, Dionysia: antiquissimi enim, quos rustici confecta vindemia faciebant. *Philargyr.*

Proscænia] Προσκήνιον locus erat ante scenam, ubi erant agentium discursiones, interdum etiam ibi histrionia tota peragebatur. Inde illud, quod citat Suidas: *Fortuna eo prætextu velut in proscenium protracto, vera consilia detexit.* Ex hoc loco spectarunt interdum Principes. Lege Sueton. Neron. c. 12. Erat *proscenium* aulæis vestitum. Materia e tabulis. Apul. Flor. IV. *Non pavimenti marmoratio, non proscenii contabulatio, nec scenæ columnatio.* Addit Servius, dixisse Poëtam, *ludi veteres*, respicientem primam originem ludorum theatralium, qui ortum habuere a Liberalibus. *Cerda.*

382 *Præmia*] Hircum tragicis Poëtis præmio fuisse, docet J. Cæs. Scalig. Poët. I. 44. et J. Cæs. Buleng. I. 50. Horat. Arte: *Carmine qui tragico vilem certavit ob hircum.* Ita *taurus* dabatur Epicis; Lyricis *juvenca*: Bucolici vel *vini* vel *lactis* libatione erant contenti. *Taubmann.*

Præmia] Hircum victoriæ præmium extitisse certantibus carmine tragico, vel fistula canentibus, Maro monet Ecl. III. 21. *An mihi cantando victus non redderet ille, Quem mea carminibus meruisset fistula caprum?* Theocr. Idyll. I. 4. Αἴκα τῆνος ἕλῃ κεραὸν τράγον, &c. Et Idyll. V. 30. Τὸ (ὄδ' ὁ τράγος οὗτος) ἔριφδε. Inde tragœdiæ appellationem ortum ducunt, ut Torrent. ad Horat. de art. Poët. vs. 220. et erudite Voss. l. II. de institutione Poët. II. 11. et seqq. *Emmeness.*

Ingentis] Quidam legunt *ingeniis*: ut sit; *præmia posuerunt ingeniis.* Dabatur autem hircus præmii nomine. unde hoc genus poëmatis tragœdiam volunt dictum. *Philargyr.*

Pagos et compita circum] Id est, per quadrivia, quæ compita appellantur; ab eo quod multæ viæ in unam confluant. et villas, quæ pagi ἀπὸ τῶν πηγῶν appellantur, id est, a fontibus, circa quos villæ consueverant condi: unde et *pagani* dicti sunt, quasi ex uno fonte potantes. *Servius.*

Compita] *Compita* sunt, unde ludi compitalitii vocantur. *Idem.*

Compita] Ut relatio placet, locus ex pluribus partibus in se, vel in easdem partes ex se via, atque itinere dirigens; sive is cum ara, sive sine ara, sive sub tecto, sive sub dio sit; ubi pagani agrestes buccina convocati, solent certa inire consilia. hinc et lares compitalicii, et feriæ compitaliciæ. *Philarg.*

Compita] Unde *Ludi compitalitii*, sive *Compitalia.* Horat. *Quos circum pagos, et circum compita victor, &c.* Taubmann.

383 *Thesidæ*] Athenienses, qui primi ludos instituere Liberales. *Serv.*

Thesidæ posuere] Ideo quia primi Athenienses Liberalia statuerunt. *Thesidæ* dicti a rege *Theseo.* Philarg.

Thesidæ posuere] A Theseo Athenienses denominat, qui Athenis tam temperanter imperavit, ut ipse in Suppl. Eurip. se jactet libertatis assertorem Atticæ his verbis: δῆμον— καὶ γὰρ κατέστησ' αὐτὸν εἰς μοναρχίαν ἐλευθερώσας τήνδ' ἰσόψηφον πόλιν. Vide Plutarch. in Theseo. *Germanus.*

384 *Mollibus in pratis unctos saluere per utres*] *Unctos* vel oleo vel lixivia. *In pratis* autem ideo, ne læderentur cadentes. *Utres* vero fiebant ad insultationem etiam mortuorum caprorum, ne quid ex his esset, quod non sentiret injuriam. *Servius.*

Saluere] Secundum artem locutus est. Nam *Salio salui* dicebant: unde et Cicero ait, in Miloniana: *Cum hic de rheda rejecta penula desiluisset.* Sic etiam ab eo quod est *Cano*, non *cecini*, sed *canui* dicebant; unde Sallustius, *Cornua occanuerunt.* Idem.

Mollibus in pratis] Arripuit Ovid.

Art. I. *mollibus in pratis admugit femina tauro.* et Papin. Syl. II. *mollibus in pratis alte flos improbus exstat.* Ita Virgil. *herbam mollem* dixit, et Plin. Epist. V. *herbas teneras, et molles,* et passim omnes, et omnes fortasse ab Homero, qui Odyss. V. λειμῶνες μαλακοὶ ἴου, ἠδὲ σελίνου: *mollia prata violæ, et apii.* et IX. λειμῶνες ὑδρηλοὶ, μαλακοί: *prata irrigua, mollia.* Dio Chrysost. orat. II. λειμῶνας ἁπαλοὺς *prata tenera.* Cerda.

Unctos saluere per utres] Servianis temporibus, præteritum a *Salio salui* pronuntiabant. Idem tamen *salii* secundum artem dictum asserit a Virgilio: quod veteres *salivi* faciebant. Hinc nonnulli *saluere* scribunt. In codicibus tamen antiquis manu scriptis *saliere* legitur: ejusmodique præteriti forma agnoscitur a Prisciano hoc eodem citato versu. Eum vero saliendi morem videas apud Hyginum de signis: ubi de Arctophylace loquitur. *Pierius.*

Unctos saluere per utres] Ascolia Græcis dicta sunt, ut etiam ascoliasmus ἀπὸ τοῦ ἀσκοῦ αἰγείου, ab utre caprino: Romani vinalia appellarunt. Statuebantur itaque utres hircini, in prato instar theatri efformato, inflati atque uncti oleo: saltabant per hos rustici unico tantum pede: nam alterum sublevatum habebant, libratumque in aëre: qui cadebant (quod signato verbo dicebatur cernuare) risu ab omnibus et cachinno ludibunde accipiebantur: ita omnia plausu et hilaritate in honorem Bacchi personabant. Verba, quibus saltus significabantur, sunt ἀσκωλιάζειν, et ἀσκωλίζειν. Hujus celebritatis Græci et Latini meminerunt, sed Græci frequentius. Dixi, statui utres in theatro; Scholiastes Aristophanis, ἐν μέσῳ δὲ τοῦ θεάτρου ἐτίθεντο ἀσκούς. Tzetzes in Hesiodum, ἀσκοὺς τιθέντες κατὰ γῆς. Addidi, inflatos; Scholiastes Aristophanis, et Tzetzes, uterque πεφυσημένους. Hygin. l. II. de signorum historiis, loquens de capro; qui vitem corrosit, et Icario, qui a Baccho artem colendi vineti acceperat, ita ait: *dicitur hircus in vineam se conjecisse, et quæ ibi tenerrima folia videret, decerpsisse. Icarium iratum eum interfecisse, ex pelle ejus utrem fecisse, ac vento plenum præligasse, et in medium projecisse, suosque sodales circa eum saltare coëgisse.* Adjeci etiam unctos fuisse. Schol. Aristoph. ἀληλιμμένους. Varro l. I. de vita populi Roman. *etiam pelles bubulas oleo perfusas percurrebant.* Servius hic: *Unctos vel oleo, vel lixivia.* Dixi præterea, saltum hunc fieri solitum unico pede. Tzetzes, ἑνὶ ποδὶ ἐφαλλόμενοι, ἔνωθεν τούτων ἐφέροντο. Risum, quo cadentes excipiebantur, probat Eubulus apud Interpretem Aristophanis, καὶ πρόσγε τούτοις ἀσκὸν εἰς μέσον Καταθέντες εἰσάλλεσθε, καὶ καγχάζετε Ἐπὶ τοῖς καταῤῥέουσιν: *Quare utrem in medio collocantes, supra ipsum saltate, et eos, qui ceciderint, cachinno prosequimini.* Varronis partem, quam præmisi, sequuntur verba hæc: *Ibique cernuabant, a quo ille versus vetus est in carminibus: Sibi pastores ludos faciunt coriis cernualia.* Ita legendus hic versus, non ut a Turn. XVII. 23. Dixi extremo loco, hanc celebritatem fieri in honorem Bacchi. Interpres Aristophanis, ἑορτὴν οἱ Ἀθηναῖοι ἦγον τὰ ἀσκώλια, εἰς τιμὴν τοῦ Διονύσου. Tzetzes, τοῦτο δ' ἐποίουν τιμῶντες τὸν Διόνυσον. Addam ἐκ παρέργου, constare auctoritate Phornuti hos ludos non uno loco, sed per pagos Atticæ celebrari solitos; ait enim, ἐκδέροντες αὐτὸν (τράγον) εἰς τὸν ἀσκὸν ἐνάλλονται κατὰ τὰς ἀττικὰς κώμας: *excoriato hirco saltabant in utrem per pagos Atticæ.* Cerda.

Unctos saluere per utres] Qui ita insiliisset ut insisteret utrem, illum nempe utrem præmium sibi auferebat, ut in Gr. Feriat. Meurs. l. I. qui Ἀσκώλια hæc sacra Bacchi nuncupat. De his agit Pollux IX. 7. Alex. de dieb. genial. II. 26. et Cœl. ex Athe-

næo v. 4. Mercurial. de Arte Gymn. II. 11. Voss. de instit. Poët. II. 2. tabulam hujus saltationis depictam tradit Ciacc. de triclin. p. 86. *Emmeness.*

385 *Nec non Ausonii, Troja gens*] Hoc est, etiam Romani hæc sacra celebrant et canunt. nam hoc est, *Versibus incomptis ludunt.* Id est, carminibus Saturnio metro compositis; quod ad rhythmum solum vulgares componere consueverunt. Horatius, *Libertasque recurrentes accepta per annos Lusit amabiliter.* Servius.

Nec non Ausonii, Troja gens] Ab Ausone Ulyssis et Calypsus filio dictam partem Italiæ, in qua sunt urbes Beneventum et Cales, vult Festus; sed explodit hanc sententiam tanquam meras nugas Cluverius antiq. Ital. I. 1. ubi de origine nominis et finibus plura. Dein pro universa Italia, unde Stephanus de urb. αὔσων ὁ Ἰταλός. apud Ovid. Fast. I. 55. *Ausonias Calendas,* pro *Romanis.* Emmeness.

386 *Versibus incomptis*] Pro eo Liv. VII. 2. *inconditis versibus.* Sic Ecl. II. 4. noster *incondita:* quæ illic dicta sunt, vide. *Emmeness.*

Risuque soluto] Id est, cachinno. *Servius.*

387 *Oraque corticibus sumunt*] Quia necesse erat pro ratione sacrorum aliqua ludicra et turpia fieri, quibus posset populo risus moveri: quia ea exercebant propter verecundiæ remedium, hoc adhibuerunt, ne agnoscerentur, ut personas, factas de arborum corticibus, sumerent. *Idem.*

Oraque corticibus] Hic verbum pro verbo positum: nam *ora* pro personis, ait Macrobius Sat. VI. 6. Ceterum Josephus Scaliger in Ausonium, versum hunc explicat de oscillis: sunt hæc, quæ Græci vocant στομάτια, nimirum larvæ ex corticibus arborum, quas rustici sibi apponebant, ut essent magis ridiculi. Harum repertorem Horatius facit Æschylum, et ante Æschylum Thespis docuit ora fæcibus perungere, loco personarum. *Cerda.*

388 *Et te, Bacche, vocant*] Hymnos in tuum canunt honorem. *Servius.*

Tibique Oscilla] Mollia, pensilia. ut, *Pilentis matres in mollibus.* *Oscillorum* autem variæ sunt opiniones. Nam alii hanc asserunt fabulam; Icarius Atheniensis pater Erigones, quum acceptum a Libero patre vinum, mortalibus indicaret; occisus est a rusticis: qui cum plus æquo potassent, inebriati venenum se accepisse crediderant. hujus canis est reversus ad Erigonem filiam, quæ cum ejus comitata vestigia pervenisset ad patris cadaver, laqueo vitam finivit. Hæc deorum voluntate inter astra relata est, quam vocant virginem. Canis quoque ille est inter sidera collocatus. Sed post aliquantum tempus, Atheniensibus morbus immissus est talis, ut eorum virgines furore quodam compellerentur ad laqueum; responditque oraculum, sedari posse pestilentiam illam, si Erigonis et Icarii cadavera requirerentur: quæ cum diu quæsita nusquam invenirentur, ad ostendendam suam devotionem Athenienses, ut etiam in alieno ea quærere viderentur elemento, suspenderunt de arboribus funem: ad quem se tenentes homines, hac atque illac, agitabantur; ut quasi etiam per aërem illorum cadavera quærere viderentur. Sed quum inde plerique caderent, inventum est, ut formas, ad oris sui similitudinem facerent, et eas, pro se suspensas, moverent. Unde et *oscilla* dicta sunt ab eo, quod in his *cillerentur,* id est, *moverentur ora.* nam *cillere* est movere: unde et *furcillæ* dictæ sunt, quibus frumenta *cillerentur.* Alii dicunt *oscilla* membra esse virilia de floribus facta, quæ suspendebantur per intercolumnia: ita ut in ea homines, acceptis clausis personis, impingerent, et ea ore *cillerent,* id est, *moverent* ad risum populo commovendum. et hoc in Orpheo lectum est. Prudentiori-

bus tamen aliud placet, qui dicunt sacra Liberi patris ad purgationem animæ pertinere. omnis autem purgatio aut per aquam fit, aut per ignem, aut per aërem: sicut et in sexto Æn. ait, *Aliæ panduntur inanes Suspensæ ad ventos: aliis sub gurgite vasto, Infectum eluitur scelus; aut exuritur igni.* Ut nunc per *oscilla* genus purgationis, videlicet aëris, quod est maximum, intelligamus: nam primum aquæ est, secundum est ignis, tertium aëris. *Idem.*

389 *Oscilla*] *Oscilla* dicta, sive quoniam capita et ora hostiarum in summis perticis figebantur, sive quia hunc lusum Osci dicuntur frequenter exercuisse, et per Italiam sparsisse. *Philarg.*

Oscilla] Glossarium vetus: *Oscillum; στομάτιον*: sunt enim *Oscilla* larvæ et προσωπεῖα, ut ex Macrob. Sat. I. 7. et 11. cognoscimus, quæ in αἰώραις et jactationibus ludicris Rustici ori opponebant, ut essent magis ridiculi. Tangit hunc Atheniensium morem et Maurus Terentianus. a quo jactationes ipsas, et *Cernuationes*, quas Gr. vocant αἰῶρας, etiam *Oscilla* appellarunt. *Hactenus Scaliger:* qui plura ad Ausonium II. 26. ubi et Brodæi hallucinationes detexit: item ad Festum. Etiam *Turnebus Oscilla* hic quædam quasi suspendicula interpretatur, quibus se in aëre suspendentes agitabant. Vide mihi omnino VII. 20. et XX. 24. Adversar. ubi de re tota itidem accuratissime scripsit: item *Fr. Junium* ad illud Tertulliani l. de Pallio: *Oscillum penduli impeditus, &c.* itemque de Anima: *Universitatis oscillum de animi axe suspendens.* Multi etiam in hoc sunt. Servius, Probus, et ex professo Bulengerus I. 33. de Theatro. In quibus sunt, qui *oscilla*, obscenæ etiam partis imagunculas, quas φαλλοὺς dicunt, hic sunt interpretati. Inde *Phallica* dicta sunt *carmina Priapeia.* Taubmann.

Mollia] *Mollia* hic pro mobilia. et videtur Virgilius opinionem illorum sequi, qui in honorem Liberi patris putant oscilla suspendi, quod ejus sit pendulus fructus. *Philarg.*

390 *Hinc omnis largo pubescit vinea fœtu*] Post hæc sacra celebrata. *Servius.*

Largo fœtu] Colum. l. IV. 17. de vineis, *largos fructus ostendunt.* et cap. 24. *post largos fructus parcendum est vitibus: post exiguos imperandum.* Papin. Sylv. I. *Largi Lyæi*, Horat. de vitulo od. IV. 2. *largis juvenescit herbis.* Cerda.

Pubescit] Pari forma Cicero Natur. I. *maturata pubescant.* Plinius XVII. 22. *pubescente uva.* Arnob. III. *pubescentes herbas.* Papin. Syl. II. *pubescente Lyæo.* Græci pari exsultantia; nam Oppian. Hal. II. ἔαρ ἡβήσαεν. *Idem.*

392 *Et quocunque deus circ. cap. eg. honestum*] Credo omnino hos Maronis versus ex illis Catulli desumptos de Baccho: *Quæ ubicunque tu puellus loca dexter adieras, Ubicunque sessitaras, nova germine tenero Feriebat arbor auras redimita pampinis, Ubicunque lusitaras, nova flumina temeti Placido viam secabant fluitantia sonitu:* quos et Catulli ab eo loco manasse Hom. in hym. Bacchi, ubi a piratis raptus Bacchus, et in navi impositus, quoquo versum se tulerat, aut vinum, aut vitem, aut hederam excitabat: Οἶνος μὲν πρώτιστα θοὴν ἀνὰ νῆα μέλαιναν Ἡδύποτος κελάρυζ' εὐώδης, ὤρνυτο δ' ὀδμὴ Ἀμβροσίη, ναύτας δὲ τάφος λάβε πάντας ἰδόντας, Αὐτίκα δ' ἀκρότατον παρ' ἱστίον ἐξετανύσθη Ἄμπελος ἔνθα καὶ ἔνθα, κατεκρήμναντο δὲ πολλοὶ Βότρυες, ἀμφ' ἱστὸν δὲ μέλας εἱλίσσετο κισσὸς Ἄνθεσι τηλεθάων, χαρίεις δ' ἐπὶ καρπὸς ὀρώρει, Πάντες δὲ σκαλμοὶ στεφάνους ἔχον. *Germanus.*

Honestum] Pulchrum. *Servius.*

Honestum] Sic Hor. Od. II. 18. *honestæ clientes*, id est, pulchræ. Ter. And. I. 1. 95. *forma honesta.* Eun. III. 3. 21. *Ita me Di ament, honestus est.*

Vide ibi Donat. *Emmeness.*

393 *Ergo rite suum Baccho dicemus honorem*] Juste igitur Liberi celebrabimus sacra. *Servius.*

Ergo] *Ergo*, veteres pro merito dicebant. Hinc Plautus in Milite glorioso: *Hiccine Achilles est, inquit mihi, immo ejus frater, ergo mecastor pulcer est.* et erit sensus. Merito, inquit, sacra faciemus ei, cujus beneficio vineta proveniunt. *Philarg.*

Ergo rite suum Baccho dicemus honorem] In veteribus aliquot codicibus legere est *suos honores:* quod rem splendidiorem efficit. *Pierius.*

Rite] Hæc vox primum hic occurrit, quam explicabimus ex doctrina Scal. in Conject. ut hinc ad locos alios Virgilii petatur. Est *rite*, idem quod caste, et Græce ἁγνῶς. Quod nobis *ritus*, veteribus dicebatur *castum*, *casti:* aut, *castus*, *castus* per quartam. Varro lib. I. Rerum humanarum: *Nostro ritu sunt facienda civilibus, quam Græco castu.* Festus: *minuitur populo luctus, cum in casto Cereris constitit.* Ubi *esse in casto Cereris* est, τὸ ἁγνεύειν Δήμητρι, *Cereri operari*, aut *Cereri puriter facere.* *Ritus* itaque et *castum*, idem: ac perinde *rite*, et *caste*, idem quoque. *Cerda.*

394 *Carminibus patriis*] Id est, Romana lingua. pleraque enim sacra, pro gentium qualitate: pleraque secundum suum ritum coluntur. nam hymni Libero apud Græcos Græca, apud Latinos Latina voce dicuntur. Hymni vero Matris Deum ubique propriam, id est, Græcam linguam, requirunt. *Servius.*

Carminibus patriis] Id est, ut Servius, Romana lingua: pleraque enim sacra pro gentium qualitate, pleraque secundum suum ritum coluntur. Nam hymni Libero, apud Græcos Græca, apud Latinos Latina voce dicuntur: hymni vero Matris Deum ubique propriam, id est, Græcam linguam, requirunt: eam Servii sententiam, Ciceronis confirmante testimonio, pro Cornel. Balb. his verbis: *Sacra Cereris, Judices, summa majores nostri religione confici ceremoniaque voluerunt, quæ cum essent assumpta de Græcia, et per Græcas sunt semper curata sacerdotes, et Græca omnia nominata: sed cum illam, quæ Græcum illud sacrum monstraret et faceret, ex Græcia deligerent, tamen sacra pro civibus civem facere voluerunt, ut Deos immortales scientia peregrina et externa, mente domestica et civili precarentur.* Ut autem hic Maro *carm. patr.* Plato μέλος πάτριον, et νόμον πάτριον in legib. Docet vero et Halicarnassæus ἀρχαιολ. l. B. Romanos patrii ritus retinentissimos fuisse, nec peregrinos deos admisisse, aut certe suo ritu coluisse, his inter alia in hanc rem verbis: καὶ ὃ μάλιστα πάντων ἔγωγε τεθαύμακα, καίπερ μυρίων ὅσων εἰς τὴν πόλιν ἐληλυθότων ἐθνῶν, οἷς πολλὴ ἀνάγκη σέβειν τοὺς πατρίους θεοὺς τοῖς οἴκοθεν νομίμοις, οὐδενὸς εἰς ζῆλον ἐλήλυθε τῶν ξενικῶν ἐπιτηδευμάτων ἡ πόλις δημοσίᾳ, ὃ πολλοῖς ἤδη συνέβη παθεῖν, ἀλλὰ καὶ εἴτινα κατὰ χρησμοὺς ἐπεισηγάγετο ἱερὰ, τῆς ἑαυτῆς αὐτὰ τιμᾷ νόμοις, ἅπασαν ἐκβάλλουσα τερθρείαν μυθικὴν, ὥσπερ τὰ τῆς Ἰδαίας ἱερὰ, &c. *Germanus.*

Lances et liba] i. e. liba in lancibus. vel refer potius ad *lancem saturam:* et explica verbis eximii Diomedis: *Lanx referta variis multisque primitiis Sacris Cereris inferebatur, et a copia et saturitate rei Satura vocabatur: cujus generis lancium et Virgilius in Georg. meminit, &c.* Inde etiam Poësis omnigeni argumenti *Satura*, sive *Satira* (ut *maxumus, maximus*) appellata est: non a *Satyris*. itaque crassissimo errore per *y*, etiam a doctiss. scribi, docent Scaliger ad Manil. et Casaubonus libr. *de Satira Roman. et Satirica Poësi Græcorum.* Hoc obiter. *Taubmann.*

395 *Stabit sacer*] Placebit. Tunc enim est aptum sacrificium, cum dedicatum animal victima uti patiens invenitur. unde et alibi sic ait, *Et statuam ante aras aurata fronte juven-*

cum. Id est, placere faciam. Contra Lucanus, *Discussa fugit ab ara Taurus.* Servius.

Et ductus cornu stabit sacer] Improbant enim Aruspices hostiam, quæ admota altaribus reluctatur. *Philarg.*

Ductus stabit] Utrumque verbum solenne, et Pontificale est. Nam victima *ducebatur* non trahebatur. Statius Th. IV. *gregum pulcherrima cervix ducitur.* Cic. de Div. I. *hostias ducerent.* Et tunc aptum sacrificium erat, cum animal dedicatum victimæ *Staret*, id est, patiens inveniretur, neque reluctaretur, dum vota fierent, et vinum et mola salsa inspergeretur. Unde Æn. IX. *Et statuam ante aras aurata fronte juvencum*, i. e. placere faciam. Vide Brisson. in Formul. l. I. *Taubmann.*

Sacer] Execrabilis: ut, *Auri sacra fames.* Servius.

Sacer h.] i. e. exsecrabilis: ut, *Auri sacra fames:* atque ita Serv. et Pomponius. V. N. prologo Pœnuli Plaut. Alii, *sacer*, i. e. devotus Deo. *Taubmann.*

396 *In verubus torrebimus exta colurnis*] Quia sicut etiam caper est inimicus vitibus, ita eis nocet et corylus. Unde et ait supra, *Neve inter vites corylum sere.* Servius.

In verubus torrebimus exta colurnis] In codice Mediceo *torquebimus* legitur: quod ipsius rei ministerium videtur exprimere. Sed enim *torrebimus* receptius. *Pierius.*

Torrebimus exta] Nam viscera sive interanea sæpenumero torrebant. Varro: *Hæ sunt, quarum in sacrificiis exta in olla, non in veru coquuntur.* Fere tamen coquebant. Festus: *Alicoqua exta dicebant, quæ in aulis coquebantur*, i. e. *elixa.* Vide Turneb. XXII. 2. *Taubmann.*

397 *Est etiam ille labor*] Jam paulatim tendit ad vitium vituperationem, dicens et infinitum esse earum laborem; ut, *Cui nunquam exhausti satis est.* et incertum fructum; ut, *Et jam maturis metuendus Jupiter uvis.* et ipsum etiam fructum perniciosum: ut, *Bacchus et ad culpam causas dedit.* Servius.

398 *Exhausti satis est*] Exhaustionis, finitionis. quod quia asperum visum est, se ad figuram transtulit, et ait *Exhausti.* ut, *Servantissimus æqui*, pro æquitatis. *Idem.*

Cui nunquam exhausti satis] Nimirum laborum ἀτέρμαντον significat, ut Eurip. ἀτέρμαντον συμφορᾶς dixit, qui sit calamitatis exhauriendæ impar et ἀνήνυτον ἔργον Plato. *Germanus.*

Cui nunquam exhausti satis] Pro, exhaustionis et finitionis, ait Servius: ut, *servantissimus æqui;* pro, æquitatis. De re ipsa Plin. VII. 22. Columella IV. 5. *Numerus vertendi soli bidentibus definiendus non est: cum quanto crebrior sit, plus prodesse fossionem conveniat.* Taubmann.

Omne solum] Continens scilicet vites. *Servius.*

400 *Æternum*] Semper, perpetuo. Et absolute locutus est. *Idem.*

Gleba frangenda] Unde et Epigram. VI. χαλκὸν ἀροτρητὴν, κλασιβώλακα, νειοτομῆα. *Germanus.*

Levandum Fronde nemus] Relevandum, spoliandum. *Omne* autem *nemus* dicit et arborum et vitium. Unde paulo post dicturus est, *Bis vitibus ingruit umbra.* Servius.

Levandum] Hic, putandum. *Phil.*

401 *Labor actus in orbem*] Id est, in anni circulum labor se invicem sequitur rusticorum. *Servius.*

Redit in orbem] Quia continuus est, et quasi circularis vinitorum labor: unde et πόνος ἐγκύκλιος. Favorinus apud Stobæum: *Ajunt amatorem quendam a patre terram colere coactum, laqueo finivisse vitam, cum in tabella scripsisset, agriculturam rem esse infinitam, et nunquam absolvi. Serendum enim, ut metamus: et metendum, ut seramus: absurdo rei circulo.* Taubmann.

402 *Atque in se sua per vest. vol. annus*] Græcis siquidem ἐνιαυτὸς quasi

in se rediens. Vide observata in eum locum Æn. VIII. *Ter denis urbem redeuntibus annis.* Infra Servius *Annum*, quasi annulum dicit: alii convertunt. ἔτους autem et ἐνιαυτοῦ etymologiam reddit Plato in Cratylo his verbis: *ἐνιαυτὸς δὲ καὶ ἔτος κινδυνεύει ἕν τι εἶναι. τὸ γὰρ τὰ φυόμενα καὶ τὰ γιγνόμενα ἐν μέρει ἕκαστον προάγον εἰς φῶς, καὶ αὐτὸ ἐν αὐτῷ ἐξέταζον, τοῦτο, ὥσπερ ἐν τοῖς ἔμπροσθεν, τὸ τοῦ Διὸς ὄνομα δίχα διῃρημένον, οἱ μὲν Ζῆνα, οἱ δὲ Δία ἐκάλουν, οὕτω καὶ ἐνταῦθα, οἱ μὲν ἐνιαυτὸν, ὅτι ἐν ἑαυτῷ, οἱ δὲ ἔτος, ὅτι ἐτάζει, ὁ δὲ ὅλος λόγος ἐστὶ τὸ ἐν αὐτῷ ἐτάζον τοῦτο προσαγορεύεσθαι ἓν ὂν δίχα, ὥστε δύο ὀνόματα γεγονέναι ἐνιαυτόν τε καὶ ἔτος ἐξ ἑνὸς λόγου.* Orpheus *παλινόστους διφρείας ἠελίου* vocat. *Germanus.*

In se volvitur] Græcis etiam *ἐνιαυτὸς* dicitur: *ὅτι ἐν ἑαυτῷ*, quasi in se rediens. Jam, *ἔτους* et *ἐνιαυτοῦ* etymologiam reddit Plato in Cratylo. Et *Annum*, a circuitu temporis putant dictum: quia *am* præpositio loquelaris (ut Scalig. ex Cic. apud Fest. loquitur) ut *circum* usurpabatur. Drepanius Florus: *Tempora transcursis in se redeuntia rivis.* Claudianus. *Volvis inexhausto redeuntia sæcula motu.* V. N. Not. Æn. I. 273. Macrobium Sat. I. 14. flagellat Scaliger ad Fest. *Taubm.*

403 *Et jam olim seras*] In Romano codice, legere est *ac jam olim.* in aliquot aliis *at jam.* quarum lectionum nullam improbarim. *Pierius.*

Seras frondis] Sero cadentes. Tarde enim spoliantur vites frondibus. *Serv.*

Olim] Quandoque. Significat autem finale tempus autumni. *Idem.*

Seras] Vetulas, aridas. *Philurg.*

404 *Frigidus et silvis aquilo decussit honorem*] Varronis hic versus est. *Servius.*

Honorem] Ita frondes appellat, pulcra metaphora. nam istæ decus arborum. Pind. Olymp. III. ait, Theronem circumposuisse comis *κόσμον ἐλαίας, decus olivæ.* Auson. Idyl. XV. *Nec mora ridentis calathi patefecit honorem.* Seneca Œdip. *Vitalis aura veniet, et silvis decor.* Cerda.

Honorem] Id est, pulchritudinem et gratiam, ut, Nonius Marcellus hunc versum exponit: sic pro *frugibus* Horat. Od. I. 17. *ruris honores.* et Epod. XI. *silvis honorem decutit*, id est, frondes. et Od. II. 11. *non semper idem floribus est honos.* Huc faciunt quæ Theocritus Idyll. VIII. 79. *Τῷ δρυῒ ταὶ βάλανοι κόσμος, τᾷ μαλίδι μᾶλα.* *Emmeness.*

405 *Acer*] Non quilibet: sed acer et diligens. *Servius.*

Curas venientem extendit in annum] Quasi in tempore alieno præmeditatur futurum laborem. *Idem.*

Curas venientem extendit in annum Rusticus] In Romano codice, pro *Rusticus*, *Agricola* legitur: magis vero placet *Rusticus*, tum quia sic habetur in reliquis exemplaribus, tum ex Tibulli Synepeia, *Ipse seram teneras maturo tempore vites Rusticus.* Pierius.

Curas venientem extendit in annum] Colum. IV. 24. *Quandocunque igitur vinitor hoc opus obibit, tria præcipue custodiat.* Post quæ verba secundo loco infert: *deinde, ut in annum sequentem quam lætissimas jam hinc eligat materias.* Cerda.

406 *Et curvo Saturni dente*] Id est, falce, quæ est in ejus tutela. Nam Saturnus dicitur patri Cœlo virilia falce amputasse, quæ in mare cadentia Venerem creaverunt: quod ideo fingitur; quia nisi humor de cœlo in terras descenderit, nihil creatur. Alii Saturnum deum esse temporum dicunt; quæ, sicut falx, in se recurrunt. Alii vero dicunt, Saturnum in progressu nihil nocere: cum retrogradus est, esse periculosum. Ideoque eum habere falcem in tutela; quod et ipsa protenta nihil valet: retro acta vero, quicquid ei occurrerit secat. *Servius.*

Et curvo Saturni dente] Id est, falce vinitoria, cujus figuram depictam tradit Colum. IV. 25. Quo vero pacto terra falcem Saturno filio suggesserit,

docet Apollod. in principio l. I. bibl. Ἀγανακτοῦσα δὲ ἐπὶ τῇ ἀπωλείᾳ τῶν εἰς Τάρταρον ῥιφθέντων παίδων πείθει τοὺς Τιτᾶνας ἐπιθέσθαι τῷ πατρί· καὶ δίδωσιν ἀδαμαντίνην ἅρπην Κρόνῳ. Sic Juven. XIII. 39. *Sumeret agrestem posito diademate falcem Saturnus fugiens.* Inde Saturnus Gr. γέρων δρεπανηφόρος, et Latine *Falcifer*, ut Ovid. in Ibin, vs. 216. *Te fera, nec quicquam placidum spondentia, Martis Sidera presserunt, falciferique senis.* Martial. V. 16. *Nam si falciferi defendere templa Tonantis.* Emmeness.

Relictam] Scilicet a se paulo ante desertam. *Servius.*

Relictam] *Relictam*, neglectam, non putatam. *Philarg.*

407 *Persequitur vitem attondens*] Est vites *ablaqueare*, ne hoc ignoret juvenis, quasi *ablacunare:* circum enim radices terra effoditur, excavaturque in formam lacunulæ, ac tum vinitor præcidit, attondetque ferro radiculas illas, quæ natant pene in superficie: quod nisi faciat, inferiores deficient, neque convalescent. Quæ dixi, colligas aperte ex Colum. IV. 8. Inde Theophr. Caus. III. 11. dicit, ablaqueationem esse necessariam ad omnes arbores, sed μάλιστα ὧν ἐπιπολῆς αἱ ῥίζαι, καθάπερ ἐλαία, καὶ ἄμπελος, *maxime ad eas, quarum radices natant in superficie, ut olea, ut vitis.* De numine illo, quod veteribus dictum *Puta*, ut quod putationibus præesset, lege Arnobium l. IV. *Cerda.*

Fingitque putando] Componit. ut, *Fingitque premendo.* Servius.

Fingitque putando] Ita Æn. IX. *fingitque premendo.* Varius de moderante equum: *Insultare docet campis, fingitque morando.* Silius l. VII. *Atque his præformat dictis, fingitque movendo.* Plaut. Capt. *fingit, arctatque.* Cerda.

408 *Primus humum fodito*] Hoc est, ad laborem primum te esse convenit, ultimum ad fructus legendos. Vinum enim factum de uvis immaturis cito acescit: et hoc loco inest vitium vituperatio, quarum fructus aut immaturi collecti depereunt: aut si earum fuerit expectata maturitas, nihilominus pereunt. Nam dicturus est, *Et jam maturis metuendus Jupiter uvis.* Servius.

Primus] Per hoc intelligendum, primus puta. et inutiles palos sub tecta referto, pro quibus novos posueris. *Philarg.*

Primus] Cato, c. 5. *Opera omnia mature conficias face. Nam res rustica sic est: si unam rem sero feceris, omnia opera sero facies.* Taubmann.

409 *Et vallos primus sub tecta referto*] Vitium sustentacula, quæ in nonnullis locis, in tecta portantur; ne imbribus depereant cito. *Servius.*

Et vallos sub tecta referto] In hanc sententiam Varro libro primo de agricultura: *Dominus simul ac vidit occipitium vindemiatoris, furculas reducit hibernatum in tecta, ut sine sumptu harum opera altero anno uti possit.* Pierius.

410 *Metito*] Vindemiato. Et per hoc dicit maturam uvam debere colligi. *Servius.*

Postremus metito] *Metere* tam ad vites, quam ad segetes refertur: ut apud Græcos ἀμᾷν et ἀμᾶσθαι non modo θερίζειν, sed et omnes fructus respicit: ut et Hesiodus καρπὸν ἀμᾶσθαι dixit indefinite. Et τρυγᾷν quoque non tantum vites et segetes, sed et cæteros quoque fructus comprehendit: unde et τρυγᾶσθαι φοίνιξ palma stringi, et decerpi dicitur: et τρύγη pro vindemia, hordeo, tritico, et fructu quolibet accipitur: καλαμᾶσθαι quoque non modo σταχυολεγεῖν, et spicilegium facere, et metere, sed et racemare et οἰναρίζειν significat: unde et Gazæ καλαμώμενος ὀπίσω τρυγητῶν, qui acinos colligit post vindemiatores: et Chrysost. de sacerd. καλαμᾶσθαι ὡς ἄμπελον τὰ κατάλοιπα τοῦ Ἰσραήλ. Sed et vindemia, et vindemiare ad aliorum fructuum, quam uvæ, collectionem pertinet;

tes melque respicit, quod Græci βλίττειν τὸ μέλι, castrare apes: unde Plinius, *Prima mellis vindemia melior:* et Columella, *Mox vere transacto sequitur mellis vindemia:* et infra Ge. IV. *Bis gravidos cogunt fœtus: duo tempora messis*, de apibus. Et Cicero ad Att. *Ego omnes meas vindemiolas eo reservo, ut illud subsidium senectuti parem:* de studiorum fructu loquens. *Germanus.*

Bis vitibus ingruit umbra] Vitis et arboris, ut dempta folia Solem admittant, quo possint uvæ maturescere. *Servius.*

411 *Bis segetem densis obducunt sentibus herbæ*] Semel autumnali, semel vernali tempore. *Idem.*

Obducunt sentibus herbæ] Lucret. l. I. *sentibus obducat.* Cerda.

412 *Durus uterque labor*] Et vellendarum herbarum, et frondium secandarum. *Servius.*

Laudato ingentia rura, Exiguum colito] Hoc etiam Cato ait in libris ad filium de agricultura: quod ideo dictum est, vel quia majores, agros incultos rura dicebant, id est, silvas, et pascua: agrum vero, qui colebatur: ut intelligamus, Laudato ingentes silvas, colito agrum minorem. vel, quod melius est, quia ait in primo, *Alternis idem tonsas cessare novales, Et segnem patiere situ durescere campum:* quod fieri non potest, nisi fuerint spatia majora terrarum. nam et Cato, ut diximus, et Cicero in Œconomicis, ob hoc laudant prædia latifundia; vel quod, ut dicit Donatus, etiam non culta præstant aliquid domino. *Idem.*

Laudato ingentia rura, Exiguum colito] Ad hanc sententiam pertinent multa, quæ Colum. scribit I. 3. *Nec dubium* (ait) *quin minus reddat laxus ager non recte cultus, quam angustus eximie.* Et: *Pœnos dixisse convenit, imbecilliorem agrum, quam agricolam esse debere: quoniam, cum sit colluctandum cum eo, si fundus prævaleat, allidi dominum.* Ad agri quoque rationem transfert Græcum illud, μέτρον ἄριστον. Pari sententia Plin. XVIII. 6. *Modum agri inprimis servandum antiqui putavere. quippe ita censebant, satius esse minus serere, et melius arare.* et postea: *latifundia perdidere Italiam, jam vero et provincias.* Pallad. I. 6. *fœcundior est culta exiguitas, quam magnitudo neglecta.* Xenophon in Œcon. οὐδὲ ἡ γῆ μέντοι χρήματά ἐστιν, εἴπερ ἀντὶ τοῦ τρέφειν πεινῆν παρασκευάζει: *Neque terra computanda est inter bona, si quæ debuit alere, cultorem affligit.* Illustrant ista sententiam Virgilii. Sed necessarium explicare signatius, quid sit vox illa *laudato*, idque ex doctrina Turn. XX. 14. Græci verba αἰνεῖν et ἐπαινεῖν, id est, *laudare*, capiunt pro *improbare, recusare, nolle*, traducto sermone ab assentatoribus, qui ea laudant, quæ improbant: nam ea est perversitas mortalium, ut simulata laudatione res afficiant. Advocat Hesiodum, qui νῆ' ὀλίγην αἰνεῖν, μεγάλῃ δ' ἐνὶ φορτία θέσθαι: *lauda exiguam navem, et magna onera.* id est, recusa, respue. Eadem forma locutus Soph. apud Athen. ex observatione Ursini: τὰ μὲν δὴ καὶ ἐπαίνει, τοῦ δὲ κερδαίνειν ἔχου: *hæc quidem lauda, hæc vero in lucro pone.* Inde in Vatinium Cic. *Sed cur T. Anium tantopere laudes, et clarissimo viro nonnullam laudatione tua labeculam aspergas: in illorum enim numero mavult T. Anius esse, qui a te vituperantur, &c.* De imitatione breviter. Ait Germ. ab hac Maronis fortasse fluxisse illud Valerii VII. 2. definientis felicem: *Non ille divitiis, et honoribus abundans, sed aut exigui ruris, aut, &c.* Est etiam locus de re simili in Aristotele, Polit. VIII. *Cerda.*

Laudato ingentia rura: Exiguum colito] Cur ad alienam significationem confugiendum sit, non videt Cl. Grævius in lect. Hesiodiis vs. 643. pag. 76. Non. Marcellus hoc loco

laudare pro *efferre verbis* interpretatur. De mensura agri, quem coluerunt antiqui et prisci Romani, quæque luxuriantis reipubl. fuerint possessiones Plin. XVIII. 3. Exiguum rus Venusino placuisse videtur od. III. 16. *Silvæque jugerum Paucorum*, &c. Sat. II. 6. *Hoc erat in votis: modus agri non ita magnus.* Martial. I. 56. *Hoc petit esse sui, nec magni ruris arator. Sordidaque in parvis otia rebus amat.* sic Juv. III. 228. *Vive bidentis amans et culti villicus horti.* Emmen.

413 *Rusci*] *Ruscum* virgultum est, unde vites ligantur. Et commemorat labores, qui licet circa alia, tamen pro vitibus exercentur. *Servius.*

Rusci] *Ruscus*, sive *Ruscum*, Dioscoridi *myrtus silvestris*, amplius paullo herba est, (ut ait Verrius) exilius virgulto, non dissimile junco: atque ex eo etiam plerisque Italiæ locis et scopæ fiunt, et vites ligantur. A Medicis barbaris *bruscum* vocari, notat Erithræus, quem vide. Gifanius hic, et Ecl. VII. *rustum* legit: ut indicetur rubi genus inprimis asperi, quo sæpes muniri et implecti consueverint, teste Columella. Servium ait *rustum* pro pedamine vitis accipere, non recte. Vide indic. Lucr. *Taubmann.*

415 *Incultique exercet cura salicti*] Quasi cum indignatione ait, Caussa vitium, cura nos etiam sponte nascentium rerum fatigat. *Servius.*

416 *Falcem arbusta reponunt*] Putatæ sunt, nec falcem requirunt. *Idem.*

417 *Jam canit extremos effætus*, &c.] Melius est *Effætus* legere, quam *effætos:* ut quidam legunt. Et *antes* alii extremos vinearum ordines accipiunt: alii macerias quibus vineta clauduntur: quæ maceriæ fiunt de assis, id est, siccis lapidibus. Unde assæ tibiæ dicuntur, quibus canitur sine chori voce. Dicuntur autem *Antes* a lapidibus eminentioribus, qui interponuntur ad maceriam sustinendam: proprie *antes* sunt eminentes vel columnæ ultimæ, quibus fabrica sustinetur. et appellantur *antes* ἀπὸ τοῦ ἀντιστῆναι: ad quam etymologiam, etiam extremos ordines vinearum possumus trahere, qui ante stant. Hoc autem dicit, Jam cantat rusticus labore finito: tamen deesse non potest quod exercere circa culturam vitium debeat. *Idem.*

Jam canit extremos effætus vinitor antes] Carminis hujus lectio in antiquis codicibus varia est. Nam in codice Romano, *Jam canit effætos extremus vinitor.* Verum id improbatur a Servio, qui mavult *effætus* legere. In Longobardico atque etiam in Mediceo, *canit effætus extremos*, aliqui timentes syllabæ, dictionum ordinem transmutarunt: multaque ita, ut vidimus, toto opere ausi sunt aggredi. *Pierius.*

Antes] Cato de re militari: *Pedites quatuor agminibus, equites duobus antibus ducas.* sunt autem extremæ quadrarum partes. *Philarg.*

Jam canit extremos effætus vinitor antes] Hoc nomine cujuscunque rei, ut et vitium, nec non aliarum arborum anteriores ordines, quique frontem spectant, appellantur, ut Salmas. Plinian. exercit. p. 1216. ubi Servii, Nonii Marcelli, aliorumque Grammaticorum ineptias enarrat et refellit. Isidor. XV. 7. opponit postibus: sed hoc loco *antes*, ut Glossæ Veteres, στίχοι ἀμπέλων, sic et *antium*, τάξεων, στίχων. Ideo Turneb. advers. XIX. 19. *antes*, dicit, *esse in ingressu, qui et finis est laboris, cum ad eum perventum est.* Complures confundunt hæc tria *antes*, *antæ*, *anterides*, in quibus Cœl. Rhodig. variar. lect. XVI. 11. *Emmen.*

418 *Sollicitanda tamen tellus*] His, et omnibus quæ præcesserunt, satis explicat difficultates vinearum. Consentiunt verba ista Colum. IV. 3. *At ego, cum omne genus ruris, nisi diligenti cura, sciteque exerceatur, fructuosum esse non posse judicem, tum vel maxime vineas. Res enim est tenera, infirma, injuriæ maxime impatiens, quæ plerum-*

que nimio labore et ubertate consumitur peritque, si modum non adhibeas, fœcunditate sua, &c. Pergo ad imitationem. Ex Virgiliano fonte Tibul. I. 7. de Osiride: *Et teneram ferro sollicitavit humum.* et Ovidius Fast. IV. *Quas tellus nullo sollicitante dabat.* id est, quas herbas. Par forma illa Claudiani in Prol. Rapt. l. I. *et rudibus remis sollicitavit aquas.* Observes obiter, eos, qui terræ dant verbum *sollicito*, fortasse alludere ad Etymon, quod Grammatici non ignobiles ducunt a *solo*, et *ciere*. Ut sollicito sit, *solum terræ ciere*. Cerda.

Pulvisque movendus] Genus ipsum culturæ pulveratio vocatur; quo imminutæ glebæ vitibus applicantur. *Servius.*

Pulvisque movendus] De pulveratione, quæ Græcis ὑποκόνισις, sic Columella XI. 2. *frigidioribus regionibus pulverationem faciunt, quam rustici occationem vocant, cum omnis gleba in vineis refringitur, et resolvitur in pulverem.* Sic paulo post: *priusquam vineæ pulverentur.* Quo tempore hoc fieri debeat, Pallad. in Mart. tit. 7. De hac pulveratione plura Salmas. Plin. exercit. p. 512. *Emmeness.*

419 *Maturis metuendus Juppiter uvis*] Aër, more suo, cujus varietas plerunque laborem decipit rusticorum. Et tacite videtur admonere, quod in primo aperte dixit, sacrificiis tempestates esse pellendas. *Servius.*

Metuendus Juppiter uvis] Jupiter hic pro *aëre pluvio humidoque, vel imbribus:* ut supra: *maturis frugibus imbres.* Ex aëre siquidem aqua, et contra. Sic et alibi: *cum Jupiter humidus austris.* Item hoc ipso libro: *Tum pater omnipotens fœcundis imbribus, &c.* Scilicet et Græci Ζεὺς ὕων, et νεφεληγερέτης. Unde et Phil. Epigr. de platano vino rigata: λουσαμένη βρομίῳ δ' ἔστην πάλιν, ὄμβρον ἔχουσα χείματι, καὶ θάλλει τοῦ Διὸς ἡδύτερον. *Germanus.*

420 *Non ulla*] Id est, nulla. alii *Nonnulla* legunt, id est, aliqua: non, ut in vitibus, nimia. *Servius.*

Non ulla] Alii leg., auctore Servio, *nonnulla*, i. e. aliqua; neque, ut in vitibus, nimia. Nam et Col. v. 7. affirmat, omnis arboris cultum, præ vineæ, simpliciorem esse, et minoris impensæ. *Taubmann.*

421 *Procurvam expectant falcem*] Ut putentur: quod tamen ad curam refertur anniversariam. nam necesse est, licet tarde, olivam putari. *Serv.*

Expectant] Subaudiendum, talis cultura. Cæterum et oliveta coluntur. et quod ait, *nec curvam expectent falcem*, extrinsecus subaudiendum omni anno, quia et ipsa ex intervallo radi solent. *Philarg.*

Rastrosque tenaces] Ad fodiendum scilicet. Quam cum trahitur rastrum per agros, omnem spurcitiam secum colligere videtur. Negligentiam autem ferunt oleæ, quum jam cœperunt esse valentiores: nam adhuc parvæ, nimiam curam requirunt. *Servius.*

Rastrosque tenaces] Id est, non exspectant τὴν σκαπάνην καὶ τὴν τομήν. vide Salm. Plin. exerc. p. 587. *Emmeness.*

422 *Aurasque tulerunt*] *Ferre auras*, proprie est, assuescere aëris varietati; quæ obest rebus teneris nimium. *Servius.*

423 *Ipsa satis tellus*] Hoc dicit, Aratum olivetum et oleis prodest, et exinde frumenta gignuntur. *Idem.*

Dente unco] Pulcra metaphora, cui hærens Plin. XVIII. 18. *arando mordeat vomer.* et Alcimus Avitus l. III. *vomeris affixi mordaci dente.* Cerda.

424 *Sufficit humorem*] Scilicet subministrat arboribus. *Servius.*

Gravidas cum vomere fruges] *Cum* abundat: nam hoc dicit, Subministra fruges vomere, id est, per vomerem. Ennius, *Effudit voces proprio cum pectore sancto*, id est, proprio pectore. Nam *cum*, vacat. Urbanus tamen sic accipit, *Gravidas cum vomere*, id est,

statim post arationem. *Idem.*

425 *Hoc*] Hac re. *Idem.*

Nutritor] *Nutritor*, pro *nutri*. nam pro activi imperativo præsenti, passivum futurum posuit. *Idem.*

Placitam paci olivam] Solvit unicam vocem Græcorum, qui oleam vocant φιλείρηνον. Quod hic de pace attingit Poëta dicam Æn. VIII. ad illud: *Paciferæque manu ramum prætendit olivæ*. Cerda.

427 *Et viris habuere suas*] Quia tenera virgulta solent religari fustibus validioribus; sicut supra ait de vitibus, *Viribus eniti quarum et contemnere ventos*. Servius.

428 *Opisque haud indiga nostræ*] In Romano codice, *opes haud*, absque particula *que* legitur. scriptum vero est *opes*, pro *opis*, more suo, uti eo loco, *sublimes* in æthere *Nisus*, pro *sublimis*. qui syllabæ timuerunt post *opis*, *que*, ut facere soliti sunt, addidere. Nam lectio venustior absque ea particula. *Pierius.*

Opisque haud indiga nostræ] Ex Lucretio, qui l. I. et II. *Ipsa suis pollens opibus, nihil indiga nostri.* Ex utroque Symmach. Epist. I. 69. *opis indiga*. et Epist. VII. 107. *opis indiges sublevare*. Notat Victorius esse hoc, idem cum illo Aristotelico. Rhet. I. τὸ ἧττον προσδεόμενον θατέρου, ἢ ἑτέρων, αὐταρκέστερον γάρ: *quod minus eget alia, aut aliis rebus, eo magis se ipso contentum est*. Cerda.

429 *Fætu nemus omne gravescit*] *Fætu*, id est, utilitate: nam omnis utilitas fœtus est. illuc autem tendit laus ista silvarum, ut et probet non mirum esse, si et poma et olivæ sine ulla cultura præbeantur; et crescat vitium vituperatio, circa quas tantus impenditur labor. *Servius.*

Fætu nemus omne gravescit] *Fætu gravescere*, de arboribus proprie βρίθειν dicitur, hoc est, βαρύνεσθαι· quod et aristis communicavit Hesiod. ἐκτελέα βρίθειν Δημήτερος ἱερὸν ἀκτήν. et Nonnus, βεβριθότα καρπῷ κλήματα· et illud, βέβριθε χρυσοκάρποισι. *German.*

Gravescit] A prægnantibus sumta metaphora. Ita supra, *gravidas fruges*. Prudent. l. II. contra Symmach. *gravidis se vestiet æquor aristis*. Theophr. Caus. I. 6. de arboribus. κυόντων: *fætu gravidis*. Iterum, τῇ ἐγκύσει, *partu*. Ita illud: *parturit arbos*. Cerda.

430 *Aviaria*] Secreta nemorum, quæ aves frequentant. *Servius.*

Baccas sanguineas] Accipimus poma silvestria. *Idem.*

Sanguin. baccis] Pari forma Ge. I. dixit *cruenta myrta*. Intelligit autem hic *poma silvestria*: ut sunt corna, sorba. *Taubmann.*

431 *Tondentur Cytisi*] Virgulta, a Cytho insula, ubi abundant, nominata. *Servius.*

Tondentur Cytisi] In Romano codice versus hic statuitur post eum, *Pascunturque ignes*. Sed non procedit. *Cytisi* sine adspiratione. *Pier.*

Cytisi] De *cytiso* herba, seu frutice arborescente, et eximio ejus, in re pecuaria, usu, legatur Plinius XIII. 24. et XVIII. 16. Item Colum. V. 12. Hunc fruticem olim tam nobilem, hactenus tamen ignotum, indicavit patrum ævo, *C. Gesnerus*. In agro Schafhusano frequentari dicitur; et a nonnullis Kleeblümlein nuncupatur. *Taubmann.*

432 *Et lumina fundunt*] In antiquo, *ac lumina fundunt*] Pierius.

Lumina fundunt] Ex Lucret. l. IV. *Semper enim nova se radiorum lumina fundunt*. Cerda.

433 *Et dubitant homines, &c.*] Similis locus Æn. VI. *Et dubitamus adhuc virtutem extendere factis?* Similia in Tullio ex observatione Victorii XIX. 15. Pro lege Man. *Et quisquam dubitabit, quin huic tantum bellum transmittendum sit?* Iterum, *Et quisquam dubitabit, quid virtute perfecturus sit, qui tantum auctoritate perfecerit?* Non dubito, quin a Tullio Virgilii imitatio manaverit. Porro, versus

Virgilii esse potest proverbialis sententia, qua exhorteris quempiam, ad capessendos labores, pro cœlesti gloria, quæ magnis jucunditatibus perfusa: ad literarum studia, quæ tot secum afferunt bona: ad militiam, equestrem, nauticam, referta magnis commodis. *Idem.*

434 *Quid majora*] Quomodo majora, si salices plus sunt humiles quam myricæ? solvitur. Hic sensus est, et hæc subdistinctio: *Quid majora sequar?* et transit etiam illa, quæ putes esse contemnenda. multum possunt, et salices, et myricæ, sive genestæ, prodesse. *Philarg.*

Humilesque genestæ] Per *i* non nulli, sed antiquiora omnia exemplaria *genestæ*, per *e*, in pene ultima legunt: uti etiam superius adnotatum est. *Pierius.*

435 *Aut illæ*] Id est, salices aut genestæ. Multi tamen et *tiliæ* legunt; ut tria dixerit, Salices, tilias, et genestas. *Servius.*

Aut pastoribus umbram] In veteribus omnibus codicibus scriptum observavi *umbras*, numero multitudinis. *Pierius.*

437 *Undantem buxo spectare Cytorum*] Montem Macedoniæ, in quo abundat buxus: quæ vento mota, æstus imitatur undarum. *Servius.*

Undantem] Fluctuantem. *Philarg.*

Undantem buxo spectare Cytorum] An tu quicquam melius? Tale illud supra: *ac late fluctuat omnis Tellus.* et Claudian. Rapt. II. *venturi præscia laurus Fluctuat.* Prudent. II. contra Symm. *Unde seges late crinitis fluctuet agris.* Sidon. in Protrept. *gemmarum fluitantibus racemis.* Seneca in Herc. Furen. *fluctuat Zephyro seges.* Ad eandem rem Noster non minus præclare, *nato.* Nam Ge. III. *tum fruges altæ, campique natantes Lenibus horrescunt flabris.* Auson. in Mosel. *Tota natant crispis juga motibus, et tremit absens Pampinus.* Descriptionem undantis et natantis campi hanc habet Silius l. IX. *Mitia ceu virides agitant cum flamina culmos, Nec dum maturas impellit ventus aristas: Huc atque huc it summa seges, nutansque vicissim Alterno lente motu incurvata nitescit.* Observabis locutiones, quas hic illustravi de verbis, *undo, fluctuo, fluito, nato,* traduci eleganter ad alia posse, non solum ad arbores et segetes. Sic de comis, Lucilius Sat. l. VII. *Aptari caput, atque comas fluitare Capronas.* De bello Papin. Theb. VII. *belli fluitantis Imago.* Trita sunt, *vestes fluitare, undare lora, natare crines.* Quod omnes isti pulcerrimis metaphoris, Libanius simpliciter λήϊα Ζεφύρου αὔραις κινούμενα, *segetes motas auris Favonii.* Habentur ista in laudatione agricolarum. et loco alio, τῇ κινήσει τῶν λῃΐων. *Cerda.*

Cytorum] Duo hic dicam. Primum de situ hujus montis, alterum de buxo, quam fert: addam obiter levem Plinii correctionem. Est hic mons, non Macedonum, ut Servius, sed Paphlagonum, ut Homerus. Nam de his Il. II. Οἵ ῥα κύτωρον ἔχον, καὶ σήσαμον ἀμφενέμοντο. *Qui Cytorum tenebant, et Sesamum incolebant.* Eustathius, κύτωρος πόλις παφλαγονίας συνωπέων ἐμπόριον, περὶ ἣν πλείστη, καὶ ἀρίστη πύξος φύεται: *Cythorus urbs Paphlagoniæ, Synopeorum emporium, ubi buxus plurima et optima nascitur.* Abundat hic mons buxo plurima, ut jam vidisti ex Eustathio. Adjunge Ovid. Met. IV. *Cytoriaco pectine* pro buxeo. Plin. XVI. 16. *Buxus Pyrenæis ac Cytoriis montibus plurima, et Berecinthio tractu.* Interpres Apollonii in illud l. II. ὑλήεντα κύτωρον, ita ait, διὰ τὴν πύξον ἐκεῖ πολὺν γίνεσθαι: *a buxo, quæ ibi multa.* Huc pertinet forma adagii, quam Eustathius aperit. πύξον εἰς κύτωρον ἤγαγες: *attulisti buxum in Cytorum.* Quod simile illi, *noctuas Athenas.* Ante hos omnes Theophr. Hist. III. 15. loquens de buxo: καὶ γὰρ τὰ κύτωρα τοιοῦτον οὗ ἡ πλείστη γίνεται: *Cytorum ejus est naturæ, ut*

buxi plurimum ferat. Allusit Valer. Argon. l. v. *atque jugo pallente Cytorum:* allusit, inquam; nam hic pallor a buxo est. Credibile autem legendum in loco Plinii, quem adduxi, *Cyrenais*, aut, *Cyrenis*, non *Pyrenæis*. Nam statim Theophrast. a quo ille reliqua sumsit. μέγιστοι δὲ καὶ κάλλιστοι ἐν Κυρήνῃ: *proceræ admodum, et pulcerrimæ in Cyrenis.* Idem.

Cytorum] *Cytorus* mons est aut civitas, aliis quidem Paphlagoniæ, aliis Ponti, buxo abundans. Unde et Catullo *buxifer* dicitur, Carm. IV. Vide et Plin. XVI. 16. *Undantem* ait, quia vento agitata, æstus undarum imitatur. *Taubmann.*

438 *Naryciæque picis*] A loco, in quo abundant picea. *Servius.*

Naryciæque picis lucos] Hoc genus picis laudabile. Ejus etiam meminit Plin. ex Virgilio XIV. 20. Sed quæ hæc pars orbis? Referunt ad Naryciam urbem Calabriæ, alii ad Naresios Liburniæ populos, jam alii ad Narycios Locrorum, de quibus vates, Æn. III. *Hinc et Narycii posuerunt mœnia Locri.* Servius Danielis legit, et explicat *Mariciæ*. Cerda.

439 *Non ulli obnoxia curæ*] Non debitricia, nihil labori nostro debentia. *Servius.*

Obnoxia] Egentia. *Philarg.*

Curæ] Græci cultum arborum et plantarum θεραπείαν nominant. Vide Salm. Plin. exercit. p. 516. *Emmen.*

440 *Ipsæ Caucasio*] Caucasus mons est Scythiæ, positus hic pro quibuslibet asperrimis montibus. Steriles autem ait silvas, comparatione pomiferarum arborum. *Servius.*

Ipsæ Caucasio] In aliis *Caucaseo*, sed in antiquis *Caucasio*. Pierius.

Caucasio] De Etymo Caucasi videndus Plin. VI. 17. per initia. *Cerda.*

441 *Animosi Euri*] Præclare, nam cum allusione ad Græcam vocem, est enim ἄνεμος ventus. Simili ferme orationis cultu Poëtæ alii dant animos tempestati, fluviis, mari. Papin. Th. IX. *animosaque surgit Tempestas instar pelagi.* et III. *Ut rapidus torrens, animos cui verna ministrant Flum.* et V. *animi maris* dixit. Multa in Papinio his similia. Ita contra idem in LXX. *Ut si quando ruit, debellatasque relinquit Eurus aquas, pax ipsa tumet, pontumque jacentem Exanimis jam volvit hiems.* Idem.

443. *Navigiis pinos*] Cur pinus utilis navigiis? Theophr. cum dixerit. Hist. v. 8. ἐλάτη μὲν οὖν, καὶ πεύκη ναυπηγήσιμα, *abies et pinus aptissimæ navibus*, addit rationem de pino, διὰ τὸ ἄσαπὲς, *quia non putrescat.* Plinius XVI. 42. dicit, esse hanc arborem firmissimam adversus cariem, et tineas. Vitruvius II. 9. illi dat *æternam diuturnitatem.* Integra adducam statim. *Idem.*

Domibus cedrosque cupressosque] Cur istæ bonæ ædificiis? quia, auctore Theophrasto Hist. v. 5. ἄσαπῆ δὲ φύσει κυπάριττος, κέδρος: *incorruptæ sunt cupressus et cedrus.* Vitruv. II. 9. *Cupressus, abies, et cetera, quæ ædificiis sunt idoneæ.* Et de cupresso, et pinu ita ibidem: *in vetustatem sine vitiis conservantur.* et postea: *ideoque, quæ ex his generibus opera constituuntur, permanent ad æternam diuturnitatem.* Adhibetque rationem, cur istæ arborens pene æternæ. Quia inest in earum corporibus amarus quidam sapor, qui arcet cariem, et eas bestiolas, quibus ea gignitur. Paria statim de cedro. et VII. 3. ait, asseres camerarum debere esse cupressinos ob vetustatem. Pergo ad Plin. qui XVI. 40. *cariem vetustatemque non sentiunt cupressus, cedrus.* Easdem postea, *æternas* vocat. Adjuvitque in ejus rei argumentum ædificia plurima, quæ ex utraque arbore diu permanserunt, peneque ad immortalem memoriam. Quo argumento et alii usi. De cedro vide signate Theophrastum. Hist. v. 9. *Idem.*

Cedrosque cupressosque] In Romano, in Medicaeo, et aliis antiquioribus codicibus, legitur: *Cedrumque cupres-*

sosque. Quanquam in Longobardico *cupressos*, absque particula encliticа scriptum sit, scriptoris negligentia. *Pierius.*

444 *Hinc*] De silvis scilicet: nam de cupresso efficit rotas nullas aut radios. *Servius.*

Trivere] Tornavere, composuere de torno. *Idem.*

Trivere] *Terere* est omnium tornatorum, cælatorum, &c. Hinc Glossæ Vett. *tritores* τορεύται, teste Salmas. Plin. exercit. pag. 406. 715. 1045. et 1049. *Emmeness.*

Rotis] Rotas ex solidis tabulis factas; tympana appellavit; et agricolæ necessaria distinguunt. *Philarg.*

Tympana] Tecta vehiculorum. *Serv.*

Tympana] Schefferus de re vehic. I. 6. arguit erroris Servium, plaustra quippe rustica, et oneribus gestandis facta, non habuisse tecta. Eum adeas, et plura dabit. notabis etiam differentiam inter *tympana* et *rotas*, quod *tympana* ex solidis tabulis erant contexta, *rotæ* autem ex radiis. ut Salmas, Plin. exercit. p. 589. *Emmen.*

445 *Pandas*] Curvas. *Servius.*

446 *Viminibus salices fecundæ*] Legitur et *Fecundæ frondibus ulmi.* Id.

447 *At myrtus validis hastilibus.*] Alibi, *Et pastoralem præfixa cuspide myrtum.* Idem.

Myrtus validis hastilibus] Quia ipsa validissima. Theophr. Hist. II. 8. ἰσχυρότατον. Auctor Geopon. loquens de myrto: πρός τε τὰ πλεκτὰ σκεύη, καὶ τὰ ἀκόντια ἐπιτηδείως ἔχει: *apta est ad vasa textilia, et ad jacula.* Cerda.

Et bona bello Cornus] Apta est enim etiam cornus hastilibus. *Servius.*

Bona bello Cornus] Ita Homer. Odys. H. δένδρεα καλά. Sed quare cornus bona bello? quia firmissima. Theophr. Hist. V. 8. ἰσχυρότατον δὲ καὶ ἡ κρανία: *fortissima est cornus.* Dioscor. XI. 173. κρανία δένδρον ἐστὶν ἀδρόν: *cornus dura est arbor.* Xenophon Hellen. III. palta (sunt hæc hastilia sic dicta a vibrando) scribit fuisse κρανίνα, cornea. Eadem in libro de arte equestri. et quidem legendum in Xenophonte κρανΐνα, non κρανάϊνα. Citat Ursinus ex Cynætho Chio, κράνειον ἀκόντιον: *corneum jaculum.* Noster in Æn. *volat Itala cornus.* Facit illud Plinii XVI. 38. *fulva cornus, in venabulis nitet incisuris, nodata propter decorem.* Cerda.

Bona bello Cornus] Idonea conficiendis hastilibus materia est. noster Æn. IX. 698. *volat Itala cornus.* Æn. XII. 267. *sonitum dat stridula cornus.* Similia profert utilius ad Grat. Cyneg. p. 145. *Emmeness.*

448 *Ityræos taxi curvantur in arcus*] *Ityræos*, hoc est in arcuum Ityræorum similitudinem. *Ityræos* autem dicit, *Parthicos.* Servius.

Ityræos taxi curvantur in arcus] Invenies omnino in aliquot codicibus antiquis *curvantur*: sed in Mediceo, *Torquentur* habetur. In aliquot *Itureos* per *u*, et absque adspiratione: quam addere nonnulli Grammatici commenti sunt, nomen ἀπὸ τοῦ ἰθύνω deduci asserentes. Sed enim apud Dionysium et Strabonem in codicibus manuscriptis per τ et ου nomen scriptum inveni, ἰτουραῖοι, quamvis in codicibus Aldinis per θ notatum sit, errore librarii, τὰ μὲν οὖν ὀρεινὰ ἔχουσι πάντα Ἰθουραῖοί τε καὶ Ἄραβες. Est et ubi *tyræos* legas, sed inemendate. Sunt enim in Arcadia *Thyrai*, et in Isthmo Tarentini promontorii. De *Itureis* vero sagittariis habetur in epistola Valeriani imperatoris ad Aurelianum. *Habes sagittarios Ituræos trecentos.* recitatum a Flavio Vopisco. *Pierius.*

Ityræos] i. e. præstantissimos: quales sunt Ityræi gentis Parthicæ, Flav. Vopiscus: *Habes sagittarios Ituræos trecentos.* Cic. Anton. II. *Cur homines omnium gentium maxime barbaros Ituræos cum sagittis deducis in forum?* Pontanus huic voci adspirat, perperam; ut quidem censet Erythræus, qui et *Ituræos* scribit. Probus *Itureos* populos *Scythiæ* facit: manifesto er-

rore. legend. enim *Syriæ*: ut annotat Scalig. ad Varron. *Taubmann.*

Ityræos] Dausquius in orthogr. secundam per *u* efferri mavult. *Emm.*

449 *Nec tiliæ leves, aut torno rasile buxum*] Ordo est, Nec non tiliæ leves aut rasile buxum, torno formam accipiunt. *Servius.*

Tiliæ leves] Ait hanc esse aptam ad formas capiendas. Theophr. Hist. I. 8. εὔκαμπτον δὲ καὶ ἡ φιλύρα: *flexibilis tilia.* et v. 7. dicit, illam esse obedientissimam ad omnia διὰ μαλακότητα, *propter mollitiem.* Plin. XVI. 40. *mollissima tilia.* Vitruvius II. 9. de illa, et aliis, *in sculpturis commodam præstant tractabilitatem.* Obedientiam tiliæ expressit Virgilius epitheto levioris. Ab hac obedientia natum, ut tilia dicatur a Plinio *utilis*, et *ad mille usus petenda.* et Theoph. Hist. v. 8. ait, esse aptam ad foros navium longarum, ad areas, ad fabricas mensurarum. De imitatione verbum unum. Ex Marone Seneca in Œdip. *Amara baccis laurus, et tiliæ leves.* Cerda.

Aut torno rasile buxum] Signant Grammatici dictionem *Buxum* neutro genere dictam a Virgilio: quam fœminino Ennius, et plerique alii ex veteribus protulere. Sed enim aliis ex *Buxus* arbor est: *Buxum* materia. atque ita recte etiam alibi dictum, *Mirata volubile buxum.* Pierius.

Torno rasile buxum] *Lignum* dixit, non *arborem:* quamvis, Ennii exemplo, et arborem potuerit dicere neutro genere; *stat amaro corpore buxum:* ut notat Philarg. E buxo autem toreumata fiunt. Plin. XVI. 16. et 40. *Taubmann.*

Buxum] Cur hæc apta tornationibus, facile elici potest ex verbis istis Plin. XVI. 16. *Inprimis vero materies honorata buxo est, raro crispicanti, nec nisi radice. Cetero, lenis, quies materiæ, silentio quodam, ac duritie, et pallore commendabilis.* Et c. 40. ait, buxum esse gracilem natura. Ideo Apul. Apol. I. *Cum apud eum multas geometricas formas e buxo vidissem subtiliter et adfabre factas.* Cerda.

451 *Nec non*] Dicit, hoc est, etiam. *Servius.*

452 *Missa Pado*] Pro in Padum. Species est pro genere. *Idem.*

453 *Vitiosæque ilicis alveo*] Cariosæ. Vult autem probare etiam putres arbores habere aliquam utilitatem. Sane pro *alveo*, per Synæresim *alvo* dicimus. *Idem.*

Vitiosæque ilicis alveo] In nonnullis *alvo*, sed in Romano codice legitur *alveo*, quod mirifice placet. *Pierius.*

454 *Quid memorandum æque*] Quid similiter laudandum. *Servius.*

Tulerunt] Dona Liberi: sicut silvæ multa sponte procreantes. Alii *Et quæ* legunt; ut sit sensus, Quid dicendum est quæ tulerunt, ipsa etiam dona Baccheja. ut hoc dicat, Parum est quod vites tantum laborem requirunt, etiam munera earum caussas præstant furoris. *Idem.*

455 *Ille furentis Centauros*] Atqui in Æneide ait, *Mars perdere gentem Immanem Lapithum valuit.* Sed hoc solvit Horatius dicens, *Nec se Mars melius cum Marte confundit Thyoneus.* Nam re vera licet irarum caussas Mars habuerit, Lapithæ tamen et Centauri in furorem sunt ebrietate compulsi. Deinde hoc loco Centauros ait in furorem actos a Libero, non Lapithas. *Idem.*

456 *Centauros*] De pugna, quæ orta in convivio ab Euryto, Centaurisque reliquis contra Lapithas, et horum regem Pirithoum; atque mutuis vulneribus multi conciderint, præsertim ex Centauris, nihil hic exspectes: adeundus Ovidius Met. XII. qui late, et graphice. Ibi nomina Centaurorum plurima, Virgilius hic, ut in excursu, tres tantum infert, Rhœtum, Pholum, Hylæum, qui armis pariter et vino domiti, qui poculis pugnabant et crateribus. Primi Rhœti meminit Callimachus hymno ad Dianam, Val. Argon. I. Ælianus Var. Hist. l. XIII. in

Historia Atlantæ, Horat. od. II. 19. Sed quidem, cum Callimachus in eo nominando dicat *ῥοῖκον*, et Ælianus *ῥοῖκος*, vel legendum in Græcis ex Latinis *ῥοῖτος*, vel in Latinis ex Græcis Rhœcus. et hoc probabilius. Nam et Valer. Argon. I. *Rhæcus* dixit: sic enim habent correctissimi codices, non Rhœtus. Porro medii Pholi meminit Claudianus in Præf. ad nuptias Honorii et Mariæ. Papin. Theb. II. Theocritus *εἰδ.* VII. et Ovidius. Sunt qui putent et Valerium Argon. I. induxisse hunc Centaurum, leguntque in illo, *Parte alia Pholus, multoque insignis Iaccho Rhæcus.* Sed hoc non verum: tum quia correcti codices legunt *Pholoë*, tum quia ipse lib. III. *Qualis in Alciden, et Thesea Rhæcus iniqui Nube meri geminam Pholoën.* et Claudianus in Prol. Raptus, l. II. *Prostratis rubuit rubigenis Pholoë.* Mitto repugnare syllabam. Extremi tandem Hylæi meminit Callimachus dicto loco, Propert. lib. I. Ovidius, Ælianus Var. Hist. l. XIII. Papinius Theb. l. IV. et VI. Nonnus Dionys. l. XVII. *Cerda.*

Rhœtum] Turneb. XIX. 18. putat integrius hic et apud Horat. atque alibi scribi *Rhæcus*, auctore Æliano, in cujus hist. l. XIII. legitur *ῥοῖκος*. Fabricius contra. *Taubmann.*

Pholumque] Hic quæstio est, cur Pholum inter Centauros interfectum dicat, quem Hercules etiam hospitem habuerit, nec dum infestaverit, sed peremptis Centauris, cum sagittas ejus Pholus miraretur, una earum supra pedem ipsius cecidit, et ei lethalis fuit. Inter Lapithas autem, et Centauros bellum fuit propter Hippodamiam, sive Deianiram: et cum ad rapiendam virginem insolentes Centauri fuissent, a Lapithis sunt attriti. *Philargyrius.*

Pholumque] Pholi Centauri meminit Theocr. *εἰδ.* Z. *ἆρα γέ πα τοιόνδε φόλω κατὰ λάϊνον ἄντρον Κρητῆρ' ἡρακλῆϊ γέρων ἐστάσατο χείρων.* *Germanus.*

457 *Magno Hylæum Lapithis cratere minantem*] Bonum schema, ita enim pinguntur, quasi poculis bella tractantes. *Servius.*

Hylæum] Hylæi quoque meminit Propert. l. I. *Ille etiam Hylæi percussus vulnere rami, Saucius Arcadiis rupibus ingemuit.* Et Ovid. *Sensit et Hylæi contentum saucius arcum.* Et Callim. *εἰς ἄρτεμιν.* *οὐδὲ μὲν ὑλαῖόν τε καὶ ἄφρονα ῥοῖκον ἔολπα, οὐδέπερ ἐχθαίροντας, ἐν ἀΐδι μωμήσεσθαι τοξότιν·* ubi *ῥοῖτον*, non *ῥοῖκον*, ex Marone alii malunt: alii ex Callimacho *Rhæcum*, non *Rhœtum* in Virgilio. *Germanus.*

Lapithis] *Τοὺς λαπίθας* Apollonii interpres vult *ἀπὸ τοῦ λαπίθου τοῦ ἀπόλλωνος καὶ στίλβης νύμφης ὀνομασθῆναι.* *Idem.*

Lapithis] Centaurorum et Lapitharum fabulam exponit Palephatus c. I. Centauros edoctos regere equum extinxisse tauros, fructus devorantes, et inde appellatos Centauros. *καὶ τὸ μὲν ὄνομα ἐντεῦθεν ἔλαβον κένταυροι, ὅτι τοὺς ταύρους κατεκέντουν.* *Emmeness.*

Cratere minantem] Bonum *σχῆμα*. Ita enim pinguntur *Centauri* in ista pugna: sed utra? nam unam cum *Lapithis*, i. e. Thessalis, in nuptiis Pirithoi, graphice descripsit Ovid. XII. Metam. sect. 5. ibi: *ardescunt germana cæde bimembres, Certatimque omnes uno ore arma loquuntur, &c.* Alterius cum Hercule, meminit noster Æn. VIII. et Diod. Siculus l. IV. Illam tangit et Hor. od. I. 18. *At, ne quis modici transiliat munera Liberi, Centaurea monet cum Lapithis rixa super mero Debellata.* Vide et J. Philargyr. *Taubmann.*

458 *O Fortunatos nimium, sua si bona norint, Agricolas*] Non est abruptus transitus ad laudem vitæ rusticæ: nam ad superiora pertinet. post vituperationem quippe vini, ista quasi consolatio est: per quam ostenditur quantas voluptates rusticis natura præstiterit. Quod autem *Fortunatos nimium* ait; non ad fortunam,

sed ad fortunæ pertinet quantitatem: nam hoc dicit, Quantum in re est, maximas eis natura præstitit voluptates: quas si nossent, essent non fortunati, sicut nunc sunt, sed nimium fortunati. *Servius.*

O Fortunatos] Transitus ad *Laudem vitæ rusticæ:* cujusmodi habet etiam Columella initio Operis: Plinius l. xviii. capp. prioribus: Cic. in Catone, et Officior. i. Varro De Re Rust. i. 2. ut et Cato in præfat. R. R. Ovid. Rem. Am. i. Horatius Epod. ii. et Epist. i. 10. et 13. et 17. et Xenophon in Œcon. Homerus Odyss. vi. vii. et xxiv. de industria noster olim Lipsius, Cent. i. Epist. 8. sed et alii. *Taubmann.*

459 *Procul discordibus armis*] Longe a civitatibus, plenis jurgio et rapinis. *Servius.*

460 *Justissima tellus*] Proprie. nam si justus est, qui, quod acceperit, reddit; terra utique justissima est, quæ majore fœnore semina accepta restituit. *Servius.*

Justissima tellus] *Justissima tellus* quomodo, si alibi dicit, *Cœumque Japetumque creat sævumque Typhoeum?* solvitur. Ideo *justissima*, quia cum decimis reddit fructus, quod est magnæ justitiæ. *Philarg.*

Justissima] Secutus sum Servium in hujus vocis explicatione, ad quam pertinet locus iste Xenophontis in Œconom. *Quæ ars colentibus majores gratias reddit? aut avidos magis saturat? aut hospites lautius excipit?* Nec non iste Musonii apud Stob. *Respondet terra optime justissimeque colentibus ipsam, multo cum fœnore, quæ accepit restituens, et copiam exhibens omnium, quæ necessaria ad vitam sunt volenti illam exercere.* Atque etiam vulgatissimus ille Tullii Off. i. admonentis ex Hesiodo, debere nos in referenda gratia imitari agros fertiles, qui plus multo referunt, quam acceperunt. Hac ergo caussa tellus a Virgilio dicitur non *justa*, sed *justissima*. Cerda.

461 *Si non ingentem foribus domus alta superbis*] Ut etiam in laudem fecit Italiæ; non solum vitam laudat rusticam, sed etiam contrariam, id est, urbanam, vituperat. Nam ista quæ de urbibus dicit, opinabilia sunt bona, non vera, sicut rustica. Multum enim interest inter verum et opinatum malum, seu bonum; unde Juvenalis, *pauci dignoscere possunt Vera bona.* Servius.

Si non ingentem] Hic locus manavit ab illo Lucretii lib. ii. *Si non aurea sunt juvenum simulacra per ædes, Lampades igniferas manibus retinentia dextris, Lumina nocturnis epulis ut suppeditentur, Nec domus argento fulget, auroque renidet; Nec citharis reboant laqueata aurataque templa: Attamen inter se prostrati in gramine molli, Propter aquæ rivum sub ramis arboris altæ, Non magnis opibus jucunde corpora curant.* Eadem quoque aura respondere videntur hi apud Propert. lib. iii. versus: *Quod non Tænariis domus est mihi fulta columnis, &c. At Musæ comites, et carmina cara legenti, Et defessa choris Calliopea meis.* Et talis etiam redditio est in Maronis Culice: *Si non Assyrio fuerint bis lota colore Attalicis opibus data vellera, si nitor auri Sub laqueare domus animum non tangit avarum, Picturæque decus lapidum, nec fulgor in ulla Cognitus utilitate manet, nec pocula gratum Alconis referunt, Bœtique toreuma, nec Indi Conchea bacca maris pretio est: at pectore puro Sæpe super tenero prosternit gramine corpus, Florida cum tellus gemmantes picta per herbas Vere notat dulci distincta coloribus arva.* Est et γνώμη talis apud Eurip. in Med. τὸ γὰρ εἰθίσθαι ζῆν ἐπ' ἴσοισι κρεῖσσον ἐμοίγ' οὖν, εἰ μὴ μεγάλως ὀχυρῶς τ' εἴη καταγηράσκειν. Germanus.

462 *Mane salutantum totis vomit ædibus undam*] Salutatores innuit, quos communes amicos Roma vocavit, qui sportæ causa divitum obeuntes limina, matutinum passim *Ave* portabant. Unde et Martial. Epigr. l. i. *Et matu-*

tinum portat ineptus ave. Idem.

Totis vomit ædibus undam] In Mediceo codice *vomat* scriptum: quod nescio quid elegantius sonat. *Pierius.*

Vomit] Pulchre et antique. Hinc et *Vomitoria* in Spectaculis dicebantur, unde homines glomeratim ingredientes in sedilia se fundebant. Vide Macrob. Sat. vi. 6. In Mediceo cod. legi, *vomat*, notat et laudat Fabric. *Taubmann.*

Undam] Populi, stantis ad officium, multitudinem interpretatur Scholiast. in Juvenal. iii. 244. *Nobis properantibus obstat unda prior.* Quod horæ duæ primæ salutationibus impendebantur, ex Martiale discimus iv. 8. imo dubia luce, necdum vestiti defungi cogebantur hoc officio, ut scite Juv. v. 20. et seqq. *Emmeness.*

463 *Inhiant*] Habere desiderant. Et dicimus *inhio illam rem.* Serv.

Inhiant] *Inhiant*, mirantur, et subaudiendum *salutantes.* Philarg.

Nec varios inhiant] Idem Maro dativo junxit Æn. iv. *pecudumque reclusis Pectoribus inhians, &c.* Germanus.

Pulchra testudine] Id est, Indica; unde postes ornabantur, vel lectuli. Lucanus, *foribus testudinis Indi Terga sedent fulvo maculas distincta smaragdo.* Servius.

P. testudine] i. e. Indica. Plin. ix. 10. et 11. *Testudinem (quas miræ magnitudinis Indicum mare emittit) putamina secare in laminas, lectosque et repositoria his vestire, Pollio instituit, &c.* Taubmann.

464 *Inlusasque auro vestis*] In quibus artifex ludens, auro aliqua depinxerat. Male autem quidam *inclusas* legunt. *Servius.*

Inlusasque auro vestis] In codicibus aliquot antiquis legere est, *inclusasque auro:* quam tamen lectionem improbat Servius, et *inlusas* in antiquioribus omnino est. *Pierius.*

Ephyriæaque æra] Corinthia, quæ laudat etiam Cicero. Nam *Ephyrus* est *Corinthus.* Servius.

Ephyreiaque æra] Hom. quoque Il. O. commendat allatum ex Ephyra thoracem: πυκινὸς δέ οἱ ἤρκεσε θώρηξ, τόν ῥ' ἐφόρει γυάλοισιν ἀρηρότα, τόν ποτε φυλεὺς ἤγαγεν ἐξ ἐφύρης, ποταμοῦ ἀπὸ σελλήεντος· ξεῖνος γάρ οἱ ἔδωκεν ἄναξ ἀνδρῶν εὐφήτης, ἐς πόλεμον φορέειν, δηΐων ἀνδρῶν ἀλεωρήν· ὅς οἱ καὶ τότε παιδὸς ἀπὸ χροὸς ἤρκεσ' ὄλεθρον. Interpres autem Apollonii, ἐφύρα, inquit, ἡ κόρινθος ἀπὸ ἐφύρας τῆς ἐπιμηθέος θυγατρός· unde *æs Corinthium*: quod convincitur longo tempore ante eversam a Romanis Corinthum in precio fuisse; quamvis æs, ex multis metallis conflatum, accipiant casu et incendio confusum nonnulli, ex illius Plinii loci auctoritate: Casus hoc miscuit, cum Corinthus caperetur incensa. Constat siquidem, nobiles Corinthiorum vasorum artifices Corinthi incendium antecessisse. Nec sane dubium est, quin hic Poëta Corinthiam Ephyren innuat, metallorum feracem, et σιδηροφόρον dictam, et χαλκοφόρον· quamvis et Ephyras plures doceat esse Eustathius, in eum locum Od. A. ἐξ ἐφύρης ἀνιόντα, παρ' Ἴλου μερμερίδαο, his verbis: quorum repræsentationem non fastidiet forte studiosus chorographiæ lector, sub hoc tenore. ἔφυραι κατὰ ἱστορίαν διάφοροι, ὡς καὶ ἰλιὰς δηλοῖ. μία ἐν πελοποννήσῳ περὶ τὰ τῆς κυλλήνης ὄρια· δευτέρα κώμη σικυονίας, περὶ ἣν καὶ ποταμὸς σελλήεις. τρίτη ἐν θεσπρωτίᾳ, ἔχουσα καὶ αὐτὴ σελλήεντα ποταμόν· τετάρτη ἐν αἰτωλίᾳ, καὶ οἱ ἐκεῖθεν ἔφυροι λέγονται, οὐ μὴν ἐφυραῖοι, ὡς οἱ ἐκ τῶν λοιπῶν. πέμπτη ἔφυρα θετταλική. ἕκτη κορίνθου ἐν ᾗ καὶ αὐτῇ σελλήεις ποταμός· ἐκ ταύτης φασί τινες τὸν ὀδυσσέα λαβεῖν ἀνδροφόνα φάρμακα, λέγοντες φαρμακοφόρον ποτε γενέσθαι αὐτὴν, διὰ τὸ ἐκεῖ κατοικῆσαι τὴν μήδειαν, ὅθεν καὶ ἡ τοῦ αὐγέου θυγάτηρ φασὶ, τοῦ βασιλέως τῶν ἐπειῶν, ἡ ἐν ἰλιάδι κειμένη ἀγαμήδη, φαρμακὶς ἦν· ἔθνος δὲ πελοποννήσιον οἱ ἐπειοὶ, ὡς δηλοῦται πολλαχοῦ. ἄλλοι δὲ ἀπὸ τῆς θεσπρωτικῆς ἐφύρης φάρμακα λαβεῖν τὸν ὀδυσσέα φασὶ, γενομένης καὶ

αὐτῆς ποτε πολυφαρμάκου, διὰ τὴν μήδειαν οἰκήσασαν ἐκεῖ πρὸς καιρόν. Jurisconsulti quoque sæpe *æs Corinthium*, et *æneas Corinthiasque abaces* memorant. Propert. *Laidem Ephyræam* vocat. *Germanus.*

465 *Alba neque Assyrio fucatur lana veneno*] Assyrii, populi sunt adjacentes Syriæ; apud quos primum usus inventus est purpuræ. *Veneno*, colore. *Servius.*

Alba neque Assyrio] Nonnullis *nec.* in Mediceo, et aliquot aliis antiquis *neque Assyrio* legitur. *Pierius.*

Fucatur lana veneno] *Venenum*, ut docent etiam Jurisconsulti, ambiguæ significationis est vocabulum; ut malo et bono distingui debeat; ut Græcis *φάρμακον.* quod etiam *βαφὴ* et *βάμμα* est: ut hic *venenum*, pro colore et tinctu. *Germanus.*

Alba neque Assyrio fucatur lana veneno] Pro eo Horat. od. III. 5. *neque amissos colores Lana refert medicata fuco.* Emmeness.

466 *Nec casia liquidi corrumpitur usus olivi*] Casia est herba, de qua fit unguentum. Mire autem ait, *Usus olivi corrumpitur.* nam oleum generalem usum habet, quod cum in unguentum fuerit corruptum, uni rei tantum esse aptum incipit. *Servius.*

Nec casia liquidi corrumpitur] Scilicet et *λήκυθος* Græcis tam vas olearium quam unguentarium significat, quod oleum sæpe unguento confundatur, et in unguentum degeneret et vertatur, proinde utrumque eodem et simili vase capiatur. Corrumpi autem oleum ab unguentariis ad delitias, ipse etiam notavit Plutarchus in lib. *περὶ τῆς εἰς τὰ ἔκγονα.* ubi docet physiologos ad res naturæ demonstrandas, sæpe ad exempla, mores, et studia brutorum descendere, quod in illis natura simplicior, et magis syncera exhibeatur, cum humana in pejus degenerans adventitia contagione mali, conturbata varia mixtura ingravescat, his ille fere verbis: *ἄκρατον γὰρ ἐν ἐκείνοις ἡ φύσις, καὶ ἀμιγὲς, καὶ ἁπλοῦν φυλάττει τὸ ἴδιον. ἐν δὲ ἀνθρώποις ὑπὸ τοῦ λόγου καὶ τῆς συνηθείας, ὃ τὸ ἔλαιον ὑπὸ τῶν μυρεψῶν πέπονθε, πρὸς πολλὰ μιγνυμένη δόγματα καὶ κρίσεις ἐπιθέτους, ποικίλη γέγονε, τὸ δὲ οἰκεῖον οὐ τετήρηκε.* *Germanus.*

Corrumpitur] Supra omnem aleam. Vulgus auctorum conjunctionem istam liquorum vocat *mistionem.* Hanc corruptionis nomine exprimere inventi fuit Maroniani. Illum imitatur Propertius. nam eodem sensu: *Ah, pereat quicunque meracas repperit uvas, Corrupitque bonas nectare primus aquas.* et Martial. VI. 98. *Amphora corrupto nec vitiata cado.* et Persius Sat. II. *Hæc sibi corrupto casiam dissolvit olivo.* Ab hoc acumine non abit illud ejusdem Martial. qui I. 19. de Falerno, cui admistum vile vinum, dixit: *Falernum jugulari, perire, mori.* neque abest a forma Virgilii illa Plauti Menæch. *diem corrupi.* ita Dio Chrysost. Orat. XL. *διαφθείρει τὸν ὕπνον: corrumpit somnum.* et de nebula Silius l. V. *corruperat prospectum.* Cerda.

467 *At secura quies. At frigida Tempe*] In Longobardico *ac* utrobique scriptum: sed magis placet *at.* id vero in Romano codice per *d*, ut sæpe solet, scriptum invenies. *Pierius.*

At secura quies, et nesc. fall. vita] Arist. lib. *πολ.* Ζ. eum statum popularem, inter cæteras democratiæ species, quæ distinguuntur et constant *πλήθει γεωργικῷ, βαναυσῷ, θητικῷ* conjunctim vel divisim, optimum et innocentissimum statuit, qui vulgo agricola censetur, his verbis relatu non indignis, quod huic loco, laudes rusticas complectenti, suffragari pulcre videntur. *δημοκρατικῶν δ᾽ οὐσῶν τεττάρων, βελτίστη μὲν ἡ πρώτη τάξει.——ἔστι δὲ καὶ ἀρχαιοτάτη πασῶν αὕτη, λέγω δὲ πρώτην, ὥσπερ ἄντις διέλοι τοὺς δήμους, βέλτιστος γὰρ δῆμος ὁ γεωργικός ἐστιν. ὥστε καὶ ποιεῖν ἐνδέχεται δημοκρατίαν, ὅπου ζῇ τὸ πλῆθος ἀπὸ γεωργίας, ἢ νομῆς. διὰ μὲν γὰρ τὸ μὴ πολλὴν*

οὐσίαν ἔχειν, ἀσχολος, ὥστε μὴ πολλάκις ἐκκλησιάζειν. διὰ δὲ τὸ μὴ ἔχειν τἀναγκαῖα, πρὸς τοῖς ἔργοις διατρίβουσι, καὶ τῶν ἀλλοτρίων οὐκ ἐπιθυμοῦσιν, ἀλλ' ἥδιον τὸ ἐργάζεσθαι τοῦ πολιτεύεσθαι καὶ ἄρχειν, &c. Dat autem eodem loco Aristot. præcepta, quibus ad agriculturæ studium populus confirmari possit. *Germanus.*

Et nescia fallere vita] Aut quia innocentes sunt; aut quoniam immobilis est status vitæ eorum. Urbanorum enim fortuna, aut insidiis, aut proscriptione variatur. *Servius.*

Et nescia fallere vita] In Romano codice *vitam* legitur: cujus suppositum erit quies. In reliquis tamen omnibus exemplaribus habetur *vita*, et longe melius. *Pierius.*

Nescia fallere] *Sunt* enim *innocentes agricolæ, et minime male cogitantes*, ut ait Cato: καὶ μήτι παρεκβαίνουσι δικαίου: ut Hesiodus. Recte ergo Valer. Argon. I. *arvorum studiorum insontis aratri.* Taubmann.

468 *Latis otia fundis*] *Fundus* dicitur ab eo, quod sit rerum omnium fundamentum. *Servius.*

At latis otia fundis] Scribendum *otia* per *t* ex Mediceo codice, et marmorum consensu. Est etiam *ac*, pro *at:* quod non æque probatur. *Pier.*

469 *Speluncæ, vivique lacus*] Id est, bona naturalia, non sicut in urbibus labore quæsita. unde Juvenalis, *Et speluncas dissimiles veris.* Servius.

Frigida Tempe] *Tempe* proprie sunt loca amœna Thessaliæ. Abusive cujusvis loci amœnitas. *Idem.*

Frigida Tempe] *Nemus* est in Thessalia, teste Ovid. Metam. I. 568. Ἄλσοι. Proprie quævis loca amœna, arborum umbra frigus jucundum adferentia, fontibus irrigua, inde Scholiastes Homeri Il. B. 506. τόπος σύνδενδρος, ὕδωρ ἔχων, vel potius ut verus interpres Theocr. Idyll. A. 68. τέμπη γενικῶς τὰ ἄλση νῦν καὶ τὸ τῆς ὄσσης καὶ τοῦ ὀλύμπου χορίον, ὅ ἐστι περικαλλὲς, &c. Tempe hæc Thessala facta esse terræ motu, ὑπὸ σεισμῶν ῥήγματος γενομένου, juxta Strabonem l. VIII. vel manu Herculis. si Lucano fides. VI. 345. *Nec pervia Tempe Dant aditus pelago stagnumque implentibus undis Crescere cursus erat. Postquam discessit Olympo Herculea gravis ossa manu, subitæque ruinam Sensit aquæ Nereus, &c.* Ut a Nostro appellantur *frigida* Ge. IV. 317. *pervia Tempe.* sic Lucano VIII. 1. *nemorosa Tempe.* Mela II. 3. *Sacro nemore nobilia Tempe.* ad quem locum lege Vossium disputantem de origine nominis. accuratam hujus delicati nemoris tradunt Plinius IV. 8. Ælian. III. 1. et Laurenbergius oratione ligata in descriptione Græciæ. *Emmeness.*

470 *Mollesque sub arbore somni*] Μαλακοὶ δ' ὑπὸ δένδρεσιν ὕπνοι. *Serv.*

Mollesque sub arbore somni] Quare sic Horat. od. III. 1. *Somnus agrestium Lenis virorum non humileis domos Fastidit, umbrosamque ripam, Non Zephyris agitata Tempe.* Vide quæ diximus Ecl. I. 1. *Emmeness.*

471 *Illic saltus*] Venationes, quæ penitus in urbibus non sunt. *Servius.*

Illis saltus ac lustra ferarum] Vetera omnia exemplaria, quotquot habere contingit, non *illis*, sed *illic* legunt: quod mirifice placet, idque etiam Servius agnovisse videtur, dum, quæ rure, quæque in urbe sunt, memorat. *Pier.*

Illic] Ita vett. libri omnes, auctore Fabricio: qui tamen *illi* etiam valde probat, pro *illic:* ut Æn. XI. 422. *sunt illi sua funera.* Taubmann.

Lustra ferarum] Bene *ferarum* addidit, quoniam sunt in urbibus lustra meretricum. *Servius.*

472 *Parvoque assueta*] Id est, non ut urbana, quæ est segnis et prodiga. *Id.*

Parvoque assueta juventus] In Romano codice, legitur *exiguoque adsueta.* Verum ideo magis placet *parvo*, ut in reliquis exemplaribus habetur, quia frequentissimo auctorum usu dicitur, *contentus parvo.* Pierius.

473 *Sacra Deum, sanctique patres*]

Duo dicit, Sacra deorum sancta apud illos sunt, sancti etiam parentes. *Serv.*

Sacra] *Sacrum* dici volunt, quod sit cum religione; *sanctum*, quod cum amore. *Philarg.*

Extrema per illos Justitia excedens terris vestigia fecit] Hoc Aratus dicit; Justitiam primo et in urbibus, postea in agris tantum fuisse: ubi eam induxit loquentem, cur abscedat e terris. *Servius.*

Extrema per illos justit.] Accedit ad Græcum illud: καὶ τότε μισήσασα Δίκη κείνων γένος ἀνδρῶν ἔπτατ' ἐπουρανίη. et Juvenal. Sat. VI. *Paulatim deinde ad superos Astræa recessit Hac comite, atque duæ pariter fugere sorores.* Sic et Aristoph. in Pace τοὺς γεωργοὺς καὶ δικαίους conjunxit: ὦ ποθεινὴ τοῖς δικαίοις καὶ γεωργοῖς ἡμέρα. *Germanus.*

475 *Me vero*] Diu quæsitum est, utrum philosophiæ, an rusticitatis esset vita felicior. unde nunc dicit primam esse philosophiam: post ipsam, rusticam vitam. Suam autem personam pro quocunque ponit. sic paulo post, *Rura mihi placeant:* pro cuilibet. Sic in primo, *Non illa quisquam me nocte per altum Ire juvat.* In tertio, *Ne mihi tunc molles sub divo carpere somnos.* Et hoc est quod dicit Horatius in arte Poëtica, *Hoc amet, hoc spernat promissi carminis auctor.* Servius.

Primum] Primum et ante omnia. ut, *Primus ibi ante omnes.* Philarg.

Me vero primum dulces ante omnia Musæ] Eundem erga dulcissimas musas amorem explicat Horat. od. I. 1. *Me doctarum ederæ præmia frontium, &c.* quia Musis amicus *tristitiam ventis dabat*, ut ipse. od. I. 16. *Emmeness.*

476 *Quarum sacra fero*] Poëta enim, quasi Musarum sacerdos est. *Serv.*

Quarum sacra fero] Scilicet se Musarum sacerdotem profitetur, et in Musarum sacris curandis potissimas partes sustinere, alludens ad sacra Deorum solemnia, in quibus magistri reges fercula ipsa; cistas; et κανηφόρα gestabant: ut ex illo, *Sacra Dianæ matri Dialque ferebam, Auspicibus ceptorum operum*, constat: ut et præfuisse Cereris mysteriis matronas nobilissimas quasque, nemini ignotum est. *Germanus.*

Quarum sacra ferô] Commune est omnium artium, ut sacra habeant sibi propria. Ita apud Poëtas passim *Sacra* et ὄργια *Musarum.* Et docti μύστας se, et *Sacerdotes* vocant: ut Ulpianus Jctos *Justitiæ sacerdotes:* Statius Lucanum *Romani chori sacerdotem, &c.* Vide Casaub. ad illud Persii: *Ad sacra vatum carmen affero nostrum.* *Ferunt* autem et *sacra* Sacerdotes, id est, res sacras, aut sacris utiles, et diis consecratas. Horat. Sat. I. 3. *qui Junonis sacra ferret.* Vide et Not. Æn. VIII. ad illud: *castæ ducebant sacra per urbem, &c.* Item Turneb. II. 14. et XXI. 6. *Taub.*

Percussus amore] In codice Longob. tantum legitur *perculsus.* Sed in Romano, in Mediceo, et aliis antiquioribus *percussus*, prout etiam dicitur, *amore saucius:* sive quia passim locutiones illæ *percussus* et *perculsus* apud auctores confunduntur. *Pierius.*

Ingenti percussus amore] Putant docti fluxisse ista ab illis Lucretii l. I. *Percussit thyrso laudis spes magna meum cor: Et simul incussit suavem mi in pectus amorem Musarum, quo nunc instinctus mente viginti Avia Pieridum peragro loca.* Cum vero dicat se esse percussum amore musarum, allusit procul dubio ad μουσοπατάγους. Vide Erasmum Ch. IV. Centur. 10. c. 72. Sunt qui in Virgilio legant, et præferant, *percussus*, ex imitatione Lucretii, in quo vidisti *percussit.* Mihi æque utrunque placet. *Cerda.*

477 *Cœlique vias*] Aut artes: ut, *Inveni, germana, viam.* Aut certe circulos, quibus sidera continentur. *Serv.*

Sidera] Utrum ea, quæ cum cælo feruntur infixa; an vaga, quæ contraria cælo cursus conficiunt. An omnes cæli viæ notæ sunt: a sinistra

, septentriones a dextra. Quod dicunt, *laborat luna*. Hinc Varro *uistore: Eclipsis quando fit, cur laboret. et si hoc ridicule credunt, quid laborant.* Philarg.

Defectus Solis varios] Atqui uno tantum Sol deficere nobis videmc scilicet cum Luna plena e ıe ejus obstiterit radiis, et eos fecerit non videri. Unde varios mus defectus; non quia varia e contingant (nam ratio una est, imus) sed quia vel variis tempofiunt, vel varie: interdum enim ıs, interdum quatuor, interdum us deficit digitis. *Servius.*

ectus] Varios defectus secun- Epicurum, qui ait: non unam m pronuntiandam, qua Sol defiidetur, sed varias. Potest enim it extinguatur, ut longius rece- t aliquod eum corpus abscondat. g.

sque labores] Vel errores, quia ecta incedit: vel defectus, qui gunt Lunæ; quotiens terræ do interveniens radiis Solis eam nari non patitur, a quibus dicimen accipere. *Servius.*

sque labores] *Lunæ* autem *labores* cum dimittit lumen. *Philarg.*

sque labores] Vel eluctantis e ris terræ, vel excantationibus inio erat istius ævi) resistentis. . Æn. I. 746. *Taubmann.*

Unde tremor terris] Variæ sunt nes. Alii dicunt, ventum esse ncavis terræ, qui motus etiam n movet. Sallustius: *Venti per erræ citari.* Lucanus, *Quærentem ere ventum Credidit.* Alii aquam t genitalem sub terris moveri, ul eas concutere, sicut vas aquæ: cit Lucretius. Alii σπογγοειδῆ m volunt, cujus plerunque latenuinæ, supposita cuncta concu- . *Servius.*

mor terris] Terræ-motus. Plin. . Seneca Nat. Q. l. VI. Arist. or. II. 7. *Taubmann.*

Qua vi maria alta tumescant Objicibus ruptis] Alii sic accipiunt, quod *ruptis objicibus*, id est, Calpe et Atlante montibus Hispaniæ et Mauritaniæ, Oceanus eruperit, et ista fecerit maria: quod non procedit. Si enim hoc esset, non diceret tumescant, sed tumuerunt; quum eruperunt Oceani maria: unde æstuaria Oceani accipimus; qui per Gallias et Hispanias in infinitum erumpit contempta lege riparum, ad quas rursus recurrit. Cujus rei opiniones Lucanus in primo commemorat dicens, *Ventus ab extremo pelagus sic axe volutet, Destituatque ferens an sidere mota, secundo Tethyos, unda vagæ lunaribus æstuat horis: Flammiger an Titan, ut alentes hauriat undas. Erigat Oceanum, fluctusque ad sidera tollat.* Serv.

Maria tumescant] Respicit πλημμυρίδα sive παλίνορσον: cui ἄμπωτιν Grammatici opponunt. De quo æstu reciprocantis maris Plinius II. 97. et Aristot. Meteor. II. Sed et Noster descripsit Æn. XI. 624. *Qualis ubi alterno procurrens, &c.* Taubmann.

Qua vi maria alta tumescant] In Longobardico *tumescunt* legitur: sed elegantius est *tumescant*. Pierius.

480 *Objicibus*] Gellius IV. 47. per duo *ii* scribit. Silius l. IV. contraxit: *Et fidos certant obices arcessere silva.* Taubmann.

481 *Quid tantum oceano properent se tinguere soles Hiberni*] Circulorum hoc efficit ratio, ut etiam in Æneide diximus. *Servius.*

Quid tantum Oceano properent se tinguere Soles, &c.] Ratio hujus quæstionis clara est cognoscentibus sphæram, hanc ignorantibus nulla erunt satis. Adhibeo tamen locum Lucretii l. V. postremis quoque captu facilem: *Crescere itemque dies licet, et tabescere noctes; Et minui luces, cum noctes augmina sumant: Aut quia Sol idem sub terras, atque superne, Imparibus currens anfractibus ætheris oras Partit; et in partes non æquas dividit orbem: Et quod ab alterutra detraxit parte, reponit*

*Ejus in adversum tanto plus parte relatum,
Donicum ad id signum cæli pervenit, ubi anni Nodus nocturnas exæquat lucibus umbras.* Sententiam Virgilii ita extulit Papin. Theb. l. VI. *quæ vix Solem Præcipitat, noctemque porrigit.* Cerda.

Oceano properent se tinguere Soles] *Tinguere*, ut in veteribus habetur, scribendum esse ostendit *Distingue* (ajunt veteres grammatici) de quo nemo dubitat, id vero diversis coloribus *tinguere* significat: ac perinde *secernere*, et *dissipare*. Pierius.

492 *Hiberni*] Celsum Oceanum significari ait, qui æstu suo diffidit terram inter Mauritaniam, et Hispaniam, ut hæc sit, *objicibus ruptis*. Causa autem brevium dierum est, quod signa hiemalia transversa oriuntur, atque occidant. causa longorum dierum, quod æstiva recta oriantur, et occidant. *Philarg.*

Tardis mora noctibus] Tarde venientibus, id est, æstivis. *Servius.*

Tardis] *Tardis noctibus*, id est, tarde venientibus, id est, æstivis. *Philarg.*

498 *Sin, has ne possim naturæ accedere partes*] Physicæ Philosophiæ, unde sunt illa, quæ dixit. *Servius.*

Accedere partes] Pro, ad partes, Poëtice. et ex imitatione Lucretii l. 1. *juvat integros accedere fontes.* Cerda.

484 *Frigidus obstiterit circum præcordia sanguis*] Secundum physicos, qui dicunt stultos homines esse frigidioris sanguinis: prudentes, calidi. Unde et senes, in quibus jam friget, et pueri in quibus necdum calet, minus sapiunt. *Servius.*

Frigidus sanguis] Id est, ingenium pingue ac hebes; ut est eorum, quibus sanguis minus calet. Allusum ad sententiam Empedoclis, qui *animum esse* existimabat *sanguinem cordi suffusum*, teste Cic. Tuscul. 1. Vide Pimpont. ... Paralipom. *Præcordia* Græcis ... φρένες sunt: in qua voce *mentis*, ... νοῦς dicitur, significatio est. ...

485 *Rura mihi et rigui placeant in vallibus amnes*] In Romano codice, *rigidi* legitur. Sed enim non videtur amnibus convenire, ubi agitur de amœnitate; *rigor* enim glaciei potius congruit: ut ibi, *Glacie riget horrida barba*: nisi *Rigidi*, pro *Gelidi* positum sit. Sed omnino fuit hic asperitas evitanda. *Pierius.*

Rura mihi, et rigui placeant, &c.] Non abit ab hac sententia illa Plauti in Curcul. *Sibi sua habeant regna reges, sibi divitias divites; Sibi honores, sibi virtutes, sibi pugnas, sibi prælia. Dum mihi abstineant invidere, sibi quisque habeat, quod suum est.* Cerda.

Rigui amnes] *Riguos* Latini hoc genus rigationis proprie appellant, quæ rivo sit et sulco. Græci ἀρδεύειν, ποτίζειν. *amnis riguus*, qui rigat, *aqua irrigua* Ovidio, et *fons irriguus* Horat. vide Salmas. Plin. exercit. p. 588. *Emmeness.*

486 *Inglorius*] Comparatione Philosophiæ. sic in Æneide, *Et mutas agitare inglorius artes.* Non quod nulla gloria medicinæ est; sed quod minor, quam divinitatis et augurandi, quæ ei Apollo obtulerat munera. ut, *Augurium citharamque dedit, celeresque sagittas.* Servius.

487 *Spercheosque*] Fluvius Thessaliæ. *Idem.*

Spercheos] Sperchium in Philoct. Sophocl. διιπετῆ vocat. Ejus et meminit Hom. Il. Π. μενέσθιος αἰολοθώρηξ Υἱὸς σπερχειοῖο διιπετέος ποταμοῖο· Τὸν τέκε Πηλῆος θυγάτηρ καλὴ Πολυδώρη Σπερχειῷ ἀκάμαντι γυνὴ θεῷ εὐνηθεῖσα. Huic fluvio Hom. Il. Ψ. narrat Peleum comam filii vovisse et consecrasse, pro ejus incolumitate et reditu in patriam, quam tamen Achilles, fatorum commonefactus, in funere Patrocli totonderit, eique inferias miserit. Sperchii meminit et Æschyl. in Pers. οὐ σπερχειὸς ἄρδει πεδίον εὐμενεῖ ποτῷ. *Germanus.*

Spercheos] Σπερχειὸς fluvius Thessaliæ: cujus arva feraci ubere glebæ

fœcunda erant, et agricolæ optanda. Ita et Hor. od. I. 7. *Nec me Larissæ percussit campus opimæ.* Turneb. XXI. 10. *Taubmann.*

Virginibus bacchata Lacænis] Ubi bacchatæ sunt. et non hæc optat, sed talia. Bacchi enim orgia in montibus celebrari solebant a furiosis Bacchis; quæ a Spartanis, quorum mons erat Taygeta, *δύσμαιναι*, appellabantur. *Philarg.*

Bacchata Lacænis] Infra Æn. III. *Bacchatumque jugis Naxum.* Alludere autem videtur ad *δυσμαίνας* Spartanorum Bacchas, de quibus Hesychius: *δύσμαιναι αἱ ἐν σπάρτῃ χωρίτιδες βάκχαι.* *Germanus.*

Virginibus bacch. Lac.] Quia Bacchi orgia in montibus celebrari solebant a furiosis Bacchis; quæ a Spartanis, quorum mons erat *Taygeta*, sive *Taygetus*, *δύσμαιναι* appellabantur. Hesychius: *δύσμαιναι αἱ ἐν σπάρτῃ χωρίτιδες βάκχαι*: Turn. XXI. 10. *Taubmann.*

488 *Taygeta*] Mons Laconum Libero et Baccho sacratus. *Servius.*

Qui me] *Qui*, pro aliquis: et subaudiendum *deus*. Philarg.

Hæmi] Montis Thessaliæ: in quo etiam sunt Tempe. *Servius.*

Hæmi] Roges, an Thracia fertilis, quæ frigidissima? De hoc Æn. III. ad illud: *Terra procul vastis colitur Mavortia campis, Thraces arant.* Istud, *O, qui me gelidis in vallibus Hæmi Sistat*, arripuit imitandum Valerius, Arg. II. *o, qui me vera canentem Sistat.* Cerda.

490 *Felix qui potuit rerum cognoscere caussas*] Repetitio est superioris coloris: nam hoc dicit, Et rustici felices sunt; et qui tribuunt operam Philosophiæ. *Servius.*

Felix] Victorius var. lect. XXI. 12. quis *fortunatus*, quis *felix* dicendus sit; et Græce *εὐδαίμων* et *εὐτυχής*. quod Maro in felicitate ponit, ad id auctor est Pers. III. 66. *Discite o miseri et caussas cognoscite rerum.* et recte *caussas* iterato sigmate et Quintil. I. 7. et Damasquius ex interiore antiquitate. *Emmeness.*

Rerum caussas] Id est, physicam Philosophiam. *Servius.*

491 *Inexorabile fatum*] Alibi, *Fortuna omnipotens et ineluctabile fatum.* *Idem.*

Fatum] Ex fato venientia. *Idem.*

Inexorabile fatum] In Romano codice, legitur *ineluctabile fatum*. quod et alibi positum a Virgilio. magis tamen eruditi probant, quod varium est ad fertilioris facundiæ copiam. *Pierius.*

Inexorabile fatum] Lysias in oratione funebri hanc sententiam ita prius protulit. *ὁ δαίμων ὁ τὴν ἡμετέραν μοῖραν εἰληχὼς ἀπαραίτητος: genius, qui nostrum fatum sortitus est, evitare nequit.* Homer. Odys. ultimo, *Μοῖρ' ὀλοή, τὴν οὔτις ἀλεύαται, ὅς κε γένηται*: *Fatum perniciosum, quod nemo fugit mortalium.* Manilius l. IV. *Fata regunt orbem, certa stant omnia lege.* Alii legunt, *certa stant omina lege.* Hujus rei facile erat implere paginas. *Cerda.*

492 *Subjecit pedibus*] Calcavit. *Serv.*

Subjecit pedibus] Quia Philosophiæ cognitione et mortis metum et inferos, quibus voluptas humana inquinaretur, domari et tolli credebant. Ita Lucret. l. III. *Et metus ille foras præceps Acherontis agendus, Funditus, humanam qui vitam turbat*, &c. Turneb. XXI. 10. *Taubmann.*

Acherontis] Omnem mundum in mortem trahentis. *Servius.*

Strepitumque Acherontis avari] Fortasse *Acherontem avarum* ea ratione dixit, *ut summanus Pluto* Plauto dicitur, quasi *manium summus*, qui omnes avarissime in suum thesaurum rapit: unde *summanare*, pro *avide rapere* et *furari*, summani more, finxit Plautus. Nimirum et *πλούτωνα* vocant *διὰ τὸ νεκροῖς πλουτεῖν*. unde et Cic. de nat. Deor. *Terrena vis omnis atque natura Diti patri dedicata est: qui dives, ut apud Græcos πλούτων, quod recidant omnia in terras, et oriantur e terris:* unde et Tibull. *Dives in ignava luri-*

dus Orcus aqua. Videtur autem hic Poëta doctis, secutus Sironis præceptoris disciplinam, alludere ad illud Lucretianum, *Et metus ille foras præceps Acherontis agendus:* quin et ad Lucret. lib. de Natura. Sæpe autem Græci ἁρπακτὴν ἀΐδην. Hunc autem versum Maro ex Poëta aliquo Græco traduxisse videtur, cujus versum talem suppresso auctoris nomine ita ἐν ἐρωτικῷ citat Plutarch. de diis: βαρυβόαν πορθμὸν πεφευγότες ἀχέροντος. Sic et *rogalem ignem avarum* vocat Propert. l. II. *Roma puella Occidit: has omnis ignis avarus habet.* Germanus.

493 *Deos qui novit agrestis*] Qui abstinet civicis malis; et aut rura habitat, aut cum suis numinibus rura descripsit. *Servius.*

494 *Nymphasque sorores*] Non Panis vel Sylvani: sed inter se sorores: ut, *Ætnæos fratres:* inter se scilicet. *Idem.*

Nymphasque sorores] Dryades, Hamadryades, Oreatiades, Limoniades, Najades, silvarum, montium, pratorum, aquarum: quæ sunt sibi inter se sorores. *Ramus.*

495 *Populi fasces*] Honores qui a populo præstantur. Proprie autem locutus est, ut fasces populi, regum purpuram diceret. *Servius.*

496 *Infidos agitans discordia fratres*] Discordiam posuit pro avaritia. Ab eo quod præcedit, id quod sequitur. *Infidos* autem *fratres* ideo ait, quod avaritiæ caussa dissentiunt. *Idem.*

Fratres] Quod dissideant fratres, sæpe in culpa est habendi amor, non raro tamen ambitio exitiosæ dissensioni causam quoque præbet. De Romulo et Remo, quorum fœdum certamen narrat Livius I. 6. de Cyro et Artaxerxe Justinus v. 11. et memorandum exemplum habet Paterc. II. 67. *Nec Planco gratia defuit ad impetrandum, ut frater ejus Plancus Plotius proscriberetur, &c.* Verum illud est Ovidii Met. I. 145. *Fratrum quoque gratia rara.* plura de fratrum dissidiis Cerda ad vs. 510. hujus libri. *Emmess.*

497 *Aut conjurato descendens Dacus ab Histro*] Id est, non eum solicitat conjuratio Barbarorum. *Servius.*

Descendens Dacus ab Histro] Aufidius Modestus legisse se affirmabat, hunc morem esse Dacorum; ut cum ad bella proficiscerentur, non prius rem capesserent, quam de Histro certum modum haurientes ore, in modum sacri vini, jurarent, non se ad patriæ sedem regressuros, nisi hostibus cæsis. et idcirco Virgilium familiari sibi hypallage usum dixisse, *Histrum conjuratum*, apud quem Daci conjurare consueverunt. *Philarg.*

Dacus] *Daci* (ut ait Strabo) in diversum ad Germaniam et Histri fontes vergunt. Phil. Melanch. *Daces* fuisse censet, quos nunc *Septem-castrenses* appellamus, et vicinas gentes, quæ sæpius contra Romanos conjurarunt: et victæ tandem fuere a Domitiano. *Daciam* Pomponius Sab. *Walachiam* interpretatur. *Hister* vero, *Danubius* est: qui et *binominis* Ovidio. *Taubmann.*

Histro] Fluvius est Scythiæ. *Servius.*

Histro] Cum aspiratione scribit Terentianus, teste Dausquio in Orthogr. De Histro, seu Danubio Mela II. 3. *Emmeness.*

498 *Non res Romanæ, perituraque regna*] Regna scilicet Barbarorum. Nam duo dicit; Rusticum, nec Romanum imperium movet, id est, ad ambitum cogit: nec barbarorum regna peritura. Non enim Romano maledixit imperio, licet hoc alii dictum velint ex generali venire sententia, quod omnis magnitudo imperii periculis subjacet. unde etiam Juvenalis ait, *Ad generum Cereris sine cæde et sanguine pauci Descendunt reges, et sicca morte tyranni.* Servius.

Res Rom.] Ita Æn. III. *Res Asiæ*, id est, Imperium: quomodo et Græcis πράγματα significant πολιτείαν. Ita *Res* et litem notat. hinc Ausonii illud:

Imperium, litem, Venerem cur una notat Res? Taubmann.

Perituraque regna] *Ruinæ obnoxia, aut jam vicina:* ut Principum dissensiones notet: quales tunc erant Bruti Cassiique in Antonium Octaviumque. *Idem.*

499 *Aut doluit miserans inopem, aut invidit habenti*] Cicero in Tusculanarum quinto libro hoc tractat; dicens, in quem cadit una mentis perturbatio, posse in eum omnes cadere: sicut potest omni virtute pollere, cui virtus una contigerit. unde nunc Virgilius noluit rustico assignare misericordiam; ne ei daret etiam cæteras animi passiones, quas novimus et a bonis et a malis rebus venire. A bonis opinatis duas: unam præsentis temporis, ut gaudium: et unam futuri, ut spem. A malis similiter duas: unam præsentis, ut dolorem: et unam futuri, ut metum. quas passiones esse animi non dubium est. unde et ipse ait in sexto Æn. *Hinc metuunt, cupiuntque, dolent, gaudentque.* Sallustius etiam in Catilinæ bello: *Omnes homines, qui de rebus dubiis consultant, ab odio, amicitia, ira, atque misericordia vacuos esse decet. nam animus haud facile verum providet, ubi illa officiunt.* Ergo aut secundum Ciceronis tractatum hoc dixit: aut quod absolutius est; intelligamus ideo rusticum paupertatem non dolere, quod eam malum esse non credit; sed munus deorum. Lucanus de paupertate, *Et munera nondum Intellecta deum.* Est et aliud quod possumus accipere; ideo rusticum nec bonis, nec malis alienis moveri, quia ejus non interest; quippe qui ab urbibus est remotus. *Servius.*

Aut doluit] Non crudelem rusticum inducit, qui inopis non misereatur; sed qui sciens paupertatem malum non esse, pauperis non doleat sortem: et ideo adjecit, *aut invidit habenti*, quia non invidet, sciens divitias bonas non esse. *Philarg.*

Miserans inopem] Credo Poëtam, quidquid hic moliatur Servius, respexisse eam, quæ in juris dicendi observantia et ritu esse debet, religionem: ut vacuum laudet rusticum morbis affectibusque animi, et longe a juris formulis et foro remotum: tum quia sequentia hæc, *nec ferrea jura, Insanumque forum, &c.* favent nostræ sententiæ; tum quia Philosophi Ethici omnes, atque adeo Aristoteles, ubi agunt de justitiæ negotio, eam ita partiuntur, ut ejus partem alteram assignent, ponantque ἐν ἀγωνοθεσίαις, alteram ἐν συναλλάγμασι καὶ συμβολαίοις. et in illa statuant habendam excellentiæ, præstantiæque personarum rationem, ut præstantioribus præmia præ cæteris reddantur: in hac vero videndum, non qua quis quæve pars sit virtute, sed quo jure nitatur, mancipio, possessione: nec interesse ἐν συμβολαίαις δίκαις, et judiciis, Catone an Catilina agrum aut rem vindicet: hic siquidem arithmeticam tantum, illic geometricam proportionem pensitari: ut nimirum Poëta rusticos immunes juris exercendi dicat, et misericordia et invidia, quæ judicia constuprare et pervertere solent, omnino vitæ simplicioris et sincerioris institutis addictos vacare. *Germanus.*

Invidit habenti] Pecunias scilicet; Ellipsis hujus verbi elegans. Quemadmodum illud Sophoclis: πρὸς τὸν ἔχονθ' ὁ φθόνος ἕρπει, ubi χρήματα recte subaudies. id est, divitem, pecunias possidentem. Ovid. Met. I. 131. *amor sceleratus habendi.* Phædr. III. 1. *curam habendi.* pro quo Ter. Ad. I. 2. 26. *si esset, unde id fierit.* et vs. 42. *est, Dis gratia, unde hæc fiant.* Emmeness.

501 *Sponte tul.*] Ejusmodi καρποὺς αὐτοφυεῖς: Naso *cibos nullo cogente creatos* appellat. Ita Lucr. l. v. *Quos Sol atque imbres dederunt, quod terra crearat Sponte sua, satis id placarat pectora donum.* Taubmann.

Ferrea jura] Dura, inexorabilia, immutabilia. *Servius.*

Ferrea jura] Quia veniam dare non norint. *Philarg.*

502 *Insanumque forum*] Litigiosum. *Servius.*

Insanumque forum] Oppositum forum litibus orbum. Horat. dixit, imitatione Pindari Isthm. III. κελαδεννῆς ὀρφανοὶ ὕβριος. Propert. *Et vetat insano verba tonare foro.* Germ.

Populi tabularia] Ubi actus publici continentur. Significat autem templum Saturni, in quo et ærarium fuerat, et ubi reponebantur acta, quæ, susceptis liberis, faciebant parentes. Juvenalis, *Tollis enim, et titulis actorum aspergere gaudes, Argumenta viri.* Servius.

Tabularia] Negotia publica, et rationes populi, quæ in tabulis scribuntur, unde *tabularia* dicta. *Philarg.*

Populi tabularia] *Tabularium*, locus erat Romæ, refertus omnibus instrumentis, tabulis litterisque publicis, in quibus omnia pascua, prædia, vectigalia, portoria, civitates, redemptionesque publicanorum perscripta erant. Erat autem in atrio Libertatis γραμματοφυλάκιον. Hujus meminit Cic. pro Archia, et Livius. Die Cantzley. *Tablinum* contra, privatorum erat: Ein Schreibstuben. Turn. XVI. 21. *Taubmann.*

Vidit] Expertus est; ut, *illic Ætnæos vidit Cyclopas Ulyxes.* Philarg.

503 *Cæca freta*] Subito in tempestatem surgentia. *Servius.*

Ruuntque in ferrum] Lucanus lib. I. loquens de populis Septentrionalibus, qui audacissimi sunt: *ruendi In ferrum mens prona viris.* Justinus l. XI. *Macedones in ferrum ruebant.* Porro, *in bellum ruere*, quod idem, dixerunt idem Justinus lib. III. 24. 26. et Trebellius in Gallieno, et Silius lib. I. Postremus etiam dixit lib. III. *ruis in enses.* et lib. XVII. *ruis in ictus.* Græcis frequentissimum est. Homer. Il. II. ἐπὶ τεύχεα δ' ἐσσεύοντο. *Cerda.*

504 *Penetrant aulas et limina regum*] Profitentur satellitium. *Limina* autem ait interiorem familiaritatem. sic Turnus, *Stirpem admisceri Phrygiam, se limine pelli.* Servius.

Limina regum] Horat. Epod. II. inter beatos numerat, quem *neque horret iratum mare, et qui vitat forum, et Superba civium potentiorum limina.* Emmeness.

505 *Petit excidiis urbem*] Incertum, alienam, an suam. *Servius.*

506 *Gemma bibat*] Gemmeo poculo, non gemmato. *Idem.*

Ut gemma bibat] Intelligit vas ex auro, cui sculptoria arte gemmæ inseruntur. Apertius Æn. I. ubi pateram vocat *gravem gemmis, auroque.* Plin. l. XXXIII. in Proœm. ea subjicit, ex quibus hic locus possit non solum illustrari, sed intelligi: *Turba gemmarum potamus, et smaragdis teximus calices, ac temulentiæ causa tenere Indiam juvat, et aurum jam accessio est.* ubi clare ait, gemmas auro inseri in poculis. Non abit Martialis XIV. 109. *Gemmatum Scythicis ut luceat ignibus aurum, Adspice quot digitos exuit iste calix.* Turnebus XIV. 3. signate explicat Virgilium de chrysendetis, nam ista gemmis erant contexta, dicente Plutarcho in Lucullo, ἐθεώρειτο χρυσένδετον σμαράγδων τῶν πολυτελῶν. Eo quoque trahit Plinium. Demum sunt, qui in Virgilio accipiant vasa absque ullo auro, facta tantum ex gemmis aut gemma unica, ita grandi et exquisita, ut esse queat pro poculo. Pergo ad imitationem. Ad Virgilii Musam occulte aspiravit Manil. l. V. nam ut Noster *gemma bibat*, ita hic: *tectique auro jam vescimur auro.* Nam occulte Propertius l. III. *Nec bibit e gemma divite nostra sitis.* Seneca in lib. Quare bonis viris mala accidant, c. III. *Magis huic*, (Socrati) *invidendum est, quam illi, quibus gemma ministratur.* Hi omnes ex Marone locutionem hauserant, Maro vero ipse ex L. Vario, attestante Macrobio. nam Varius, *Incubet ut Tyriis, atque ex solido bibat auro.* Cerda.

Sarrano indormiat ostro] Tyria purpura. quæ enim nunc *Tyros* dicitur, olim *Sarra* vocabatur; a pisce quodam, qui illic abundat: quem lingua sua *Sar* appellant. Juvenalis, *Aut pictæ Sarrana ferentem Ex humeris aulæa togæ.* Servius.

Sarrano] Sic apud Columell. *Sarranæ violæ.* et Juvenal. x. 38. *Sarrana aulæa.* teste enim Gellio xiv. 6. *Tyros* ante dicta fuit *Sarra*. Emmen.

507 *Incubat auro*] Χρυσῷ ἐπίκειται. Aristot. polit. ii. προσεδρεύειν dixit, ubi contra Platonem possessiones vult ita demum proprias esse singulis civibus, ut usus tamen liberalitate civium sit communis: αἱ μὲν γὰρ ἐπιμέλειαι διῃρημέναι τὰ ἐγκλήματα πρὸς ἀλλήλους οὐ ποιήσουσι, μᾶλλον δ' ἐπιδώσουσι, ὡς πρὸς ἴδιον ἑκάστου προσεδρεύοντες. Germanus.

Defossoque incubat auro] Verbum *incubare* notat pertinaciam. et longius tempus vel diuturnitatem quandam. ut Noster Æn. i. 93. *Ponto nox incubat atra*, et Horat. od. i. 3. *nova febrium Terris incubuit cohors.* Diis iratis natus est, qui cum Dracone (de quo Phædrus iv. 18.) defossos thesauros ita custodit, ut nihil inde sumat sibi, nec ulli quicquam donet, de quo γενικῶς Venusinus Sat. i. 1. 70. *congestis undique saccis Indormis inhians, et tanquam parcere sacris Cogeris, aut pictis tanquam gaudere tabellis.* Emmeness.

508 *Hic stupet attonitus rostris*] Scilicet, ut concionetur. *Servius.*

Plausus h.] Indicatur populi plausus theatralis. Turneb. xviii. 12. *Taub.*

509 *Per cuneos (geminatus enim) plebisque patrumque Corripuit*] Ordo est, Corripuit enim hunc geminatus per cuneos plausus, et plebis et patrum. *Servius.*

Per cuneos] Vel a forma ipsa cunei prima, vel a similitudine cunei militaris, hoc est, peditum globi in cunei formam redacti, quod στῖφος Græcis dicitur, et qui non μυουρίζει, sed a parte prima angustiore in latiorem procedit, cunei dicti sunt loca in theatro, id est, graduum ordines, in quibus vulgus spectatorum stabat inter sedentium subsellia: unde Juvenal. *cuneis an habent subsellia totis Quod securus ames?* Et Vitruv. l. vii. *Cunei spectaculorum in theatro ita dividantur, ut anguli trigonorum, qui currunt circa curvaturam circinationis, dirigant ascensus, scalasque inter cuneos ad primam præcinctionem:* unde et *theatrum cuneatum* dicitur: et *excuneati* ab Apul. dicti sunt, quibus ad sedendum locus non fuit in cuneis confertis. *Germanus.*

Cuneos] *Cuneis* spectaculorum (quos Alexis κερκίδας dixit) nomen a forma datum. quia re ipsa *scalarum* directio talis, ut ab imo ordiens magis diffunderetur in altum, redderetque cunei formam. In Ætna: *cuneati læta theatri Seditio.* Sed de his accuratissime Lipsius in l. de Amphitheatro c. 18. ubi et hunc Virgilii locum ita ordinat: *hunc pl. h. Per cuneos (geminatus enim) plebisque patrumque* C. Ut scil. Cunei *plebis* et *patrum* intelligantur. *Taub.*

Hunc plausus hiantem Per cuneos (geminatus enim) plebisque patrumque Corripuit] Romanus codex, Mediceus, Longobardicus, et plerique alii *geminatus* non *geminatur* legunt. quod etiam approbatur a Servio. *Pierius.*

Geminatus enim] *Geminatus* legit Turnebus, qui et hunc versum vult respondere illis Horat. *Lætum theatris ter crepuit sonum:* et alibi: *Certet tergeminis tollere honoribus:* quos ad theatralem populi plausum refert, ut et illud Propert. *Et manibus faustos ter crepuere sonos.* Infra: *Ingeminant plausum Tyrii.* Sic autem et δίκροτον Medici pulsum quendam a geminato percussu vocant. *Germanus.*

510 *Gaudent perfusi sanguine fratrum*] Hæc Nota tota versabitur in imitatione aperienda, et locorum similitudine. Ergo Catullus ante Nostrum, *Perfudere manu fraterno san-*

guine fratres. Ante utrunque Lucretius lib. III. *Sanguine civili rem conflant, divitiasque Conduplicant avidi, cædem cædi accumulantes, Crudeles gaudent in tristi funere fratres.* Post omnes Manilius l. IV. *Mutuaque armati coëunt in vulnera fratres.* Sed et τὸ *gaudent* in re sanguinis idem usurpavit Nostrum æmulans: *multo gaudentem sanguine civem.* Cerda.

511 *Exsilioque domos*] Voluntario, scilicet propter avaritiam. *Servius.*

512 *Alio sub Sole*] Sub alio climate. *Idem.*

Atque alio patriam quærunt sub Sole jacentem] Albinovanus apud Senecam pari sententia: *Anne alio mundi positas sub cardine gentes, Atque alium libris intactum quærimus orbem.* Horatius Od. II. 16. *Quid terras alio calentes Sole mutamus?* Alter Seneca in Œdip. *quisquis sub hoc In alia versus Sidera, ac Solem avium Dependet orbis, alterum ex nobis ferat.* Et Manil. l. IV. *Atque alias sub Sole novas exquirere prædas.* Papinius item Sylv. IV. *epulas diverso Sole petitas.* Certe Albinovanus, Horatius, Seneca, Manilius, Papinius Virgilium habuerunt magistrum, et sententiam ejus suo quisque flexu enuntiavit. *Cerda.*

514 *Hinc anni labor*] Ex agricultura habet totius anni substantiam. *Serv.*

Hinc patriam] Donatus villam intelligit, non revera patriam. *Idem.*

515 *Meritosque juvencos*] Sui consortes laboris. *Idem.*

Meritosque juvencos] Adludit ad pastorum celebritates, in quibus patiebantur boves feriari a labore, quos etiam sertis coronabant. Hunc morem multa probant. Meminit Plinius XVIII. 3. ludorum, qui celebrabantur caussa boum, quos ludos vocabant *Bubetios.* Tibul. II. 1. *Solvite vincla jugis, nunc ad præsepia debent Plena coronato stare boves capite.* Ovid. Fast. l. I. *State coronati plenum ad præsepe juvenci.* Et postea: *Rusticus emeritum paulo suspendat aratrum.* Cerda.

516 *Nec requies*] Id est, nunquam potest rusticus omni parte destitui. *Servius.*

Requies] Nec requiescit, nec intervallum est. *Philarg.*

Nec requies, quin] Hanc vocum consequutionem, *nec quin*, ut elegantem observat Godescal. lib. de ling. Lat. ita Cicero post redit. ad Quir. *benemeritos quin colas: nec exorari fas est.* Cerda.

517 *Cerealis mergite culmi*] Manipulos spicarum, *mergites* dicimus. *Servius.*

Mergite] *Mergites* fasces culmorum spicas habentium, quas metentes brachiis sinistris complectuntur. quidam *cavos* dicunt. *Philarg.*

518 *Horrea vincat*] In Ge. I. idem, sed flexu alio, *Illius immensæ ruperunt horrea messes.* Itaque, quod ibi, *messes rumpunt horrea*; hic, *annus vincit horrea.* Cerda.

519 *Sicyonia bacca trapetis*] Oliva, a civitate Laconiæ Sicyone, ubi abundant olea. *Trapetis* autem, molis olivaribus. Et declinatur trapetum, sicut templum. Terentianus, *Quos super insidens trapetos signa gyris temperat.* Quod metrum aptum est olivam terentibus. *Servius.*

Sicyonia bacca] Quoniam oleum Sicyonium magno in pretio est. *Sicyon*, urbs Peloponnesi. *trapetis* autem, molis lapideis, ubi oliva molitur. *Phil.*

Sicyonia] Sic Stephanus de hac urbe: *Σικυὼν πόλις πελοποννήσου· ἡ δ' αὐτὴ ἐκλήθη καὶ μήκων καὶ τελχινία· ὁ πολίτης σικυώνιος, καὶ ὑποδήματα σικυώνια.* Meminit etiam hujus loci Mela II. 3. *Emmeness.*

520 *Arbuta*] Poma silvestria. *Serv.*

522 *Mitis in apricis*] Supra, *Bacchus amat colles.* Item et Sophocl. in Tyran. *ὁ βακχεῖος θεὸς ναίων ἐπ' ἄκρων ὀρέων.* *Germanus.*

Coquitur] Familiaris est figura pro coquitur, ut mitescat. *Philarg.*

Coquitur vindemia] Locutio creberrima ad signandam maturitatem. Plin.

x. 12. *antequam fici coquantur autumno.* et xviii. 7. ad finem, *excocta maturitate.* Persius Sat. iii. *canicula messes Jam dudum coquit.* Et sexcenta alia. Procedit sermo hic a Sole excoquente, de quo Lucretius l. vi. *terram Sol excoquit.* Pari indole Græci, nam Artemidorus ii. 25. Καρπὸν πέπειρον. *Cerda.*

523 *Interea dulces pendent*] Nonnulli *pendent dulces.* Omnes antiqui codices, hoc ordine legunt, *interea dulces pendent.* In aliquot etiam codicibus ex antiquioribus *obscula:* quia grammatici *osculum,* quod *ob os* petatur, dictum volunt: sed enim ea dura nimis est enuntiatio. *Pierius.*

Dulces circum oscula nati] Contra illud, *Exsilioque domos et dulcia limina mutant.* Servius.

Dulces pendent circ. osc.] Lucret. iii. *nec dulces occurrent oscula nati Præripere.* Germanus.

524 *Casta pudicitiam servat domus*] Non ut in urbibus impudica. *Servius.*

526 *Inter se adversis*] Aratus in prognost. de hac voluptate: Ἄλλοι δ' ἐξ ἀγέλης κριοί, ἄλλοι δὲ καὶ ἀμνοὶ Εἰνόδιοι παίζωσιν ἐφειδόμενοι κεράεσσιν. *Alii etiam e grege arietes, alii item agnelli In itinere ludant innixi cornibus.* Hanc rem ita Lucretius extulit l. ii. *Et satiati agni ludunt, blandeque coniscant.* Quod Virg. *adversis cornibus.* Horat. Sat. i. 1. *adversis frontibus.* Cerda.

527 *Ipse dies agitat*] Suspendendum. et sic inferendum *festos.* nam hoc dicit, omnes dies sic habet, ut festos putes. Alii dicunt, festos dies cum religione concelebrant. *Servius.*

Festos] Non cum festi venerint, sed omnes dies quasi festos agit, id est lætos. *Philarg.*

527 *Fususque per herbam*] In Æn. i. et v. *fusique per herbam.* et Lucr. l. ii. *prostrati in gramine molli.* A quo Noster in Culice: *Sæpe super tenero prosternit gramine corpus.* De voluptate ista pastorum ita Nazianz. in Apolog. ἐν καλῷ τῆς πόας κατακλιθῆναι: *in pulcra herba corpus inclinare.* Et Alcimus Avit. l. ii. de mundi origine: *Mollibus in pratis, pictaque recumbitur herba.* Phil. Jud. de celebritate quapiam loquens l. ii. de vita Moysis, ita de hac jucunditate: μετὰ δὲ τὰς εὐχὰς, καὶ τὰς εὐχαριστίας, οἱ μὲν πηξάμενοι σκηνὰς ἐπὶ τοῦ αἰγιαλοῦ, οἱ δ' ἐπὶ τῆς αἰγιαλίτιδος ψάμμου κατακλίναντες ἐν ὑπαίθρῳ μετ' οἰκείων καὶ φίλων ἑστιῶνται, πολυτελεστέραν τῆς ἐν βασιλείοις κατασκευῆς τότε τὴν ἀκτὴν νομίζοντες: *Post vota autem, et gratiarum actiones, alii tentoriis fixis in littore, alii discumbentes in ipsa arena sub dio epulantur cum domesticis atque amicis, ac tum littus præferunt regum palatiis.* Cerda.

528 *Ignis ubi*] In medio *ubi ignis*: et proprie *coronantur,* usque ad coronam summam implentur. *Philarg.*

Ignis ubi] In medio, ubi ignis. Tibull. ii. 1. *Tunc nitidus plenis confisus rusticus areis Ingerat ardenti lenia ligna foco.* Et bene ait, *nitidum,* quasi epulis functum: ut epulum solemne et ignem illum festum Ambarvaliorum noster hic intelligat, de quo supra: vel etiam privatum. Pomponius *Palilia* notari ait: de quibus Ovid. Fast. iv. *Moxque per ardentes stipulæ crepitantis acervos Trajicias celeri strenua membra pede.* Quod mihi tamen alienius videtur. *Taubmann.*

Cratera coronant] Τὸ στέφειν πληροῦν σημαίνει. ut Athenæus xv. 5. referens Il. A. 470. κοῦροι μὲν κρητῆρας ἐπεστέψαντο ποτοῖο. ubi Schol. ἄχρι τῆς στεφάνης ἐπλήρωσαν, id est, μέχρι τέλους. pro *cratera* noster Æn. i. 728. *vina coronant.* ad quem locum vide Servium, pro eo Hom. Odyss. B. 431. κρητῆρας ἐπιστέφεας οἴνοιο. *Emmeness.*

529 *Magistris*] Ita vocantur non solum hominum, sed etiam rectores et institutores ferarum. Virgil. prætereo, qui tum hic, tum alibi sæpe usus hac voce. Horat. Epist. i. *Fingit equum tenera docilem cervice magister.* Calp. ecl. iv. *pecoris dixisse ma-*

gistros. Apul. II. Flor. de Psittaco: *sermonem nostrum cogitur æmulari, ferrea clavicula caput tunditur, imperium magistri ut persentiscat: hæc ferula discenti est*. Liv. l. I. de Faustulo, *magister regii pecoris*. Cerda.

530 *Certamina ponit in ulmo*] Hic Poëta Græce locutus videtur: quandoquidem Græci ἆθλα τιθέναι dicunt, et νικητήρια· unde et ἀθλοθέτης et ἀθλοθεσία· ὁ ἀγὼν δὲ ἆθλος ἀρσενικῶς, ἆθλον δὲ τὸ ἔπαθλον οὐδετέρως, quamvis nonnunquam confundantur. Supra, *præmia Theseidæ posuere*: et Æn. v. *Teucris ponam certamina classis*. Eadem significatione usurpavit Jurisconsultus l. liberto de ann. legat. *Certamina*, inquit, *sub nomine ipsius celebrarentur*. Germanus.

Certamina ponit] V. N. Æn. v. 66. ubi ejusmodi certamina sagittarum et luctæ describuntur. *Taubmann*.

531 *Agresti palæstra*] Rustica luctatione. *Palæstra* autem dicta est, vel ἀπὸ τῆς πάλης, id est, a luctatione: vel ἀπὸ τοῦ πάλλειν, hoc est a motu urnæ. nam ducti sorte luctantur. *Servius*.

Corporaque agresti nudat prædura palæstra] In Romano codice, in Mediceo, et antiquissimis aliis *nudant* numero multitudinis legitur. *Pierius*.

Nudat] Notat Hieron. Mercur. Gym. I. 6. γυμνάζεσθαι veteribus fuisse antiquissimo usu *nudari*, quoniam in locis omnibus, ubi exercebantur certamina, ut plurimum exercitatores nudabantur. Quæ vox deinde traducta est ad meram exercitationem. Inde lucem accipit Martial. *Gymnasium, thermæ, studium est hac parte: recede, Exsuimur; nudos parce videre viros*. Inde est, ut Josepho de bel. Judaico, balnea, ad quæ necessaria nudatio, dicantur gymnasia. Ita enim de Herode loquitur: *Namque apud Tripolim, et Damascum, et Ptolemaidem publicas balneas, quæ gymnasia dicuntur, Biblide autem exedras porticus condidit*. Plura ille. Inde conjici potest, in Virgil. fortasse quoque positum *nudat* pro *exercet*, etiamsi vulgaris acceptio apta quoque sit. *Cerda*.

532 *Hanc vitam*] Id est, aureum seculum. *Philarg*.

Veteres Sabini] *Sabinorum*, vel *Sebinorum*, ut Plin. III. 12. illos appellatos docet, *a religione et Deorum cultu*, elogium satis magnificum prodit memoriæ Liv. l. I. *instructum disciplina tetrica, ac tristi veterum Sabinorum, quo genere nullum unquam incorruptius fuit*. Horat. epist. II. 1. *rigidos* nominat et laudat eorum etiam uxores: *Sabina qualis aut perusta Solibus*. avocatos primarios ab aratro ad Rempublicam, nemo est, qui ignorat, ex Plin. XVIII. 3. et Cic. in Catone Maj. *Emmen*.

533 *Sic fortis Etruria crevit*] Secundum historiam. nam constat, Tuscos usque ad fretum Siculum omnia possedisse. *Servius*.

Etruria] Maximum enim imperium Etruscorum in Italia fuit, ut ait Livius, ab Alpibus usque ad fretum Siculum. Unde totum mare, quod a dextra Italici litoris est, *Tyrrhenum* dicitur. Hoc Varro doctius dividit in provincias marinas. *Philarg*.

Sic fortis Etruria crevit] Sunt qui nomini adspirent, *Hetruria*. Sunt qui *Ethruria* scribunt. Apud veteres ego nulla adspiratione *Etruria* scriptum observavi. Imperium vero Etruscorum, ut ait Livius, fuit ab Alpibus usque ad fretum Siculum. Unde totum mare, quod a dextra Italici litoris est, *Tyrrhenum* appellatur: atque hoc est, quod Virgilius ait, *Sic fortis Etruria crevit*. Pierius.

534 *Scilicet et rerum facta est pulcherrima Roma*] Sunt antiqui codices, in quibus *pulcerrima* absque adspiratione inveniatur. de qua scribendi ratione M. Tullium in hoc nomine solicitum fuisse, vel ipsius in Oratore testimonio manifestum est: cui quum unum ratio, alterum consuetudo dictaret, coactum se usui cedere profitetur. Sed enim quid super hoc Te-

rentius Scaurus tradiderit, recitare non pigeat, ut etiam locum in ejus codice mancum resarciamus, aut obscurum nimis, adjecta paraphrasi dilucidemus. ait itaque is, *Et pulchrum, quamvis in consuetudine adspiretur, nihilominus tamen ratio exiliter et enuntiandum et scribendum persuadet.* Ne una omnino dictio adversus Latini sermonis naturam media adspiretur, quamvis alii a Græcis putent esse translatum, quasi pulchrum πολλὸν χρῶμα, quippe multum nitoris et elegantiæ significaret. Sunt tamen non ebetis ingenii viri, qui nomina hujusmodi in *crum* exeuntia, a verbis deduci velint: a *fulcio fulcrum*, a *sepelio sepulcrum*: ita a *polio polcrum*. mox consuetudine *pulcrum*. Idem.

Scilicet] Interdum per ironiam negandi vim habet, hic autem affirmat. Cic. Ep. ad Fam. I. 6. *maxime scilicet consolatur spes.* Manutium videsis. *Emmeness.*

535 *Septem*] Ita ex Serv. et Acrone legit Fabric. *Arces* vocat montes Rom. propter sedes regias, in iis constitutas. Ausonius in Epithal. *Aurea septemgeminas Roma coronat arces.* Propert. l. III. *Septem urbs alta jugis, toti quæ præsidet Orbi.* Hinc et *Septicollis* Fabio Pictori dicitur, et ἑπτάλοφος Græcis. *Taubmann.*

Septemque una, &c.] Quod Roma septem cincta fuerit collibus, multis veterum probat testimoniis Donatus I. 17. de urbe Roma. *Emmeness.*

536 *Ante etiam sceptrum Dictæi regis*] Antequam regnaret Juppiter, qui est in Dictæo monte Cretensi nutritus. *Servius.*

Dictæi regis] Est Dicte mons in Creta, auctore Strabone l. x. δίκτη ὄρος ἐν κρήτῃ. Eadem Plin. IV. 12. eadem alii. Fuit in hoc monte templum Jovis, unde ipse Deus nominatus Dictæus. Strabo, ἐνταῦθα δὲ τοῦ δικταίου διὸς ἱερόν. Martial. IV. 1. *Conscia Dictæum qua tulit Ida Jovem.* Cerda.

Dictæi regis] Quia natus et educatus est Jupiter in monte Ida, ut fabulam illam leges apud Apollod. biblioth. l. I. γεννᾷ δὲ ἐν ἄντρῳ τῆς Δίκτης Δία, &c. Inde Juvenal. XIII. 41. *Et privatus adhuc Idæis Jupiter antris.* optime Mela II. 7. *Quod ibi nutritum Jovem accepimus, fama Idæi montis excellit.* Emmeness.

537 *Impia quam cæsis gens est epulata juvencis*] Arati est hoc, qui dicit, quod majores bovem comesse nefas putabant. *Servius.*

Cæsis juvencis] Attingit hic Poëta cautionem illam veterum, qui abstinebant a cædendis bobus: imo reprehendit mortales, qui hoc ausi. Ad hanc rem pertinet locus Ciceronis Nat. II. *Quid de bobus loquar? quibus cum terræ subigerentur fissione glebarum, ab illo aureo genere, ut Poëtæ loquuntur, vis nunquam ulla afferebatur.* Narrant Valerius et Plinius, prior c. 1. posterior c. 45. et uterque l. VIII. patremfamilias damnatum fuisse a populo Romano, quod bovem aratorem occidisset, socium laboris humani. Athenis etiam lege cautum erat, ne quis bovem immolaret, de quo dicebant, γεωργὸς ἐστιν, καὶ τῶν ἐν ἀνθρώποις καμάτων κοινωνός: *agricola est, et socius humani laboris.* Eodem confero verba Varronis Rust. II. 5. Pretium hujus feræ, in quo fuerit apud veteres mortales, apparet liquido ex admonitione Celsi apud Colum. IX. 14. ubi contra sentientes, reparandas esse apes cæsis tribus juvencis, ait, non istud debere fieri tanto interitu. Pyth. apud Ovid. Met. XV. ita hanc rem reprehendit, *Immemor est demum, nec frugum munere dignus, Qui potuit curvi demto modo pondere aratri Ruricolam mactare suum.* Inde gravis illa querela Papinii Theb. III. *Nec pudor emerito clypeum vestisse juvenco.* Inde etiam Ovid. Fast. IV. *A bove succincti cultros removete ministri, Bos aret, ignavam sacrificate suem. Apta jugo cervix non*

est ferienda securi: Vivat et in dura sæpe laboret humo. Cerda.

539 *Classica*] Militare instrumentum, quo bellicum canebatur. Senec. in Œdip. idem facit cum cornu, nam ait: *Sonuit reflexo classicum cornu.* et Veget. II. 22. *Classicum item appellatur, quod buccinatores per cornu dicunt.* Inde obiter Senecam eundem expendo, qui alibi: *Jam tacet murmur grave classicorum.* Cur *grave?* quia strepitat quid *raucum,* qui sonus proprius cornu, dicente Virg. l. VIII. *rauco strepuerunt cornua cantu.* Ut vero hic *inflari classica,* ita supra, *Tyrrhenus ebur inflavit.* Idem.

Necdum Inpositos duris] Juvenalis, *Nescierant primi gladios excudere fabri.* Servius.

540 *Duris crepitare incudibus enses*] Ego de pace Philip. II. et omnium primi, ita æmulabar Poëtam: *Martius haud duris crepitans incudibus ensis, Non galeæ æratæ, longi sed vomeris usus.* Cerda.

541 *Confecimus æquor*] Κέλευθον διαπρήσσειν· et Il. Γ. διέπρησσον πεδίοιο. id est, διήνυον, et διεπέρων διὰ τοῦ πεδίου. *Germanus.*

542 *Et jam tempus equum fumantia solvere colla*] Allegoricôs hoc dicit, *Debemus fatigato ingenio parcere, et facere finem carmini.* Sane non est comparatio, sed translatio: sicut et in primi fine diximus. Et plerique volunt, ideo eum dixisse hoc loco carmini Georgico finem se esse facturum, quod duo sequentes libri, pastorales sunt, non Georgici; ut etiam in prima hujus carminis parte memoravimus. *Servius.*

Et jam tempus equum fumantia solvere colla] Sunt veteres codices, in quibus *equom* scribitur. In Romano, et aliquot aliis *spumantia* legitur. Quam esse cum translatione allegoriam, Quintilianus ait in octavo. Et *fumantia* habetur apud Carisium, ubi de allegoria. *Pierius.*

Fumantia] Feriat tuum animum præclarus dicendi modus. Ita Æn. XII. *fumantes sudore quatit,* equos; et de equis Castoris et Poll. Minutius, *spumantibus equis, atque fumantibus.* Pari venustate Mart. XIV. 221. *Spumeus in longa cuspide fumet aper.* etiam Georg. III. taurus dicitur *fumans sub vomere.* Papin. flexu alio Theb. VII. *anhelabant sudore,* scilicet equi. *Cerda.*

GEORGICON

LIBER III.

1 *Te quoque, magna Pales*] Invocat deam pabuli, dicturus de animalibus: sicut de frumentis dicturus et vitibus Cererem invocavit et Liberum. Sane non est mirandum, esse usum eum procemio; sicut est usus in primo. nam aliud quodammodo inchoaturus est carmen, pastorale scilicet, post completum Georgicum. deinde etiam si unum sit, scimus concessum esse scribentibus, ut iteratione procemii, legentium interdum reficiant laborem. Nam et Livius frequenter innovat principia: ut, *Incensa a Gal-*

lis urbe: ut *Completis consulibus*. Et Cicero in Verrinis, qui in frumentaria conciliavit auditorum animos, iteratione principii: ut, *Omnes qui alterum judicant*. *Pales* autem ut diximus, dea est pabuli: quam alii Vestam; alii matrem deam vocant. hanc Virgilius genere fœminino appellat. Alii, inter quos Varro, masculino genere, ut, *hic Pales*. Huic sacra solvuntur XI. Kalendas Majas die, quæ *Palilia* vocantur. *Servius*.

Te quoque, magna Pales] *Sicuti de Frumentis* et *Vitibus* dicturus, Cererem et Liberum invocavit: ita nunc super *Pabulo*, et re pecuaria, Palem et Apollinem illum cognomento Νόμιον invocat: et Invocationi, ad exemplum Græcorum, *Propositionem* statim intexit. Cur autem de cura *milli pecoris* hic nihil præceperit, quærunt: et factum opinantur; *vel*, quia *præcellentissimus vates* (ut laudat Plinius) rerum humilitate fuit deterritus. nam et *subulci* ita viluerunt, ut nulla usquam in bucolico negotio eorum colloquia a Poëtis repræsententur. *Vel*, quia hoc genus animantis inter omnes negligentius solet haberi: quippe cum ipsum quasi sponte sua et incomposito impetu pabulum et stabulum sibi emoliatur. *Vel*, quia περὶ πάντων ἀναφαίνεσθαι (ut inquit Aristot.) ἢ εὐηθείας, ἢ πολλῆς προθυμίας. *Vel*, denique in gratiam Romanorum, Juliæque familiæ, ad Venerem genus referentis, factum est. Nam et Veneri sus invisa est, ob interfectum Adonidem, et Cereri, quod rostro terram infestet. utraque autem dea Romanis impense colebatur. Vide Pimpont. et P. Victorium Var. XVII. 9. *Taubmann*.

Magna Pales] Hinc *Palilia*: Græci certe nunc παλήλια nunc παλίλια scribunt. Est autem βοτηρικὴ ἑορτὴ, quam ante urbem conditam agitabant per eum diem, qui postea dies natalis urbis cœpit celebrari: de quo vide Plutarch. in Romulo. Sunt autem qui *Parilia* legant, non *Palilia*, eaque non a *Pale* Dea, sed quod eo tempore omnia sata, arboresque et herbæ parturiant pariantque. Athenæus inquit etiam τὰ παρίλια πάλαι μὲν καλούμενα, νῦν δὲ ῥωμαῖα. Tibull. *At madidus Baccho sua festa Parilia pastor, Concinet, a stabulis tunc procul este lupi*. Propert. *Annuaque accenso celebrare Palilia fœno, Qualia nunc curto lustra novantur equo*. Idem: *Urbi festus erat, dixere Palilia patres, Hic primus cœpit mœnibus esse dies: Annua pastorum convivia, &c*. Germanus.

Pales] Hanc Deam Ovid. Fast. IV. magno elogio *dominam* vocat pastorum. Virg. hic *magnam*, infra *Venerandam*, in Culice, *Sanctam*. Alia elogia, præter hæc, sparsa in Poëtis. Fuit hæc præcipuo honore culta a pastoribus, ideo ab Ovid. Fast. IV. invocatur: *Alma Pales faveas pastorum sacra canenti*. Ideo illi sacra fiebant lacte. Auctores Ovid. et Tib. prior, *et tepido lacte precare Palem*. Posterior, *et placidam niveo spargere lacte Palem*. Ideo *fœcundam* appellat Calpurn. *Cerda*.

2 *Pastor ab Amphryso*] *Amphrysus* fluvius Thessaliæ, apud quem Apollo, spoliatus divinitate, ob occisos Cyclopas, Admeto regi pavisse armenta dicitur. unde eum nunc invocat, qui Nomius vocatur, vel ἀπὸ τῆς νομῆς, id est, a pascuis: vel ἀπὸ τῶν νόμων, id est, a lege chordarum. *Servius*.

Pastor ab Amphryso] Stephanus dicit esse πόλιν φωκίδος, et sic appellari etiam ποταμὸν μαγνησίας. qui Ovid. II. 580. *lenis Amphrysos*. Nonnulli pronuntiant per B. Ad flumen illud pavit Admeti pecus Apollo, ut tota fabula enarratur Apollodoro biblioth. l. I. qui post a Mercurio circumventus, furto ablatis nempe vaccis, et ipsa pharetra, ridiculum se præbuit, quod attingit Horat. od. I. 10. quo porro amore prosecutus sit hunc regem νόμιος Deus, canit Stat.

Theb. l. v. *hic Phœbo non indignante priorem Admetum, &c.* Tibul. II. 3. *Pavit et Admeti tauros formosus Apollo.* et alio in loco: *Me quondam Admeti niveas pavisse juvencas, &c.* Lucan. VI. 368. *et flumine puro Irrigat Amphrysus famulantis pascua Phœbi.* Ovid. de ar. a. II. 239. *Cynthius Admeti vaccas pavisse Pheræas Fertur et in parva delituisse casa. Pastor* autem *ab Amphryso* eodem modo ut apud Livium l. I. *Turnus Herdonius ab Aricia.* Ubi subaudiendum qui *natus* vel *ortus*, &c. De hac structura Sanctius de ellipsi. l. IV. Legi possunt, quæ dicta sunt de Pale et Deo τῷ νομίῳ Ecl. v. 35. et Voss. l. III. de Idololat. c. 61. illic de Pale Deo et Dea, et cur νόμιος Apollo, et plura Schottus in N. in Chrestom. Procli p. 38. *Emmeness.*

Silvæ amnesque Lycæi] Κατ' ἐξοχὴν montem Arcadiæ posuit: vel quia pecorosa; vel quia Pan illic est rusticum numen. *Servius.*

3 *Cætera, quæ vacuas tenuissent carmina mentes*] Hoc est, fabulæ, quæ delectationi esse poterant, et occupare mentes, curis solutas, jam descriptæ a multis in omnium ore versantur. *Idem.*

Cetera] Manutius sine diphthongo scribi contendit, cui suffragatur Dausquius. *Vacuas mentes* Phædr. in præfat. l. III. *liberum animum, solutum pectus* nominat, quod a negotiis vacat. et nihil aliud hic *tenere mentes* quam apud Ciceronem de Off. I. 33. *populum tenere concionibus*, id est, oblectare. *Emmeness.*

Carmina] Legitur, et *carmine*, et ut puto rectius. non enim dicit cetera carmina jam vulgata, sed cetera omnia absolute, id est, ceteræ omnes res vulgatæ. *Philarg.*

Carmina] Omnia jam volgata. Quamvis *Carmina* non improbarim, in codicibus tamen aliquot manu scriptis legitur *Carmine* septimo casu. Non enim dicit cetera carmina jam vulgata sunt: sed cetera omnia, quæ versibus pangi potuissent, quæque plurimum in Poëtarum argumenta venire solent. Mox ea quænam sint, recenset. *Pierius.*

4 *Quis aut Eurysthea durum*] Eurystheus rex fuit Græciæ, Persei genus; qui Junonis instinctu imperabat Herculi, ut varia monstra superaret, quibus posset perire. unde eum *durum* appellavit, qui potuit ad complendum odium novercale sufficere. *Serv.*

Eurysthea durum] Ne quem transversum agant, qui *dirum* malunt ad hominis crudelitatem ostendendam. *Durum* castam esse lectionem ostendit Val. Flacci parodia, *Sed duro sæva sub rege Mycenæ.* Pierius.

Durum] Quia Eurystheus, ὃς μυκηνῶν ἐβασίλευσε, teste Apollod. biblioth. l. II. referente illic totam fabulam, Herculi ἔργον ἀεικὲς imposuit instigante Junone, ut Homer. Il. T. 133. Sic noster Æn. VIII. 291. *ut duris mille labores Rege sub Eurystheo fatis Junonis iniquæ Pertulerit.* et Ovid. Heroid. epist. IX. Sed quis hæc nescit? *Emmeness.*

5 *Aut inlaudati nescit Busiridis aras*] Busiris rex fuit Ægypti: qui cum susceptos hospites immolaret, ab Hercule interemptus est, quum etiam eum voluisset occidere. hujus laudes scripsit Isocrates: unde *inlaudati*, participium est pro nomine: ut sit illaudabilis, non qui laudatus non sit, sed qui laudari non meruit: ut est illud in septimo Æneidos, *Dives inaccessos ubi Solis filia lucos.* Pro inaccessibiles: non ad quos nullus accessit, sed ad quos nullus accedere debeat. *Servius.*

Inlaudati] In Romano codice, in Mediceo, et in Longobardico *inlaudati* per *in* scriptum est more veterum. ac de *Illaudato* quidem legas apud Gellium libro secundo, cap. sexto. Locum vero hunc Non. Marcellus expositurus ait, *Laudare* significat etiam *nominare.* Virgil. *Aut inlaudati nescit Busiridis aras*, id est,

nec nominandi. Plautus in Captivis, *Id ut scias Jovem supremum testem laudo Ægio.* Sunt qui *illaudatum*, *ferum* et *immanem* interpretentur. Non defuerunt olim, qui Virgilio vitio verterent, quasi otiosum epitheton immanissimo omnium Tyranno attribuerit. Sed enim tot inter opiniones, primas obtinere videtur Isocratis oratio, dicentis, eum, qui Busiridem laudare conatus fuerat, id demum effecisse, ut et vituperabilis, et odio magis dignus, ob eam commendationem videretur. Ejus vero verba subtexere visum est non importunum: Ἀλλ' οὖν ἐπί γε τοῖς ὑπὸ σοῦ λεγομένοις οὕτως ἠγανακτήσειαν, ὥστε μηδεμιᾶς ἂν ἀποσχέσθαι τιμωρίας. καί τοι πῶς οὐκ αἰσχύνεσθαι μᾶλλον ἢ σεμνύνεσθαι προσήκει. Τὸν παρὰ τοῖς λοιδορουμένοις ὑπ' αὐτῶν μᾶλλον ἀγαπώμενον ἢ παρὰ τοῖς ἐγκωμιαζομένοις. Quare si Virgilium dixerimus, dum *Busiridem illaudatum* appellat, locum hunc Isocratis perstrinxisse, non inepte forsitan locum interpretati judicabimur. Alii Ovidio freti dicunt *illaudatum Busiridem* ea de caussa dici: quia Juppiter ejus sacrificia numquam approbaverit. *Pierius.*

Inlaudati] Id est, *illaudabilis;* sive, qui laudari non meruerit: ita Servius, Gellius, et Turn. IV. 17. Hospites enim mactare in ara solebat *Busiris*, qui rex Ægypti, et Neptuni F. atque ab Hercule tandem interfectus, parique, ut quidam volunt, exemplo aris admotus. Budæus et Brodæus *illaudatum* exponunt *non nominandum*, οὐκ ὀνομαστόν. ut Hom. Trojam urbem οὐκ ὀνομαστὴν vocat, et Ulpianus: *Latro, gladiator, non nominandus.* Antiqua enim lingua *Laudare*, ut et *laudator*, vox erat funesta. unde et posteriores Scriptores Græci; qui non res suas, sed Romanas tractant, ἔπαινον, τὸ ἐπικήδιον vocant. Est autem *Laudare, crebrius aliquem nominare*, quod in funere alicujus fieri et in deploratione solet. Sic apud Livium l. I. soror Horatii *flebiliter nomine sponsum mortuum appellabat:* quod proprie *laudare* erat. Ita ergo *laudare* erat nominare, et ὀνομάζειν simpliciter. Unde Maroni ad linguam plerunque antiquam alludenti, *Illaudatus Busiris*, hic est, infandus, et nunquam nominandus. Sic, cum Homero dicitur Ἴλιον οὐκ ὀνομαστὸν, *illaudatum* reddes optime. Ita Euripidi Iphigenia in Tauris, ἀνώνυμοι θεαὶ dicuntur Erinnyes, *illaudatæ deæ.* ut docet D. Heinsius ad Silii l. 10. *Taubmann.*

Inlaudati Busiridis aras] Quid *illaudatus* fusius Gell. II. 6. Ut ex eo Macrob. VI. 7. sic ἀπηνὴς βασιλεὺς apud Homerum Iliad. A. 340. et quia ipsam sævitiam in hospites fatigabat, aræ ejus sanguine humano diffluebant. Inde Stat. Silv. l. III. *Pharii polluta altaria regis.* Emmeness.

Busiridis] *Busiris* Ægypti rex omnibus annis Jovi hospites immolabat. Nam per octo annos sterilitate Ægypto laborante, Pygmalion Cyprius finem futurum non ait, nisi sanguine hospitis litatum fuisset. Primus autem Thyestes alienigena immolatus originem sacrificio dedit. Alii sic: *Busiris* Neptuni filius rex Ægypti, qui cum Jovi hospites immolaret, pari exemplo mactatus est ab Hercule, ipsum quoque ausus aris admovere. *Philarg.*

6 *Cui non dictus Hylas puer*] Id est, a quo. Horatius, *Scriberis Vario fortis et hostium*, pro a Vario. *Hylas* autem socius Herculis fuit, qui aquatum profectus, raptus est a Nymphis in Mysia. *Servius.*

Dictus] Verbum significantissimum, quo Gr. ἔπος exprimitur. de quo Scaliger Poët. I. 41. *Taubm.*

Latonia Delos] In qua Latona enixa est Apollinem et Dianam; quam insulam ante vagam Apollo, ut in tertio legimus, *Mycone celsa Gyaroque revinxit:* ubi fabulam plenius diximus, stabilem fecit. *Servius.*

7 *Hippodameque*] Græca quæ in η

exeunt, plerunque ipsum η in ια solvunt: ut, Hippodame Hippodamia: Penelope Penelopia. Fabula talis est: Hippodame filia fuit Œnomai, regis Elidis et Pisarum: hic equos habuit velocissimos, utpote ventorum flatu creatos, qui procos filiæ multos necavit, sub hac conditione provocatos ad curule certamen, ut aut victus traderet filiam, aut victor necaret. Postea cum Pelopem amasset Hippodamia, corrupit Myrtilum aurigam patris, primi coitus pactione: qui factis cereis axibus, quum victore Pelope a puella promissum posceret præmium, ab ejus marito præcipitatus in mare est, cui nomen imposuit. nam ab eo *Myrtoum* dicitur pelagus. *Idem.*

Humeroque Pelops insignis eburno] Tantalus, pater Pelopis, volens deorum tentare divinitatem, invitatis eis, filium suum epulandum apposuit: a quo omnes dii abstinuerunt, excepta Cerere, quæ brachium ejus consumpsit. Postea punito Tantalo, cum dii voluissent ejus filium revocare ab inferis, Ceres ei eburneum brachium restituit. Quod ideo fingitur, quia Ceres ipsa est terra, quæ corpora universa consumit, ossa tantum reservans. *Idem.*

Humero eburno] Ideo Pelops Statio Theb. l. IV. *truncatus*, et Silv. V. *truncus* dicitur. De quo Ovid. Met. VI. 410. *Impositum est non comparentis in usum Partis ebur, factoque Pelops fuit integer illo.* Tibull. I. 4. *Ex humero Pelopis non nituisset ebur.* Luculentius hanc fabulam commemorat Seneca in Thyeste. *Emmeness.*

8 *Acer equis*] Victor etiam Œnomai. *Servius.*

Via] Ratio jucunda. *Idem.*

Me quoque possim] Sicut se alii sustulerunt carminis merito. *Idem.*

9 *Tollere humo*] Simili sententia Hor. od. II. 3. *Cœtus vulgares, et udam Spernit humum fugiente penna.* Et Pindar. Olym. IX. ubi ait, non sibi attingendos λόγους χαμαιπέτους: *sermones serpentes humi.* Et Propert. l. III. *Quo me fama levat terra sublimis.* Ab Nostro Ovid. Met. VII. *Ac se tollere humo, rectoque assistere trunco.* Et aliter Plin. l. V. Epist. *Diebus ac noctibus cogito, si qua me possim tollere humo.* Par sententia, etiamsi alio conceptu, est in Val. Arg. I. *Eripe me populis, et habenti nubila terræ.* Optat enim attolli supra humum gratia sui Principis. *Cerda.*

Tollere humo] Qua memoriam mei faciam longiorem, erigendo monumentum, quod sit ære perennius, vel quod mihi scriptori noto longum ævum proroget. ut Horat. de art. p. 346. *Emmeness.*

Victor] Effector propositi: sic paulo post, *Illi victor ego.* Servius.

Victorque] Id est, effector propositi et voti. nam *Victor* etiam dicitur, qui aliquid perfecit: ut et vs. 17. Turneb. XXIV. 29. *Taubmann.*

Victorque virum volitare per ora] Martial. ad suum librum I. 4. *Ætherias, lascive, cupis volitare per auras.* Flexu alio in Æn. XII. *vivusque per ora feretur.* Ante Nostrum Enn. in Epitaph. *volito docta per ora virum.* Ante utrumque Pind. Nem. VI. πέταται δ' ἐπί τε χθόνα, καὶ διὰ θαλάσσας τηλόθεν ὄνομ' αὐτῶν, *Volitat super terram, et per mare procul nomen eorum.* Talem hominem Græci dicunt περιβόητον, quod omnium vocibus celebretur. *Cerda.*

10 *Primus ego in patriam*] Ideo *primus*, quod ante illum nullus Mantuanus Poëta fuit. aut quia nullus exinde talis emersit. *Servius.*

Primus ego in patriam] Sic et Prop. l. III. *Primus ego ingredior puro de fonte sacerdos Itala per Grajos orgia ferre choros.* Germanus.

Modo] Tantummodo. *Servius.*

Vita supersit] Id est, longinquius diutiusque adsit. De verbo *Superesse* accuratissime Gellius I. 22. *Taubmann.*

11 *Aonio vertice*] Bœotio. Eliconia ipsa est Bœotia, in qua est Elicon mons, Musis dicatus. *Servius.*

Aonio] Bœotio, quod ibi primi Aones fuerunt. *Philarg.*

Musas] Helicon mons est Musis dicatus. *Idem.*

12 *Idumæas palmas*] Abundantes, quantæ sunt apud Idumen civitatem Phœnicis. Lucanus, *Et arbusto palmarum dives Idume.* Servius.

Idumæi] Gens est Syriæ. Quidam *Idumæas palmas*, ab Iduma, quæ est urbs Lydiæ, palmarum ferax, dictas volunt. Plerique Idumam Syriæ Judææ civitatem credunt. *Philarg.*

Idumæas palmas] Recte per *æ.* de origine hujus vocis Dausq. in Orthogr. Fines Idumææ describit Plin. v. 13. quæ pars est Syriæ, eodem teste c. 12. inter insignes opes Syriæ Athenæus XIV. 18. numerat palmulas. inde etiam Stat. Silv. I. v. sic de palmetis: *Palmetaque capta subibis, Non sibi felices silvas ponentis Idumes?* et Silv. I. I. *Fæcundis cadit aut jugis Idumes.* et Martial. x. 50. *frangat Idumæas tristis victoria palmas.* Emmen.

13 *Et viridi in campo*] Hic est campus, de quo ait: *Et qualem infœlix amisit Mantua campum.* Philarg.

Ponam] Pro exstruam, ut apud Phædr. III. 10. *tam angustam ponis domum.* sic apud Cæs. passim *ponere castella, castra. propter*, pro, *prope.* De hujus præpositionis significatione plura Ecl. VIII. 87. *Emmeness.*

15 *Prætexit arundine*] Mire dictum ad signandum arundinetum circumfusum ripis. Cum eodem sapore Ovid. *Quid referam Bajas, prætextaque littora velis.* Et Auson. *Assultantibus tot millibus barbarorum, quibus Danubii ora prætexitur.* Cerda.

16 *In medio mihi Cæsar erit, templumque tenebit*] Id est, ipsi templum dabo. Et verbo usus est pontificali. Nam qui templum dicabat, postem tenens, dare se dicebat numini, quod ab alio necesse fuerat jam teneri, et ab humano jure discedere. Quod autem dicit, *In medio mihi*, ejus templum fore significat. nam semper ei sacratus numini locus est, cujus simulachrum in medio collocatur: alia enim ad ornatum tantum pertinent. *Servius.*

In medio mihi Cæsar] Locus medius apud Romanos honoratior, ut semper apud hunc Poëtam observare est. Vide Plutarch. Symp. διατί τῶν τόπων ὁ καλούμενος ὑπατικὸς ἔσχε τιμήν. *Germanus.*

In medio mihi Cæsar erit] Attingit morem, quo Dii Tutelares erant in media parte templi: de quo dicam Æn. I. ad illud: *Tum foribus Divæ media testudine templi.* Cerda.

Tenebit] Pro *possidebit. Compos voti* autem, pro lætus animi. *Philarg.*

17 *Illi*] In Romano, in Mediceo, et aliquot antiquissimis codicibus *illic*, hoc est, Mantuæ, in patria mea, quo primus ego Musas ab Aonia deduxero. In Longobardico abrasum est *c*, imperiti nescio cujus temeritate. Quanquam nihil prohibet, quin *illi*, pro *illic* accipi possit, ut in secundo Æneidos, *Illi mea tristia facta.* quod pro *illic* positum Grammatici veteres observarunt. *Pierius.*

Tyrio conspectus in ostro] In habitu pontificis: cujus se officium dicit in templi consecratione sumpturum. *Servius.*

18 *Centum quadrijugos agitabo ad flumina*] Id est, unius diei exhibebo Circenses: quia, ut Varro dicit in libris de gente populi Romani, olim XXV. missus fiebant: sed vigesimus quintus dicebatur ærarius; eo quod de collatione populi exhibebatur. qui desiit esse, postquam conferendæ pecuniæ est consuetudo sublata: unde hodieque permansit, ut ultimus missus, appelletur ærarius. Ergo *centum currus* secundum antiquitatem dixit, sicut etiam *ad flumina.* Olim enim in littore fluminis Circenses agitabantur: in altero latere positis

Scæna] Non nulli libri *scena* per *e* simplex, quod a σκήνη scribunt, sed saxa omnia *scæna* cum bivocali. Veteres σκαίνα, σκάνα, σκήνη agnoscunt. utramque disputationem invenias apud Dausquium in orthogr. *Emm.*

25 *Purpurea intexti tollant aulæa Britanni*] Hoc secundum historiam est locutus. Nam Augustus postquam vicit Britanniam, plurimos de captivis, quos adduxerat, donavit ad officia theatralia: dedit etiam *aulæa*, id est, velamina, in quibus depinxerat victorias suas; et quemadmodum Britanni ab eo donati, eadem vela portarent: quæ re vera portare consueverant. quam rem mira expressit ambiguitate, dicens *intexti tollant*. Nam in velis ipsi erant picti, qui eadem vela portabant. *Aulæa* autem dicta sunt, ab aula Attali; in qua primum inventa sunt vela ingentia, postquam is populum Romanum scripsit heredem. *Servius.*

Aulæa] Παραπετάσματα, περιστρώματα, τάπητας, et αὐλαίας Græci dicunt. Plutarch. in Themist. ἐγγὺς γενόμενοι τὴν αὐλαίαν ἀνέστελλον· et αὐλαίας περιελεῖν, aulæa tollere. *Germanus.*

Aulæa] Hunc ornatum perlatum Romam ex Attalica aula Donatus in Fragm. de Comm. et trag. ut *premi aulæa* dicuntur, quæ humi strata sunt, dum aguntur fabulæ, sic *tolli aulæa*, fabula acta. Vide Turn. advers. XXVI. 25. ex Cicerone probat. Curt. VIII. 5. fœmininum facit *quum post aulæam, quæ lectos obduxerat, staret.* Emmeness.

26 *Solido elephanto*] Ebore integro, non sectili. *Servius.*

27 *Gangaridum*] *Gangaridæ* populi sunt inter Indos et Assyrios, habitantes circa Gangem fluvium; unde etiam *Gangaridæ* dicti sunt. Hos devicit Augustus. unde est, *Imbellem avertis Romanis arcibus Indum. Gangaridum* vero pro *Gangaridarum* posuit; quia hic Gangarida facit. Quod autem ait, *Victorisque arma Quirini*, non est contrarium, nam ut etiam in primo Æneidos diximus, Suetonius Tranquillus hoc de Augusto commemorat: *Quodam tempore tres partes populi, consentiente senatu, obtulisse ei tria nomina: Quirini, Augusti, Cæsaris: ille ne unum eligendo, alias offenderet partes; primo Quirinus est dictus: inde Cæsar: post in nomine permansit Augusti.* Unde eum Virgilius omnibus istis appellat nominibus. Nam Quirinum, Romulum accipere non possumus; quia Gangaridas penitus ignoravit. *Idem.*

Gangaridum] Pro *Gangaridarum.* Male a Solino *Gangarides* appellantur. Plin. VI. 19. *gente Gangaridum.* Val. Arg. l. v. in secunda sede per *g.* at Diodor. l. III. per *d* scribit: Τὸ ἔθνος γανδαρίδων, et apud Strabonem regio nominatur *Gandaritis.* de hac lite videndus Salmas. Plin. exerc. p. 992. 993. qui primos esse extra Gangem arbitratur. Gens fortissima fuit, quæ virtute sua se a vi et armis alienis vindicare potuit. teste Turn. v. 4. Poëta hic Augusto precatur talem victoriam et laudem, quam nullus mortalium ante eum assecutus erat. *Gangaridas* fuisse bellicosos discimus ex Curt. IX. 2. et Plin. VI. 19. horum regi præter exercitum in procinctu bellorum elephanti DCC. excubabant. Hesychius vocat eos ταυροκράτας. De his Vossius ad Melam I. 2. distinctius. *Emmeness.*

Quirini] Attribuit Augusto nomen Romuli, quod dictum ex Historia, scribente Floro in fine: *Tractatum etiam in senatu, an quia condidisset imperium, Romulus vocaretur.* Et Sueton. in Aug. c. 7. *Quibusdam censentibus Romulum appellari oportere, quasi et ipsum conditorem urbis.* Dio etiam scribit l. LIII. Augustum vehementer appetivisse vocari Romulum, sed ab hac mente dejectum, solum ne videretur regnum affectare. *Cerda.*

28 *Undantem bello*] Quasi non undas, sed bella portantem: propter Antonii et Cleopatræ gravissimum

prælium. *Servius.*

Magnumque fluentem] Magne. ut, *Torvumque repente Clamat.* Idem.

Magnumque fluentem Nilum] Id est, fluentem magne, et copiose. de illius magnitudine, Diodor. I. 3. *Maximum omnium flumen.* Agel. x. 7. *Omnium fluminum, quæ in maria, qua imperium Romanum est, fluunt, maximum esse Nilum, consentiunt.* Strab. l. xv. quatuor flumina nominat ingentis magnitudinis, Gangem, Indum, Istrum, Nilum. Arist. Meteor. II. 2. Ἴστρος καὶ ὁ νεῖλος μέγιστοι τῶν ποταμῶν: *Ister, et Nilus maxima omnium fluminum.* Seneca Nat. Quæst. IV. 2. *Nilus ceteris major.* Eo pertinet, dari huic flumini nomen maris. Nazianz. orat. XXIV. de Nilo, ποταμὸς πελαγίζων: *fluvius exundans instar maris.* Claudian. in Epig. de Nilo: *Effluit Ægæo stagnantior, acrior alto Ionio.* Seneca in adducto loco: *In faciem lati, ac turbidi maris stagnat.* Et, quod mirere, de unoquoque septem ostiorum, quibus in mare influit: *quodcunque elegeris ex his, mare est.* Facit ad eandem magnitudinem vastitas Insularum, quas ambit, quas efficit, quod profecto monstri loco est. De qua re videndus Diodor. dicto loco, Plin. v. 9. Solin. c. 45. *Cerda.*

29 *Ac navali surgentis ære columnas*] Augustus victor totius Ægypti, quam Cæsar pro parte superaverat, multa de navali certamine sustulit rostra; quibus conflatis, quatuor effecit columnas, quæ postea a Domitiano in Capitolio sunt locatæ: quas hodieque conspicimus. unde ait, *Navali surgentis ære columnas.* Nam rostratas Duillius consul posuit, victis Pœnis navali certamine: e quibus unam in rostris; alteram ante circum videmus a parte januarum. *Servius.*

Columnas] *Columnas* dicit, quæ in honorem Augusti et Agrippæ *rostratæ* constitutæ sunt. *Philarg.*

Ac navali surgentis ære columnas] De columnis rostratis Donat. de urb. R. II. 8. *surgere* dicuntur ædificia eleganter, quando tolluntur et eminentiora fiunt. Noster in ea notione frequenter Æn. I. 370. *Surgentemque novæ Carthaginis arcem.* vs. 441. *O fortunati, quorum jam mœnia surgunt.* vs. 452. *Ærea cui gradibus surgebant limina.* Sic Æn. IV. 47. *quæ surgere regna.* Hor. od. III. 3. *Ter si resurgat murus aënius.* Liv. VI. 4. *Et Roma cum frequentia crescere, tum tota simul exsurgere ædificiis.* Emmeness.

30 *Niphaten*] *Niphates* et fluvius est et mons: ut, *Et Cimini cum monte lacum.* Per *Niphaten* autem, populos juxta habitantes accipimus; nam nec fluvius, nec mons unquam potest pelli. *Servius.*

Niphaten] Ὄρος Ἀρμενίας, ut Steph. de quo monte Strabo l. XI. et Mela I. 15. sic pars appellatur montis Tauri, monente Plinio, v. 27. perperam *Nymphates* a nonnullis: per *i* scribendum potius. Ut Noster, ita Horatius in laudes excurrit Augusti od. II. 9. *et potius nova Cantemus Augusti tropæa Cæsaris, et rigidum Niphaten.* Contra fidem priscorum Parthis hunc montem, vel amnem, ut non nulli volunt, adscribit Claudian. *Armenii Phasin, Parthi liquere Niphaten.* Emm.

31 *Fidentemque fuga Parthum*] Bene *fidentem:* tunc enim melius jaculantur sagittas. *Servius.*

Fidentemque fuga Parthum, vers. sag.] Hanc pugnandi disciplinam a Scythis manasse Plato admonet in Lachete: "Ὥσπερ που καὶ σκύθαι λέγονται οὐχ ἧττον φεύγοντες ἢ διώκοντες μάχεσθαι." Propert. IV. *Subdolus et versis increpat arcus equis.* Quamvis vero a nullo non historico satis superque vulgata sit Parthorum pugnandi et sagittandi ratio, adjiciam tamen illud in eandem sententiam ex Tacito l. v. *Variæ hinc pugnantium species, cum Parthus, sequi vel fugere pari arte suetus, distraheret turmas, spatium ictibus quæreret, Sarmatæ amisso arcu, quo brevius valent, contis gladiisque ruerent.* Germanus.

Fidentemque fuga Parthum] De Par-

this, fugam simulantibus, Justinus XLI. 2. vide ibi Bernegg. et Ovid. de art. a. I. 310. *Emmeness.*

32 *Rapta tropæa*] Raptim et sine labore quæsita. *Servius.*

Rapta] Dicendo *rapta*, celeritatem victoriæ ostendit. *Philarg.*

Tropæa] In Romano cod. et aliquot aliis antiquioribus, *tropæa* absque ulla scriptum est adspiratione: et id quidem recte. *Pierius.*

Et duo rapta manu] Non est otiosa hæc adjectio *manu*. Innuit siquidem Poëta, non hoc auspiciis bellum gestum imperatoris, sed eum præsentem et αὐτοπρόσωπον huic bello prælioque præfuisse, quasi socium consortemque periculi: ut infra de Ascanio: *fortemque manu fudisse Numanum:* quod ibi Iulus non solum bellico negotio auctoritatem præstitisset, sed αὐτόχειρ et αὐτουργὸς percussor Rutuli insolescentis fuisset. *Germanus.*

Diverso ex hoste] Orientis et Occidentis accipimus. Unde ait, *Utroque ab littore:* Orientis, propter Gangaridarum: Occidentis, propter Britannorum triumphum. *Servius.*

33 *Bisque triumphatas*] Propert. ad Mæcenatem: *Persequar et currus utroque ab littore ovantes Parthorum, astutæ tela remissa fugæ.* Germanus.

Utroque ab littore] *Utroque* autem *ab littore*, id est, Oceani orientalis et occidentalis, ut sit de Ægypto et Cantabris. vel de India, et Britannia. *Philargyrius.*

34 *Stabunt et Parii lapides spirantia signa*] In templo Cæsaris majorum statuas ejus dicit se esse positurum, quas commendat et a pretioso marmore, et ab arte; dicens, *Spirantia signa.* sic alibi, *Vivos ducent de marmore vultus.* Item, *Pariusve lapis circundatur auro.* Servius.

Stabunt et Parii lapides] Paros, insula est Cyclas, in Ægæo mari; in qua mons est Marpessos, unde marmor exciditur candidum, ut ipse Virgil. in VI. *Marpesiam cautem* vocat. *Probus.*

Parii lapides] Sic Æn. I. 597. *Pariusve lapis.* De nobilitate marmoris Parii Plin. XXXVI. 5. et Horat. Od. I. 19. *Splendentis Pario marmore purius.* Imo ipsa insula *Paros nivea* a nostro appellatur Æn. III. 126. de lapide et ipsa insula Strabo l. X. Ἐν δὲ τῇ πάρῳ ἡ παρία λίθος λεγομένη, ἀρίστη πρὸς τὴν μαρμαρογλυφίαν. *Emmeness.*

Spirantia signa] Ita Æn. VI. 848. *Vivos ducent de marmore vultus.* Cerda.

35 *Assaraci proles, demissæque ab Jove gentis Nomina*] Ponam, inquit, eorum statuas, qui a Jove usque ad Assaracum, et ab Assaraco usque ad Augustum originem ducunt. Assaracus autem avus Anchisæ, pater Capis fuit. *Servius.*

Ab Jove] Ex Jove et Electra Atlantis filia nascitur Dardanus: ex quo Ericthonius, cujus Tros, cujus Assaracus, cujus Laomedon, et Capis. et Laomedontis Priamus, ejus Hector, et ceteri. At Capis, Anchises: cujus Æneas, cujus Iulus, a quo Iulia gens stemmate descendit ad Cæsarem. Alii sic: per Assaracum Trojanos dicit. Nam Assaracus avus Anchisæ. Ennius: *Assaraco natus Capis optimus, isque pium ex se Anchisen generat.* ergo Assaraci familia usque ad Augustum pervenit. *Philarg.*

Assaraci proles] Hujus meminit: nam ab hoc scidit se familia Anchisæ, unde natus Augustus, a familia Priami. Fuit enim Tros pater Ili, atque Assaraci. Ilus habuit Laomedontem, hic Priamum: contra Assaracus Capyn, hic Anchisem. Ut vero ab Assaraco signat Trojanos, ita Æn. I. *Assaraci domus.* Et Horat. Epod. XIII. *Assaraci tellus.* Non dubium, quin isti locuti cum blandimento Augusti. *Cerda.*

36 *Trosque parens*] Trojanorum rex, Ganymedis pater; a quo Troja nominata est. *Servius.*

Trojæ Cynthius auctor] Vel Apollinem dicit, propter muros Trojæ ab

eo conditos; vel Cynthium regem Trojæ, quem in Troicis suis Nero commemorat. *Servius.*

Cynthius] Apollo, a Cyntho Deli monte. et utrum, quia ex oraculo ejus condita est Troja; an quia muros ipse ædificavit, dictus Trojæ auctor? *Philarg.*

Trojæ Cynthius auctor] A muris Trojanis ab Apolline structis: vel quod constet Ilion ab Ilo Apollinis monitis conditum. unde Hom. θεοδμήτους πύργους τροίας vocat: et Il. Π. de Trojanis, μάλα τοὺς γε φιλεῖ ἑκάεργος ἀπόλλων· et Il. Φ. Neptunus ad Apollinem: Μοῦνοι νῶϊ θεῶν ὅτ' ἀγήνορι Λαομέδοντι Παρ' διὸς ἐλθόντες θητεύσαμεν εἰς ἐνιαυτὸν Μισθῷ ἐπὶ ῥητῷ, ὁδε σημαίνων ἐπέτελλεν. Et Græco Epigr. nunc τροίην θεόκτιτον, nunc θειοδόμον dictam invenias. Et Eurip. in Iphig. Ἴλιον ἐς τὸ τροίας φοιβήϊον δάπεδον· et in Andr. ὦ φοῖβ' ὦ πυργώσας τὸν ἐν Ἰλίῳ εὐτειχῆ πάγον· ut Cynthius non ad proprium nomen regis, sed ad deum ipsum referatur. *Germanus.*

Trojæ Cynthius auctor] Sic Hor. od. III. 3. *Ter si resurgat murus aëneus Auctore Phœbo.* Emmeness.

37 *Invidia infelix*] Quæ invidentes efficit infelices. Dicit autem se talia scripturum vel facturum, ut magnitudine sui mereantur invidiam; ipsam tamen invidiam nihil esse nocituram, timore pœnarum. *Servius.*

Invidia] Significatio horum versuum hæc est: Quisquis inviderit huic operi, debebit timere post excessum Furias, et vitæ supplicia, quæ pati existimantur defuncti. De *Invidiæ contagio* vide Turneb. IX. 28. *Taubm.*

Furias] Tres Poëtæ statuerunt, ut Apollod. bibl. l. I. quarum nomina ἀληκτὼ, τισιφόνη, μεγαίρα. Lactant. VI. 19. tres affectus nominat, qui homines in omnia facinora præcipites agunt; ut sunt *ira, cupiditas, libido.* Istæ furiæ exagitarunt impium Neronem, ut Suet. in ejus vita c. 34. De furiis, seu cruciatibus conscientiæ, multa insignia Juvenal. XIII. 50. et seqq. Aureo illo sæculo furiæ nullæ fuerunt, inde Poëta: *Nec rota, nec furiæ, nec saxum, nec vulturis atri pœna, &c.* Emmeness.

Amnemque severum] Tristem. Contra Terentius, *Tristis severitas inest in vultu, atque in verbis fides.* Servius.

38 *Tortosque Ixionis anguis*] Quibus religatus ad rotam est, postquam illicitos Junonis petivit amplexus. *Idem.*

Tortosque Ixionis anguis] In Romano codice *orbes* legitur, quod si admittas figura erit ἓν διὰ δύο, quia sequitur, *Inmanemque rotam.* In aliis *tortos anguis*, quod agnoscit Servius. *Pierius.*

Ixionis anguis] Ixion, ob tentatum in Junone stuprum, fulmine detrusus fuit ad inferos a Jove, ubi rotæ alligatus usquequaque circumvolvitur. Hanc fabulam Plutarchus in vitis Agidis, et Cleomenis scribit excogitatam contra ambitiosos. Vide Macrobium I. 10. in Somnio Scipionis, qui aliter affabulatur. *Cerutus.*

39 *Et non exsuperabile saxum*] Quod contra montem Sisyphus volvit. *Et non exsuperabile* dixit, non quod superari non potest, sed quod superari non valet summum montis cacumen. *Servius.*

Non exsuperabile saxum] In antiquis exemplaribus, *exsuperabile.* Juniores maluerunt in hujusmodi compositis verbis *s* literam *x* præjectam, excludere. *Pierius.*

Non exsuperabile saxum] Quod contra montem Sisyphus volvit, cacumen tamen exsuperare non valet. Ovid. Met. XIII. *Aut petis, aut urges rediturum, Sisyphe, saxum.* Pind. Pyth. II. Apollon. l. III. *Taubmann.*

Non exsuperabile saxum] Notum satis est, supplicium Sisypho impositum a Jove, ut saxum quoddam prægrande assidue supra montem apud inferos portaret. L. III. apud Lucretium exstant elegantissima carmina, quibus fabulam hanc convenire, ait, in eos, qui magistratus et honores a populo

expetunt summa animi contentione; inquit autem, *Hoc est adverso nixantem trudere monte Saxum, quod tamen a summo jam vertice rursum Volvitur, et plani raptim petit æquora campi.* Cerutus.

40 *Interea Dryadum silvas*] Donec laudandi Cæsaris tempus adveniat, interim Georgica scribo. *Intactos* autem ait *saltus*, quod ante ipsum nullus Latine carmen Georgicum scripsit. *Servius.*

Interea Dryadum silvas] Dryades creditæ sunt fuisse Nymphæ, quæ cum arboribus et nascerentur et interirent. Plura Natalis Comes v. 11. Dryades et Hamadryades, ait Gyrald. Syntag. v. Nymphæ silvestres, ἀπὸ τῆς δρυὸς nuncupatæ, quod generale nomen arborum est, et speciale quercus; unde et *Querquerelanæ* Nymphæ, ait Festus, præsidentes querceto virescenti. *Pontan.*

41 *Haud mollia jussa*] Pet. Victor. in Arist. Rhet. II. sic explicat: *Quæ negligi non possunt: nec lanea, aut languida haberi, sed acria debent.* Ait vero, Vatem hoc fecisse, ut mitigaret vim vocis, ne videlicet diceret, ardua, acria, aut quid simile. Sic Cic. de Orat. II. ut rem duram mitigaret, dixit: *Admonitio quasi lenior objurgatio.* Sic ab Arist. σεμνότης dicitur μαλακή: et βαρύτης, εὐσχήμων: *Granditas mollis, gravitas honesta.* Adjunge Nazianzenum, qui Orat. XXII. πρόσταγμα τὸ χρηστόν: *Jussum suave.* Cerda.

42 *Te sine nil altum mens inchoat*] Ac si diceret, Non meo ingenio, sed tuo fretus imperio, ad hoc carmen accessi. *Servius.*

43 *Vocat ingenti clamore Cithæron*] Hortantur nos ad scribendum illi montes, qui animalibus sunt referti. *Cithæron* autem pars est Parnassi. *Idem.*

Vocat ingenti clamore Cithæron] *Cithæron*, mons est Bœotiæ: ibi arcana Liberi patris sacra celebrantur tertio quoque anno, quæ Trieterica dicuntur. Existimatur autem Liber esse cum Musis: et ideo ex hedera, fronde ejus, corona Poëtis datur. Nunc ideo vocari se ejus sacris vult accipi, quod et de vitibus præceperit. *Probus.*

Cythæron] In Bœotia. Mela II. 3. *In Bœotia Thebæ, et Cythæron fabulis carminibusque celeberrimus.* Eadem Plin. IV. 7. Solin. c. 12. Alii. *Cerda.*

44 *Taygetique canes*] Id est, Lacones: nam Taygeta civitas est Laconiæ. Et hoc ideo, quia dicturus est, *Nec tibi cura canum fuerit postrema.* Servius.

Taygetique canes] *Taygetus* mons Laconiæ. *Philarg.*

Domitrixque Epidaurus equorum] Epiri civitas est equis nobilis. *Servius.*

Epidaurus] Civitas Peloponnesi, Asclepio sacrata. *Epidaurus* tamen a Ptolemæo in Peloponneso constituitur: et a Plinio IV. 5. in Achaia, ita ut plures urbes cognomines ei fuisse verisimile sit. *Philarg.*

Epidaurus] Hujus urbis equi in honore. Strab. l. VIII. Ἔστι δὲ καὶ γένος τῶν ἵππων κράτιστον τὸ ἀρκαδικὸν, καθάπερ καὶ τὸ ἀργολικὸν, καὶ τὸ ἐπιδαύριον. *Est optimum equorum genus Arcadicum, ut et Argolicum, atque Epidaurium.* Facit Servius hanc urbem Epiri; reprehenditur a Beroaldo, nam Plinius et Strabo in Peloponneso constituunt. Addo ego et Solinum, et Melam. Sed non idcirco errat Servius, nam est alia etiam Epidaurus in Epiro, aut Illyrio. Lucan. l. II. *Illyris Ionias urgens Epidaurus in undas.* Et de hac, ut apparet, capiendus vates: nam ipse: *Et patriam Epirum referat.* et: *Eliadum palmas Epirus equarum.* Cerda.

45 *Vox ingeminata remugit*] Duplicata per Echo. Alibi, *Non canimus surdis, respondent omnia silvæ.* Servius.

Et vox assensu] Alio flexu dixit. Æn. VIII. *Mugire boves, atque omne querelis Impleri nemus.* Cerda.

46 *Mox tamen*] Id est, postquam Georgica conscripsero. *Et ardenteis* legendum est: nam male quidam *ardentis Cæsaris* accipiunt: ut is communis sit syllaba. *Servius.*

Mox tamen] Ex hoc loco Papin. Theb. I. loquens cum suo Principe: *Tempus erit, cum laurigero tua fortius æstro Facta canam: nunc tendo chelin: satis arma referre Aonia.* Cerda.

Accingar] In magnis rebus suscipiendis utimur hoc verbo, juxta Donatum ad Ter. E. v. 8. 3. sic in Phorm. II. 2. 4. per tralationem pro *aggredi: Tuis hoc intristi, tibi omne est exedendum: accingere.* Eodem modo cum infinitivo occurrit apud nostrum: *Accingar lustrare diem.* Emmeness.

47 *Cæsaris*] Hic distingue, ut Æneadas significasse videatur, quia una Actiaca pugna Octaviani Cæsaris fuit. *Philarg.*

48 *Tithoni prima quot abest ab origine Cæsar*] Id est, tua facta tot annis celebrabuntur, quot anni sunt a te, usque ad mundi principium. Et modo *Tithonum* pro Sole posuit, id est, pro Titane. Nam Tithonus frater Laomedontis fuit, quem prœliantem Aurora dilexit, et rapuit; a quo usque ad Cæsarem non valde multum tempus est. *Servius.*

Tithoni prima quot abest] Servius hic *Tithonum* pro Titane Sole accipit: sed nescio an usquam apud Poëtas Græcos aut Latinos ea metonomasia reperiatur: cum et sententia hujus loci optime constatura sit, si referamus originem Tithoni Phrygis ad Dardanum, ipsum vel Jovem, κατ' ἐξοχὴν, in gratiam Iuliæ familiæ, per Æneam et Creusam a Jove, Dardano, et Tithono ex ordine oriundæ: cum et Tithonum quoque Propert. eo loco respexisse videatur: *Nec mea conveniunt duro præcordia versu Cæsaris in Phrygios condere nomen avos.* Eustathius certe Homeri interpres historica fide Tithonum fratrem Laomedontis fuisse memorat: allegorico autem commento τιθωνὸν solem dici, διὰ τὸ πανταχοῦ τῆς γῆς τιταίνειν τὰς ἀκτῖνας. *Germanus.*

49 *Seu quis, Olympiacæ*] Dicturus est de armentis et gregibus. *Armenta* autem sunt equorum et boum, quod hæc animalia apta sunt armis: ut, scutis, boum coria; equi, prœlio. *Greges* vero capellarum et ovium sunt. Ipse paulo post, *Hæc satis armentis, superat pars altera curæ, Lanigeros agitare greges hirtasque capellas.* Hæc tamen, id est, armenta et greges, sciendum, quod plerunque confundit auctoritas. *Servius.*

Olympiacæ miratus præmia palmæ] Studiosus curulis certaminis, quod geritur apud Pisas in honorem Jovis Olympici. *Idem.*

Seu quis, &c.] Hactenus Prooemium. Nunc rem affectat, dicturus de *Armentis* et *Gregibus*: et hic quidem de *Matrum delectu*, qua *Boum*, qua *Equorum.* Varro II. 5. et Plinius l. VIII. Colum. l. VI. Palladius in Martio, tit. 11. *Taubmann.*

Seu quis, Olympiacæ miratus præmia palmæ, Pascit equos] Pro eo Horat. od. I. 1. *quos curriculo pulverem olympicum Collegisse juvat.* qui præmiis excitati olympicis equos alunt, ut aliquando consequantur præmia, olympionicibus debita. *Equos alere* seu *pascere*, quod teste Turn. XXI. 18. ἱπποτροφεῖν, τεθριπποτροφεῖν, appellabant, solebant, qui palmam ferre meditabantur certamine curuli. Qui honor in Græcia omnium longe erat maximus, ut Corn. Nep. in præfat. cum triumpho Rom. imp. comparandus, imo major, quemadmodum Cic. pro Fl. c. 13. De privilegiis eximiis Olympionicum, Passchal. de coron. VI. 7. 8. de origine ludòrum Olympicorum Pausan. l. V. *palma* autem pro *victoria* tironibus notum. Juvenal. de equo loquitur VIII. 58. *Sic laudamus equum facili cui plurima palma Fervet.* Emmeness.

51 *Corpora præcipue matrum legat*]

Magis *matrum;* per quod ostenditur, etiam patrum corpora esse requirenda. *Servius.*

Torvæ Forma bovis] Paulo post; *et faciem tauro propior*, id est, tauro similis. *Idem.*

Torvæ] Terribilis. *Idem.*

Optima torvæ Forma bovis] De torvitate, quod præcipue frontis asperitas in hoc pecore appareat, Colum. VI. 20. inter notas taurorum: *torva facies.* Plin. VIII. 45. eadem nota: *torva fronte.* Claudian. de Rapt. *Vitulam non blandius ambit Torva parens.* De bobus Apennini Colum. VI. 1. *Nec ab aspectu decoros.* Et Plin. VIII. 45. *Non degeneres existimandi etiam minus laudato aspectu.* Ab hac vultus asperitate dixit Aristophan. in Ran. ταυρηδὸν βλέπειν. Et apud Pollucem est, ταυρηδὸν ὑποβλέπειν, *taurine intueri.* Ad hoc pertinet vocis Etymon. *Torvum* enim nihil est aliud, quam *taurinum.* Cerda.

52 *Turpe caput*] Magnum. ut, *Turpes pascit sub gurgite phocas.* Servius.

Turpe caput] *Turpe* autem *caput*, amplum, atque magnum, ac per hoc terribile. *Philarg.*

Turpe caput] De magnitudine Homer. Odys. III. qui bovem vocat εὐρυμέτωπον. Et Auctor Geopon. l. XVII. qui vaccas πλατυμετώπους. Uterque ab latitudine frontis. Varro inter notas suas R. Rust. II. 5. *Latis frontibus.* Colum. VI. 1. *Fronte lata.* Pallad. IV. 11. *Latæ frontis.* Observat vero Ursinus, ita Homerum dixisse, ἀναιδέα πέτραν: *turpem, impudentem petram*, pro, magna: sicuti Virgilium *turpe*, pro, magno. *Cerda.*

Turpis] Nihil etiam aliud apud Homerum Iliad. Δ. 521. λᾶας ἀναιδής. qua voce etiam Poëta utitur odyss. Λ. de Saxo Sisyphi. *Emmeness.*

Plurima cervix] Longa. ut, *Quum se nux plurima silvis, induet in florem.* Servius.

Cui turp. cap. cui plurima cervix] In hanc sententiam Columella VIII. 2. *Sint ergo matrices probi coloris, robusti corporis, quadratæ, pectorosæ, magnis capitibus.* Et rei rusticæ scriptores addunt latam frontem, tam bobus, tauris, quam vaccis: unde Hom. Od. Γ. Σοὶ δ' αὖ ἐγὼ ῥέξω βοῦν ἦνιν, εὐρυμέτωπον· quod etiam epitheton non prætermisit Hesiodus. Ut autem hic commendavit juga detrectantem, sic et Hom. mulam ἀδμήτην, ἥτ' ἀλγίστη δαμάσασθαι. Il. Ψ. *Germ.*

Plurima cervix] Plurima, id est, longa. Varro: *Cervicibus crassis, ac longis.* Auctor Geopon. αὐχένα μακρὸν, καὶ παχύν: *Cervicem longam, et crassam.* Apollon. Argon. I. de eodem, πλατὺν αὐχένα. et Liban. in Progym. αὐχένας πλατεῖς. Colum. *cervice longa, et torosa.* Idem de tauro: *Torosior cervix, et ita vasta, ut sit maxima portio corporis.* Servius de cervice: *longa.* Pallad. *torosa, vastaque cervice.* Cerda.

53 *Crurum tenus*] Usque ad crura. Et modo *tenus* adverbium est: nam si esset præpositio, ablativo cohæreret. *Servius.*

Crurum tenus] Hic autem *crurum tenus*, genitivo suo apposuit, alibi ablativó, ut, *pube tenus.* Modestus, *tenus* pro fine accipit. Sallustius: *Fine inguinum ingrediuntur mare.* Philarg.

Et crurum tenus] *Tenus* si præpositio sit Ablativo casu cohærere dicit Servius, esseque hic adverbium. Sed enim, *Tenus*, cum nomine, quod sit numero multitudinis, Genitivo sæpius junctum animadverti. Quintilianus, *Aurium tenus in usum lingua pereeperit.* Catullus *nutricum tenus extantes.* Ita enim is appellat *papillas*, quod inepte simul et inverecunde quidam legunt, *Jam Crurum tenus extantes.* Pierius.

Palearia] Sunt pelles dependentes e gutture. *Servius.*

Palearia] Unde et paleæ, quæ collum amplectuntur: et ea pars annuli, quæ gemmam cohibet, propter similitudinem palea dicitur. Cicero de

officiis III. *Cum paleam ejus annuli ad palmam converteret, a nullo videbatur.* Philarg.

Et crurum tenus a mento palearia pendent] De palearibus demissis crurum tenus. Varr. *A collo palearibus demissis.* Colum. *Palearibus amplis, et pene ad genua promissis.* Et c. 21. *Palearibus amplissimis.* Pallad. *Palearibus largis, et circa genua fluentibus.* Et *Palearibus maximis.* Ovid. Met. II. *Armis palearia pendent.* Eodem pertinet, Græcis palearia dici ἰσγόνατα, quod demissa usque ad genua. Papin. Theb. l. III. *Natant palearibus armi.* Cerda.

54 *Tum longo nullus lateri modus*] De magnitudine aut lateris, aut totius corporis. Auctor Geop. probat has bestias περιμήκεις, εὐμεγέθεις: *Longis magnisque corporibus.* Iterum, βαθυπλεύρους, πλατυνώτους: *Magnis lateribus, ac lato tergo.* Varr. *Oblongæ, amplæ.* Et *Corpore amplo, bene costatos, latis humeris.* Colum. *grandibus membris.* Et *Armis vastis.* Et *Lateribus porrectis, lumbis latis.* Et de tauris: *Membris amplissimis.* Palladius: *Grandibus membris, ac solidi corporis, magnis artubus, armis vastis, porrectis lateribus, latis lumbis.* Cicer. Nat. II. de bobus dixit: *Humerorum latitudines.* Demum Poëta ipse de hac fera: *Omnia magna.* Cerda.

55 *Et camuris hirtæ sub cornibus aures*] Id est, *curvis.* unde et *cameræ* appellantur. Præcipit autem aures, et magnas et hirsutas esse debere. *Servius.*

Camuris] *Camuri* boves sunt qui conversa introrsus cornua habent, quibus contrarii *patuli*, qui cornua diversa habent. *Levi*, quorum cornua terram spectant. his contrarii *Licini*, qui cornua sursum versum reflexa habent. *Philarg.*

56 *Nec mihi displiceat*] Liptotes figura est, id est, valde placeat. ut, *Munera nec sperno.* Servius.

Albo] Divise, pro albis maculis. An potius absolute *albo* dixit, perinde ac si diceret albitatem. ut est illud: *Sparsis etiam nunc pellibus albo.* Philarg.

57 *Detrectans*] In Romano codice, in Mediceo, et in aliis antiquissimis, uno tantum excepto, scriptum inveni *Detractans:* quod etiam in Oratorum exemplaribus antiquis observavi, præsertimque apud Livium:. et *Detractant* et *Detractare* sæpissime. *Pier.*

58 *Faciem tauro propior*] Imaginem, similitudinem totam. *Servius.*

Propior] In codice Longobardico, *Proprior* legitur. Sed vulgata lectio *propior*, a *prope*, castior est. *Pierius.*

Ardua tota] Vacca debet esse ardua. Nam Colum. *Vaccæ probantur altissimæ formæ, longæque.* Et Pallad. *Musculis ac toris ubique surgentibus.* Et de vaccis signate: *Forma altissima, corporis longi, uteri capacis, et magni.* Et de tauris: *Alti, atque ingentibus membris.* Cerda.

59 *Gradiens ima verrit vestigia cauda*] De prolixitate caudæ, Auctor Geop. οὐρὰν προμήκη, καὶ ψαύουσαν τῶν πτερνῶν: *Caudam prælongam et pertingentem calcanea.* Varro: *Caudam profusam usque ad calces.* In Varrone aliqui legunt *codam.* Colum. *Caudis longissimis.* Et de Vaccis: *caudis amplissimis.* Pallad. *Caudis maximis.* Plinius de cauda: *Crescit donec ad vestigia ima perveniat.* Tryphiodorus, citante Germano, in quem et nos incidimus, Συρέτω δὲ πρυμνοῖσιν ἐπ' ἴχνεσιν ἔκλυτος οὐρή: *Trahatur soluta cauda per extrema vestigia.* Cerda.

60 *Lucinam, justosque pati Hymenæos*] Hysteron proteron est: Ante enim est Hymenæus, post Lucina consequitur. Item Hysteron proteron est, *Desinit ante decem, post quatuor incipit annos.* Ante enim incipit, post desinit. *Servius.*

Lucinam] *Lucina* dicta Juno, eo quod lucem nascentibus præstare dicatur. Sic Terentius: *Juno Lucina fer opem, serva me obsecro.* Philarg.

Lucinam] Observa politissimas locutiones Lucinæ et Hymenæi, ad significandos coitus bestiarum: transfert enim ad has quæ sunt hominum. Nostro lusit Oppianus Græcus Poëta Cyn. l. III. loquens de fœmina onagrorum pariente: Ὀππότε θηλυτέρη γὰρ ἔχει τόκον εἰλειθυίης: *Cum adest jam fœminæ partus Lucinæ.* Et ibidem de ursa, βιάσσατο εἰλειθυίαν: *Violenter arcessit Lucinam.* Et Solin. c. 39. qui loquens de partu ursarum: *Lucinæ illis properatius tempus est.* Horatius de equa od. III. 11. *Nuptiarum expers.* Oppian. Cyn. I. loquens de equo, qui coivit cum matre, γάμον ἀνάρσιον: *Nuptias detestabiles.* Et de equo alio, γαμήλια χρεμέθοντα: *Nuptialia hinnientem.* Itaque de feris eleganter dices, *connubia, nuptias, maritalitatem, conjugia, lectum, viduitatem.* Est in Oppiano Cyn. l. III. de ursa, στυγέουσα λέκτρων χήρων: *Exosa viduum lectum.* Pallad. IV. 13. de equis: *Submittenda sunt pauca, vel numerosa conjugia.* Cerda.

Justos] Non negligo notam Erythræi, interpretantis *justos Hymenæos,* nuptias legitimas, nam videlicet secundum leges contrahuntur. Justinian. l. I. tit. de Nuptiis: *Justas nuptias inter se cives Romani contrahunt, qui secundum præcepta legum coëunt.* Ubi *justæ nuptiæ* sunt *legitimæ.* Advertitque, et firmat loco Pauli I. C. *justum filium* dici, quem *legitimum* appellamus. *Idem.*

Patri] Signatissima vox ad significandum pondus tauri, prementis in coitu tergum juvencæ. Non dissidet Horatianum *tolere* in od. II. 5. *Tauri ruentis in Venerem tolerare pondus.* Eodem verbo usus est Plin. VIII. 42. loquens de admissura equarum. *Idem.*

Hymenæos] De Hymenæo Deo nuptiarum, qui hic pro ipsis nuptiis sumitur, quid hic, quod non omnium in tanta luce doctrinæ? Tantum serva etymon, dicitur enim (ut multi volunt) ἀπὸ τοῦ ὑμένος. Est hæc pellicula, obtenta naturæ muliebri, quæ indicium præbet virginitatis, aut salvæ, aut amissæ. Hanc a Laberio apud Nonium dictam *Eugium*: a Prudentio Solino, Sanct. Augustino *Virginal,* in Oppianum Cyn. III. advertit Ritterahusius. *Idem.*

61 *Desinit ante decem*] In Longobardico, *Desinet* futuro tempore legitur. In Romano *decim,* suo quodam scribendi more, ut, *Aurea mala decim* quod, ut diximus, etiam apud Asprum est. *Pierius.*

Desinit, &c.] Sensit fere hoc idem Varro R. Rust. II. 5. *Non minores oportet inire bimas, ut trimæ pariant, eo melius si quadrimæ. Pleræque pariunt in decem annos, quædam etiam in plures.* Aliquid recedit Colum. VI. 24. *Ex his, qui quadrimis minores sunt, majoresque quam duodecim annorum, prohibentur admissura: illi, quoniam quasi puerili ætate seminandis armentis parum habentur idonei: hi, quia senio sunt effœti.* Arist. hist. VI. 21. inire quidem tauros Venerem, cum sunt anniculi, octavo etiam mense: sed non habere vim, nisi cum sunt διετεῖς, in bimatu. Horatius rem hanc attigit, ut Poëtam decebat, nam de Lyde ita scribit. od. III. 11. *Quæ, velut latis equa trima campis, Ludit exsultim, metuitque tangi Nuptiarum expers, et adhuc protervo Cruda marito.* Sequitur, ut credo, præceptum Virgilii, nam eo ipso quod neget, trimam aptam esse ad genituram, videtur ire in ætatem, quam Poëta assignat. Notanda verba Arist. Histor. V. 14. de bove, quæ annicula cum esset, peperit, βοῦς ἐνιαυσία ἔτεκεν. *Cerda.*

62 *Cetera*] Ætas scilicet, quæ est vel ante quartum, vel post decimum annum. Et bene ostendit per hæc tempora, posse quidem armentis, sed inutilem, provenire fœturam. *Serv.*

Fœturæ habilis] Ita infra: *habendo pecori.* Id est, generando. Et nihil tritius, quam *habere liberos.* Cerda.

63 *Superat gregibus dum læta ju-*

ventas] Dum suppetit. Et dicit juvenili ætate eas debere concumbere; quia cito deficiunt, et quia tempora meliora depereunt. *Servius.*

Læta juventas] In Mediceo et antiquis plerisque codicibus *juventas*, in non nullis *juventus*. Pierius.

Juventas] Juventas juxta Agrœtium de orthogr. *est unius hominis ætas.* Sic pro subole, gregem conservante. Dea etiam est pubertatis et juventutis, quæ *Hebe*, et hora appellatur: de hac multa Torrent. ad Horat. od. I. 3. *Emmeness.*

64 *Solve*] Vox optima ad signandum effrenatum cursum, quo bestiæ rapiuntur in Venerem. Oppian. Cyn. III. δρόμος εἰς ἀφροδίτην. *Cerda.*

Mitte in Venerem] *Mitte:* unde *emissarius* Plauto, et *admissarius equus* Plinio et Varroni, ὀχευτὴς, ὀχεῖον, ἐπιβατήριος, ἀναβάτης, κήλων. *Germanus.*

Pecuaria] Ab eo quod est *pecuare* venit: nam *pecua*, ut ait in Pompejana Cicero, ab eo quod est *pecu* venit: ut *genu*, *genua*. *Servius.*

Pecuaria] Non loca, sed ipsa pecora dixit. ut alibi idem usurpavit *æstiva*, pro pecoribus quæ in æstivis agunt. *Nec singula morbi Corpora corripiunt, sed tota æstiva repente.* Philarg.

65 *Suffice prolem*] Subministra. Unde etiam *suffectos consules* dicimus. *Servius.*

Suffice] Quod nunc *suffice*, statim *refice*. Colum. VII. 8. dixit: *substituere*. Ipse, et alii: *summittere*. Notavit Cujac. Observat. XI. 36. Idem Colum. VII. 6. *supplementum gregis*, dixit. Suetonius Vespas. c. 9. *supplevit*, etiamsi de re alia loquatur. *Cerda.*

66 *Miseris mortalibus ævi Prima fugit*] Ista sententia non solum ad animalia pertinet sed generaliter ad omnia. *Servius.*

Optima dies] Huc pertinet Nota Delrii ex Nonio, interpretante *bonam ætatem* pro juventute, nam Poëta de juventute loquitur, et hanc vocat *diem optimam*. Cicero in Catone: *Quod si ipsis voluptatibus bona ætas fruitur.* Seneca in Hipp. *Optimos vitæ dies Effluere prohibe.* Id est, juventutis dies. Inde etiam lucem dat Virgilio in Æn. IX. qui primam diei partem vocat *meliorem*, quasi puberem. Recte hoc, nam ut alibi observo, extrema dies cum senectute comparatur, et interire et mori dicitur. Quam isti *bonam ætatem*. Symmachus epist. XXII. 10. *vigentem* appellat, ita loquens cum Theodos. et Arcad. Augg. *Fecistis ut urbs cana luxuriet, in primam reducta lætitiam, et ver illud quondam vigentis ætatis.* Ut vero *bona ætas* de juventute, ita *mala ætas* de senectute, quod multis firmat Nonius. Sane Afranius in Vopisco: *mala ætas nulla delinimenta invenit.* id est, Senectus. Attius in Amphitr. *mala ætate*, id est, senectute. Pacuvius in Peribœa, *malam ætatem*, id est, senectutem. Quare autem juventus dicatur *ætas optima*, copiose docet Seneca epistola CVIII. *Cerda.*

Optima dies Prima fugit] Habere potest sententia hæc vicem proverbii, ut multæ aliæ. Ut videre est apud Hieron. Epistola ad Heliodorum, et ad Gaudentium. Horatius quoque dixit: *Multa ferunt anni venientes commoda secum: Multa recedentes adimunt.* Sed de hac sententia jam Erasm. ch. III. cent. 9. c. 43. Et nonnulla hic Germanus, et plura Seneca ep. CIX. et nos non pauca ad Ecl. II. Hic adjungo Nazianz. verba orat. XXXI. ad rem signatissima, τὰ διάδοχα τῶν κρότων πένθη, καὶ τοὺς ἐπὶ τοῖς θαλάμοις τάφους: *Luctus succedunt plausibus, et funera thalamos excipiunt.* Et inf. ait, humana omnia, esse χρόνου καὶ νόσου παίγνιον: *ludibrium temporis, et morbi.* Manil. l. IV. ita ad rem: *Nascentes morimur, finisque ab origine pendet.* Plutarch. quoque Symp. Quæst. IV. 1. loquens de animalibus, ait illorum vitam esse ἐπίκηρον καὶ νοσώδες: *Obnoxiam mille malis, mille morbis.* Idem.

non respectat alios. Et Columellæ VI. 29. *Cum vero natus est pullus, confestim licet indolem æstimare, si hilaris, si intrepidus; si neque conspectu, novæque rei auditu terretur; si ante gregem procurrit; si lascivia, et alacritate, interdum et cursu certans æquales exsuperat; si fossam sine cunctatione transilit, pontem, flumenque transcendit. Hæc erunt honesti animi documenta.* Quod de fossa attigit Columella, prior Xenophon, τάφρους διαπηδᾷν. *Cerda.*

78 *Ignoto ponti*] Per quem nunquam transierat. *Servius.*

Ponti] In Romano codice, in Longobardico, et quibusdam aliis uno consensu *ponti* legitur. Quid enim equis cum Mari? cum fluminibus vero et pontibus sæpe negotium. Quamvis in Calabriæ et Apuliæ locis equorum generositatem eo experimento probent, si ad mare impulsos, contra advenientes fluctus impavidos aspexerint, ideoque pullos innatationibus adsuefaciunt. Est autem *ponto* scriptum in codice Mediceo. *Pierius.*

79 *Nec vanos horret strepitus*] Quintilianus libro octavo ordinem esse dicit, *Nec vanos horret strepitus: Tum, si qua sonum procul arma dedere, Stare loco nescit.* Cætera vero, quæ totam ejusmodi equi faciem describunt, *Illi ardua cervix*, usque ad eum locum, *Color deterrimus albis, et Gilvo*, per interpositionem collocata. quare parenthesis utroque adlinenda loco est. *Idem.*

Nec vanos horret strepitus] Ideo inter præcepta domandorum equorum monet Xenophon domitorem, ut equum δι' ὄχλου διάγειν, καὶ παντοδαποῖς μὲν ὄψεσι, παντοδαποῖς δὲ ψόφοις πλησιάζειν: *per turbam circumferat, admoveat illum variis speciebus, variis strepitibus, et fragoribus.* At Varro ait: *[illegible]que, cum stent cum matribus, inter[illegible] tractandum; ne, cum sint disjuncti [illegible]reantur.* Cerda.

[illegible] *cervix*] Dicitur a Xenophonte [illegible] ille καλὸς, θαυμαστὸς, ἀγαθὸς, pulcer, admirandus, generosus, videlicet μετεωρίζων ἑαυτὸν σφόδρα: *altius sese erigens.* Supra etiam dixerat, equum arte discere αὐχένα ἐπαίρειν: *cervicem tollere.* Auctor etiam Geopon. probat equum ὑψαύχενα: *cervicis altæ.* Oppian. de suo equo, μετήορον ὑψικάρηνον ἀείρει. *Arduum et sublime caput erigat.* Iterum dat illi ὕψι κάρα: *altum caput.* Papin. de equo Domitiani: *At Sonipes habitus, animosque imitatus equestres Acrius attollit vultus.* Calab. l. VII. inter notas alias boni equi, κάρη δ' εἰς ὕψος ἀείρει: *caput in altum tollit.* Et l. XII. describens fabricam Trojani equi inter alias notas: καθύπερθε δὲ χαίτην αὐχένος ὑψηλοῖο καθήρμοσεν: *Superne autem jubam cervici erectæ concinnavit.* Homerus hoc elogio Iliad. X. et XXIII. ὑψαύχενας ἵππους. et XV. ὑψοῦ δὲ κάρη ἔχει: *Habet caput sublime.* Apoll. l. IV. μετήορος αὐχένα. Silius l. IV. *erectus in auras It sonipes.* Equi boni notas late persequitur Plato in Phædro, interque alias placet illi equus, qui sit τότε εἶδος ὀρθὸς, καὶ ὑψαύχην, *rectus, et cervice ardua.* Eandem notam dat Heliod. l. III. Hist. Æthiop. equo Theagenis. Calpurn. Ecl. VI. equum describens: *Sine pondere cervix.* et postea: *Excelsissima frons est.* Colum. *corpus sublime, erectum.* Isidor. XII. 1. *Erecta cervix.* Ovid. in Hal. *Nonne vides victor quanto sublimius altum Attollat caput, et vulgo se venditet auræ.* Nemesia. *Plurima se validos cervix resupinat in armos.* Ad idem possunt spectare ista ejusdem: *Ardua frons, auresque agiles, capitique decoro Altus honos.* Lucan. l. IV. de equo fatigato contrarium effert: *Fessa jacet cervix.* Et Valer. Arg. III. *Sonipes cervice remissa.* Et Platoni adducto loco improbatur equus βραχυτράχηλος. qua voce *demissum collum* Interpres accipit. Sed notandum, Poëtam extulisse rem per vocabulum *ardua* cum majore virtute. Ita enim sublimis esse debet cervix, ut sit etiam concinne inflexa. Ideo Op-

pian. γυρὰλέη δειρή: *Reflexum sit collum.* Et Pollux ex Xenophonte, τράχηλος εὐκαμπὴς, ὡς ἀλεκτρυόνων· ἀλλ' οὐχ ὥσπερ καπροῦ ὀρθός: *Collum concinne inflexum sit, ut gallis: non rectum, ut apro.* Possit quispiam suspicari Græcam phrasin, μέγα βαδίζοντες: *Sublime ingredientes*, qua notantur superbi homines, ductum ab hac equorum proprietate. *Cerda.*

80 *Argutum*] Breve. *Servius.*

Argutum caput] Varro: *Qualis futurus sit equus e pullo conjectari potest, si caput habet non magnum, &c.* Colum. *Exiguo capite.* Isid. et Pallad. *Exiguum caput.* Auctor Geop. τὴν κεφαλὴν ἔχει μικράν: *Habet parvum caput.* Pollux κεφαλὴ βραχεῖα: *Breve caput.* Oppian. βαιὸν κάρηνον: *Modicum caput.* Propter hanc exiguitatem Cassiodorus: *Caput cervinam reddit effigiem.* Cerda.

Argutum] Scio Pontanum veterem interpretem Servium nugatorem appellare, quod, *argutum, breve*, putet. Sed quo jure, ipse viderit. Cerdæ explanationem sine scrupulo probamus. *Argutum* etiam hoc in loco Non. Marcellus l. IV. *parvulum caput* exponit. Nec abit Venusini descriptio Sat. I. 2. 88. *emptorem inducat hiantem, Quod pulchræ clunes, breve quod caput, ardua cervix.* et hoc videre est in Columell. VI. 29. et passim in aliis. *Emmeness.*

Brevis alvus] Hæc nota celeberrima est. Xenophonti in primis equus laudatur, cui sit κενεὼν μικρότατος: *uterus brevissimus.* Nam magnus (inquit) equum vel deformat, vel debilitat, vel prægravat. Pollux γαστὴρ προεσταλμένος: *Contractus uterus.* Auctor Geopon. γαστέρα συμπεπιεσμένην, καὶ ταῖς λαγόσι συνεσταλμένην: *Ventrem compressum, et ad ilia contractum.* Varro: *Ventre modico, lumbis deorsum versum pressis.* Colum. *Ventre substricto.* Isid. *Venter substrictus.* Cerda.

Obesaque terga] Oppian. εὐρέα νῶτα: *Lata terga.* Xenophon laudat equum, cui sit ὀσφὺς πλατυτέρα: *lumbus latior.* Et postea, τά γε μὴν ἰσχία πλατέα εἶναι μὲν χρὴ, καὶ εὔσαρκα: *Oportet coxas esse latas, et carnosas.* Idem.

81 *Luxuriatque toris animosum pectus*] Nodosum et eminens pulpis. *Serv.*

Luxuriat] Græci hoc σφριγᾷ, ἀκμάζει, εὐσωματεῖ. Per luxuriam, et torositatem indicat magnitudinem pectoris: et addit animum. nam eo major equi vis, quo hic pectorosior. De notis pectoris Xenophon, καὶ μὴν στέρνα πλατύτερα ὄντα καὶ πρὸς κάλλος, καὶ πρὸς ἰσχύν: *Latius pectus idoneum est, et ad formam, et ad robur.* Apud Geopon. στῆθος εὐρύ: *Latum pectus.* Oppian. πολὺ πέλοι στέρνον: *Plurimum sit pectus.* Varr. *Pectus latum, et plenum.* Columel. *Lato et musculorum toris numeroso pectore.* Pallad. et Isidor. *Pectus late patens.* Cassiodor. *Quorum* (equorum) *pectora, vel crura sphæris carneis decenter ornantur.* Cerda.

82 *Spadices*] Quos phœniciatos vocant, pressos, myrteos. *Servius.*

Spadices] A colore termitum palmæ, quos Græci βαΐα vocant: unde et Gallicam vocem *bay* manasse docti quoque credunt: quin et inde *bajos, badios*, et *balios* equos Latinis dici. Spadicis vocabulum ἀπὸ τῆς σπάθης ductum: cujus sæpe mentionem facit Dioscor. et Theophr. hist. II. de plant. ὅταν ἀνθῇ τὸ ἄῤῥεν ἀποτεμόντες τὴν σπάθην ἀφ' ἧς τὸ ἄνθος. Item, ἐκ φοινίκης σπάθης τόξα πεποιημένα, de palma. Spadicem autem in equorum coloribus commendat quoque Hom. Il. Ψ. φράσσατο δ' ἵππον ἀριπρεπέα προὔχοντα, Ὃς τὸ μὲν ἄλλο τόσον φοῖνιξ ἦν, ἐν δὲ μετώπῳ Λευκὸν σῆμ' ἐτέτυκτο περίτροχον ἠΰτε μήνη. Etymon autem hujus vocis *spadix* Plutarchus Symp. διατί τῶν ἱερῶν ἀγώνων, &c. deducit παρὰ τὸ σπᾶν, his verbis: καί τοι δοκῶ μοι μνημονεύειν ἐν τοῖς ἀττικοῖς ἀνεγνωκὼς ἔναγχος, ὅτι πρῶτος ἐν δήλῳ θησεὺς ἀγῶνα ποιῶν ἀνέσπασε κλάδον τοῦ ἱεροῦ φοίνικος, ᾗ καὶ σπάδιξ ὠνομάσθη. *Germanus.*

Spadices] Σπάδιξ, λευκόπυῤῥον, (ita et Probus) *καρύκινον* Xenoph. ubi fallitur Brodæus, *viridem* exponens *nucum instar*, Kastenbraun. Servio etiam *Phœniciati* sunt et *badii*, sive (ut alii) *balii*. Vide omnino Glossemata Barbari in Plin. in *Balius* et *Spadix*. et Gell. II. 26. et III. 9. *Camerario* fusci illi et fulvi, et in quibus rubentes maculæ albo inspersæ sunt, ut purpurei appareant, *Spadices* habentur. talesque Homero etiam laudati, Il. Ψ. Turneb. XIII. 4. e Gratio P. qui Maroni fere æqualis, docet Poëtam his coloribus equos describere ad speciem et pompam potius sacraque curricula, quam fortes, atque ad bellicum opus, aut venatorium munus. Vide ibid. *Taubmann.*

Glauci] Sunt felineis oculis, id est, quodam splendore perfusis. *Servius.*

Glaucique] *Glaucus* autem cæruleus est color, id est, subviridis albo mixtus, et quasi clarus. Nam ille sine dubio displicet, qui ex albo et gilvo constat, ut sit unum albo et gilvo. Alioqui repugnant illi, *Qui candore nives anteirent, cursibus auras*: et, *bigis it Turnus in albis.* Philarg.

Glauci] *Glaucus color*, cæruleus est, sive cæsius, albo viridique temperatus. Schimmel oder Himmelblaw. Servius equos *felineis oculis* exponit. *Taubmann.*

Honesti Spadices, glaucique] Non quilibet equus hujus coloris probandus, sed videtur Maro, ut Turn. XIII. 4. hæc dixisse ex locorum seminio, in quibus illius coloris præstantissimi equi nascebantur, ut Mycenis et Pellæ. *Ammeneus.*

Color deterrimus albis, Et gilvo] Atqui albis ait, *Qui candore nives anteirent.* Sed aliud est candidum esse, id est, quasi ... nitenti luce perfusum; aliud al... quod pallori constat esse vicinum. *Servius.*

Color ... imus albis] Non improbat candidos, et nitentes, ac luce perfusos. Nam de equis Rhesi magno elogio Hom. Il. K. λευκότεροι χιόνος: *candidiores nive.* Claud. de VI. Cons. Hon. *Electi candoris equos.* Et de equis Martis, Stil. II. *candentibus urbem Ingreditur trabeatus equis.* Et Ovidius de Pont. II. 8. optat Germanico equos niveos: *Hic tibi maturæ fraterni funeris ultor Purpureus niveis filius instet equis.* Loquitur dum Aug. et Art. I. *Ergo erit illa dies, qua tu pulcerrime rerum Quatuor in niveis aureus ibis equis.* Sed eos improbat, qui mere albi, ac pallori vicini. Aperte discriminat Isidor. loquens de colorib. equorum XII. 1. *candidus autem, et albus invicem sibi differunt. Nam albus cum quodam pallore est; candidus vero, niveus, et pura luce perfusus.* Itaque bos pallidos Poëta improbat. Adducit Germanus Ætium consentientem cum Marone, τὰ δὲ λευκὰ ἀσθενέστερα: *Alba languidiora, imbecilliora.* Cerda.

83 *Gilvo*] Melinus est color. Multi autem ita legunt, *Albis et gilvo*: ut non album et gilvum, sed albogilvum vituperet, quod falsum est. quod si singuli colores vituperandi sunt, quanto magis mixtus uterque? id est, albogilvus. *Servius.*

Gilvo] Terentius Varr. in ὄνος πρὸς λύραν. *Equi colore dispares—hic badius, iste gilvus, ille murinus.* Thylesius intelligit *rubum*, aut *helvum*. Eadem forma Alciatus. nam ait *gilvum* esse colorem quadantenus vergentem in rubrum, quod vulgo *Chrysæum* vocant, a pallore auri, priusquam excoquatur: Isidor. XII. 1. ita explicat loquens de coloribus equorum: *Gilvus autem melinus color est subalbidus.* Cerda.

Tum, si qua sonum] Putant aliqui, in his etiam Quintil. VIII. 2. et Jul. Scaliger Poetic. V. 9. hanc sententiam annectendam cum superioribus de strepitu, et quæ interjacent discriminanda parenthesi. Ut mala. Ego de nota ferocientis equi, et impatienter stantis. Auctor Geop. ἀγαθοῦ δὲ ἵππου

καὶ τοῦτο τεκμήριον ὅταν ἑστηκὼς μὴ ἀνέχηται, ἀλλὰ κροτῶν τὴν γῆν, ὥσπερ τρέχειν ἐπιθυμεῖ: *Boni equi argumentum est, cum stans, impatienter fert quietem, et terram pedibus pulsans cursum meditatur*. Calab. l. IV. inter signa alia, πόδας ὑπαίνοντ: *Pedes mutabant*. Et l. VII. οὐδ' ἵσταντο ἐελδόμενοι πόδες αὔτως: *Neque stant pedes eodem loco, cupidi abeundi*. Nemesian. inter notas boni equi: *Nec pes officium standi tenet*. Pet. Apollon. l. II. Excid. de equis loquens: *stare loco vesania nescit*. Sed graphice profecto Prudent. in Psychomachia: *Nec minus instabili sonipes feritate superbit, Impatiens madidis frenarier ora lupatis. Huc illuc frendens obvertit terga, negata Libertate fugæ, pressisque tumescit habenis*. Non hinc abit Oppian. μάχαισιν ἀρήιος ἔκλυεν ἵππος ἦχον ἐγερσίμοθον δολιχῶν πολεμήιον αὐλῶν. *In pugnis audit equus Martius sonum classicum, atque hostilem longarum tubarum*. Idem.

84 *Stare loco nescit*] Græci σφαδάζειν proprie de equis, qui præ lassitudine consistere nequeunt, quod Lucretio et Festo *talipedare*: sed et de equis dicitur gestientibus in cursum, et stare loco nescientibus, ut Plutarch. in Cæsare: μάλιστα δὲ ἐσφάδαζον οἱ ἱππεῖς ἐπὶ τὴν μάχην ἠσκημένοι. quod equitibus, ut equis, tribuit: et Sophocl. σφαδάζει ὡς πῶλος εὐφορβίᾳ. *Germanus*.

Micat auribus] Generosum equum arguunt arrectæ aures. Plin. VIII. 16. *Index animi equorum aures*. et XI. 37. *aures in equis indicia animi præferunt*. Solinus c. 27. *animos leonum frons et cauda indicant, sicut motus equini de auribus intelliguntur*. ad quem locum de micantibus auribus Salmas. p. 326. sic Ælian. de animal. VI. 10. τὰ ὦτα ὤρθωσεν. Sophocl. in Electr. ἵππος εὐγενὴς ὀρθὸν οὖς ἵστησιν. Colum. l. VI. 29. inter alias notas, supra memoratas, commendat equum *arrectis auribus*. et in generosi equi descriptione Lucanus IV. 750. *Quippe ubi non sonipes motus clangore tubarum Saxa quatit pulsu, rigidos vexantia frenos Ora terens, spargitque jubas, et surrigit aures*. Sil. Ital. l. X. *Agnovit sonipes, arrectisque auribus acrem Hinnitum effundens*. Inficiari tamen nemo potest, quod liquidum ex Herod. l. IV. ὀρθὰ τὰ ὦτα esse in timore et trepidatione. *Emm.*

Tremit artus] Figurate. pro *artubus tremit*. Servius.

Tremit artus] Isid. *Sit animo audax, pedibus alacer, trementibus membris, quod est fortitudinis indicium*. Et postea ait, virtutem equi indicari *in membris trementibus*. Ad hanc rem pertinent, quæ dixi ad illud: *Tum, si qua sonum, &c.* Cerda.

85 *Volvit sub naribus ignem*] Flatu indicat magnanimitatem suam. *Serv.*

Collectumque premens] In Mediceo codice, correctum est *fremens*: sed enim prius recte *premens* scriptum erat, ut in aliis emendatioribus habetur. *Pierius*.

Collectumque premens volvit sub naribus ignem] Nihil certius ad ferocem et militarem equum cognoscendum, cujus nares patulæ esse debeant et apertæ, non angustæ, ex quibus videatur ignes, ardentes certe anhelitus, eructare ac devolvere. Xenophon: καὶ μυκτῆρές γε οἱ ἀναπεπταμένοι τῶν συμπεπτωκότων, εὐπνοώτεροί τε ἅμα εἰσὶ καὶ γοργότερον τὸν ἵππον ἀποδεικνύουσι. καὶ γὰρ ὅταν ὀργίζηται ἵππος ἵππῳ, ἢ ἐν ἱππασίᾳ θυμῶται, εὐρύνει μᾶλλον τοὺς μυκτῆρας: *Nares patulæ multo, quam conniventes, et apertiores meatus habent animæ, et faciunt videri equum terribiliorem. Nam et irascens equus equo, et inter agitandum ferociens, nares vehementius deducit*. Opp. εὐρεῖαι ῥῖνες: Colum. *Naribus apertis*. Pallad. et Isid. *Nares patulæ*. Varr. *Naribus non angustis*. Æl. Hist. Anim. l. VI. *Naribus inflatis celerem festinationem anhelat*. De igne, qui naribus emittitur Claudian. de Nupt. Honor. *Notos hinnitu flagitat amnes Naribus accensis*. Et de IV. cons. Hon. *Utque tuis pri-*

[illegible]

... Ad dextram cervicis [illegible] ... In dexteriorem partem cervicis. Columell. Per [illegible] partem profusa. Ex hac equo-

[illegible]

... grandior sonabat, legendum est. ut ostendat eum neque quidem artis suae peritia potuisse adeo ditari, ut patricios jam omnes opibus provocaret: et pondus habet, juveni mihi; cui vel lanugo vel mollior barba, sine stridore abradi potuisset: si, quam

profitebatur artem, Tonsor calluisset. *Pierius.*

Solido graviter sonat ungula cornu] Oppian. ὁπλὴ πυκινὴ, κερόεσσα, κραταιή: *Ungula densa, cornea, firma.* Xenophon de equis ὄνυχες παχεῖς: *Spissi ungues.* Auctor Geopon. ὄνυχα στερεόν: *Unguem solidum.* Varr. *Ungulis duris.* Colum. *Duris ungulis, et altis, et concavis.* Isid. *Pes siccus, et cornu concavo solidatus.* Ante illum Pallad. *Pes siccus, et solidus, et cornu concavo.* Isid. iterum: *Ungularum soliditate fixa rotunditas.* Quod etiam sumsit a Pallad. qui: *Ungularum solida, et fixa rotunditas.* Cerda.

Et solido graviter sonat ungula cornu] Willichium refellit Robert. Tit. l. III. controvers. *solido cornu* epitheton esse congruum. oppositum μώνυχι τὸ σχιστόν. Varr. II. 7. *ungulas indivisas.* Homer. Iliad. E. 329. κρατερώνυχας ἵππους nominat a sonitu; *Sonipedes.* Emmeness.

89 *Amyclæi domitus Pollucis habenis Cyllarus*] Atqui Castor equorum domitor fuit: sed fratrem pro fratre posuit poëtica licentia. ut, *Quas illi Philomela dapes,* pro Progne. Item, *Revocato a sanguine Teucri,* pro Dardani. Aut certe ideo Pollucem pro Castore posuit, quia ambo licenter, et Polluces et Castores vocantur. nam et ludi, et templum, et stellæ Castorum vocantur. *Servius.*

Amyclæi] *Amycle,* civitas Laconiæ. Xanthum autem dicit et Cyllarum equos, quos Neptunus Junoni dedit. illa Castori et Polluci, ut Poëtæ Græculi fabulantur. *Philarg.*

Amyclæi domitus Pollucis habenis Cyllarus] Amyclæ fuit urbs Laconiæ, Tyndari regia, ubi educati Castor et Pollux. Vide alia et in Lilio Syntagmate V. Cyllarus equus fuit Castoris et Pollucis. Pergo ad id, quod difficile. Putat Servius, et cum illo alii, hic Pollucem positum pro Castore. Nam Castor (inquiunt) domitor fuit equorum; non Pollux, qui tantum pugil. Hunc errorem, qui certe gravis, jam oppugnavit Turn. Papinii versibus Silv. l. I. *Et pavet aspiciens Ledæus ab æde propinquâ Cyllarus: hic domini nunquam mutabit habenas Perpetuis frænis, atque uni serviet astro.* Dicit equum Domitiani uni serviturum astro, non duobus, ut Cyllarum. Indicat ergo Cyllarum utrique fratri serviisse. Ista Turnebus. Sed ego aliunde. Apud Pind. Olym. III. Tyndaridis mandatur, ut operam probe impendant in Olympico certamine regendo: et mox illos εὐίππους, Poëta appellat: *insignes equis.* Secundo, Alcman apud Scholiasten Pindari ita scribit: καστώρ τε, καὶ πολυδεύκης κυδνὸς, πώλων ταχέων δμητῆρες, ἱππόται σοφοί: *Castor, et Pollux inclytus, velocium equorum domitores, equites sapientes.* Tertio, Dionys. Antiq. l. VI. utrunque Deum nullo discrimine Castorem, et Pollucem inducit, equitantes in bello Latino ante Dictatorem Posthumium, et obvios quosque Latinorum prosternentes, vertentesque in fugam. Quarto, Minutius ita loquitur de utroque fratre: *Testes equestrium fratrum in lacu, sicut se ostenderant, statuæ consecratæ, qui anheli spumantibus equis, atque fumantib. de Perse victoriam, eadem die, qua fecerant, nuntiaverunt.* Quinto, Suidas in voce Cyllaros scribit, cecinisse Stesichorum, τὸν Ἑρμῆν δεδωκέναι τοῖς Διοσκούροις φλόγεον καὶ ἅρπαγον ὠκέας, τέκνον ποδάργας καὶ κύλλαρον. *Mercurium dedisse dono Castori et Polluci Phlogeum, et Harpagum veloces equos, et Cyllarum filium Podargæ.* Quæ verba notanda in eos, qui semper faciunt Cyllarum equum Castoris, Polluce prætermisso. Hi sunt Claudian. de IV. Consul. Honor. Martial. VIII. 21. Seneca in Hippolyto. *Cerda.*

90 *Graji*] In pluribus codicibus antiquis unico *i*, *Grai* scriptum invenias, ex eorum sententia, qui *i* inter duas vocales per se plenam, et satis sonoram esse judicabant, ideoque

Grajus unico *i* scriptum *Grai* in casibus aliis per synæresim facere debere quum tamen alii, cujus sententiæ Ciceronem fuisse tradit Velius Longus, similia per geminatum *ii* pronuntiarent, ut *Maija*, *Graijus* unde *Graji*. Sed et ipsa declinationis proportio expetit, ut *us* ultimæ syllabæ finales litteræ in genitivo secundæ abeant in *i*. Eandemque vocem esse etiam nominativi pluralis consentiunt omnes, quare *Graji* duplicato *i* scribendum fuerit: quum nulla regula *i* priorem consonantis loco positam elidi præceperit. Subsecuta vero ætas quum non intelligeret ex duobus *ii* priorem loco consonantis positam, sed pro vocali acciperet, synæresim fecit, atque hinc *Grai* per unum *i*. Pierius.

Graji meminere Poëtæ] Meminit noster Hesiodi, Musei, &c. sed Homeri laudes silentio præteriisse videtur, a quo tamen non pauca mutuatus est, adeo ut *Homerus Mantuanus* appellatus sit, quemadmodum Ursinus sæpe animadvertit. depinxit Homerum ἐμοῦντα *vomentem*, aliosque Poëtas ἐμημεσμένα, *quæ vomitu ejecta erant*, ἀρυομένους Ælianus xii. 22. *Emmen.*

91 *Martis equi*] Δεῖμος καὶ φόβος. *Servius.*

Martis equi bijuges] Capiunt Servius, et alii δεῖμον καὶ φόβον, *Timorem et Pavorem*, qui finguntur equi Martis. Idem sentiunt et hic Ursinus ex Homero, et Lilius ex Calab. Syntag. 10. Sed vide diligentem certe operam Germani contra Servium, et adjunge ex me Artemidorum Oniroc. ii. 35. qui ait, καὶ φόβος καὶ δεῖμος, οὓς ἔνιοι ἄρεος υἱεῖς λέγουσιν: *Pavor, et Timor, quos aliqui vocant Martis filios.* Quod repetit c. 44. Sed et Nonnus Dionys. ii. eosdem facit Jovis ὀπάονας *ministros*. et adjicit, hos fuisse comi[illegible].Jovis in defendendo cœlo, *Pavo*[illegible] armatum fulgure, *Timorem* ful[illegible] *Cerda.*

[illegible] *equi bijuges*] Frequenter in secunda declinatione noster utitur. Æn. x. 575. *Interea bijugis infert se Leucagus albis.* et vs. 587. *admonuit bijuges.* vs. 595. *arripuit bijuges.* Quod etiam observavit Sceffer. de re veh. ii. 11. ubi bijuges cum suis curriculis in nummis ex Hub. Goltzio expressos exhibet. *Emmeness.*

Et magni currus Achilli] Pro equis: hi sunt Baliarchus et Xanthus. *Servius.*

Achilli] Sic *immitis Achilli*. Eo modo genitivum veteres terminarunt. Vide Priscian. l. vi. p. 706. *Emmen.*

92 *Effundit*] In Romano et quibusdam aliis, *effundit* præsenti tempore legitur. In aliquot aliis *fudit*. Sed *effudit* legendum de præterito, ipse narrationis ordo expescere videtur, subsequitur enim, *Et implevit*. Quod vero sequitur, *Conjugis adventu*, quod in antiquis aliquot codicibus per *t* notatum est, *atventu*, Victorinus ait, desiisse nos per *t* scribere. *Pierius.*

93 *Conjugis adventu pernix Saturnus*] Dum cum amata Philyra Saturnus coiret, Ops ejus uxor advenit: cujus præsentiam veritus, se in equum convertit, qualem potuit numen imitari. exinde natus est Chiron, dimidia parte homo, dimidia equus. Sane *Ops*, cum de uxore Saturni dicimus, *O* corripitur, ut *Ops Opis*. cum vero de Nympha dicimus *Opis*, longa est *o*. ut, *Opis ad æthereum pennis aufertur Olympum*. Servius.

Pernix] Ad equum refertur: nam Saturni stella tardissima est. *Idem.*

Pernix] *Pernix* ad equum refertur. Nam tardissimus est Saturnus. *Phil.*

Saturnus] *Saturnus* cum Philyram Oceani filiam in Thessalia adamasset, et cum ea coiret, adventante uxore, se in equum, illam in equam convertit: atque ita uterque opprobrium effugerunt. Hinc natus est Chiron centaurus. Quidam Philyram in florem conversam esse dicunt, vel in arborem, unde *liber philyrinus*, quo coronæ illigantur. *Idem.*

94 *Pelion*] Montem Thessaliæ, in quo Chiron habitavit. *Servius.*

95 *Hunc quoque*] Licet bonum et tot signis probatum. *Idem.*

Morbo gravis, aut jam segnior] Duo sunt quibus minuuntur corporis vires: senectus, et morbus. unde mire utrumque complexus est. *Idem.*

Segnior annis] In Rom. cod. *segnior ætas* legitur. Sed nitidior est elocutio, *Ubi deficit aut morbo gravis, aut annis segnior*. Pierius.

96 *Abde domo*] In domo. nam si adverbialiter vellet loqui, *domi* diceret. Tale est illud in quarto Æn. *Non Libyæ non ante Tyro.* Servius.

Abde domo] *Abdere se in bibliothecam, in intimam Macedoniam, in silvam*, cum casu quarto frequenter. Rarius cum casu sexto. Cum nostro tamen loquitur Livius: *se in suis quisque tectis abdiderunt.* Vide Hadrian. Card. de serm. Lat. *Emmeness.*

Nec turpi ignosce senectæ] Cicero in Catone majore, et laudat et vituperat senectutem: unde dupliciter hunc locum intelligimus: aut, *Nec ignosce turpi senectæ:* aut, *Non turpi senectæ ignosce.* id est, abde et ignosce senectæ, quæ turpis non est, quia per naturam venit. *Servius.*

Nec turpi ignosce senectæ] Qua auctoritate Canterus nov. lect. VI. 8. *et* pro *nec* inferciat, non video. Servii interpretatio eximit scrupulum, ut contra codicum fidem novam lectionem fingi, non necessarium videatur. Oppugnat ejus sententiam Rob. Tit. controvers. VI. 12. in bene meritas bestias, quas vires, propter annos ingravantes destituunt, non animus, mitiores nos geramus, monet fabella venusta Phædri V. 11. *Emmeness.*

Turpi senectæ] Ita Pindar. Olymp. I. ἀνώνυμον γῆρας: *Senium ignobile.* Et Horat. od. I. 31. *Nec turpem senectam Degere.* Silius ad lucem nostri l. XV. *turpi finem donale senectæ.* Male in vulgatis, *turpis.* Cerda.

97 *Frigidus in Venerem senior*] Locutio pudentissima. Ita illa: *friget Venus.* Ita et sequens: *trahit frustra ingratum laborem.* Alius lasciviret, et offenderet aures. Non sic Vates parthenicus. Obiter attingit tempus, quo equi inepti jam ad admissuram. Lege Aristot. Hist. V. 14. Columel. VI. 28. Varron. Rust. II. 7. Juvant verba Platonis Polit. V. etiamsi de hominibus loquatur. ἔφαμεν γὰρ δὴ ἐξ ἀκμαζόντων δεῖν τὰ ἔκγονα γίγνεσθαι: *Diximus plane ab his, qui in flore sunt ætatis, oportere filios procreari.* Idem.

98 *Si quando*] Bene, *si quando*, quia senex raro. *Philarg.*

Ad prælia ventum est] Alibi, *Nocturnaque bella.* Servius.

Prælia] Pro coitu dixit. *Philarg.*

99 *In stipulis*] In Romano codice legitur, *in stipula*, unitatis num. intellectionis figura. In aliis plurale est. *Pierius.*

Ut quondam in stipulis magnus sine viribus ignis] Hac comparatione usi sunt plures. Ovid. Trist. V. 8. et Sil. Ital. l. V. *Stipula crepitabat inani Ignis iners, cassumque dabat sine robore flammam.* Emmeness.

100 *Incassum furit*] Inane equorum studium ita exprimit Pap. Th. VI. *nec jam integer, illis Impetus, et longi suspendunt ilia flatus.* Cerda.

Animos ævumque notabis] Præcipue ante omnia ætatem et magnanimitatem requires. Post cætera; id est, parentes et studium. *Servius.*

101 *Hinc alias artes*] *Artes* hic virtutes. et *prolem parentum* nove posuit. est enim proprie liberorum. ut, *Geminam partu dabit Ilia prolem.* Philarg.

Hinc alias artes] Non tantum *ars* pro *virtute*, cum sermo est de brutis, sed etiam de hominibus. Ter. A. I. 1. 4. *Quod tibi mea ars efficere hoc possit amplius.* Ad. II. 3. 6. *fratrem primarum artium principem.* Plaut. in Trinummo. I. 2. 24. *nam si in te ægrotant artes antiquæ tuæ.* ad hunc locum

vide Muretum. sic Horat. od. III. 8. *Hac arte Pollux, &c.* in eadem notione τέχνη Græce et ἐπιτήδευμα. *Emmen.*

102 *Et quis cuique dolor victo: quæ gloria palmæ*] Vult probare, moveri equos vel amissione, vel acquisitione victoriæ. nam eo tendit sequens iste decursus. Unde est paulo post, *Tantus amor laudum, tantæ est victoria curæ.* Lucanus: *Quantum clamore juvatur Eleus sonipes.* Servius.

Et quis cuique dolor victo, &c.] Isid. Etym. l. XII. *Dolent, cum victi fuerint; exsultant, cum vicerint.* Loquitur de equis. Lactant. III. 8. *Quid cupiditas gloriæ? nonne in equis deprehenditur, cum victores exsultant, victi dolent?* Huc pertinet locus Papin. Sylv. v. *Cerda.*

103 *Nonne vides*] Initium hoc Lucretii est, Manilii, aliorum. Aratus quoque οὐχ ὁράᾳς. Videtur libasse sententiam integram ex istis Lucretii l. II. *Nonne vides etiam patefactis tempore puncto Carceribus, non posse tamen prorumpere equorum Vim cupidam tam de subito, quam mens avet ipsa?* Idem.

Cum præcipiti certamine campum Corripuere, ruuntque] In veteribus aliquot exemplaribus, *præcipiti conamine* legitur, quæ mihi paraphrasis videtur, et uti Veteres scribere consuerunt. In iisdem antiquis notatum est *conripuere ruontque.* Pierius.

Præcipiti certamine] Ita Pind. Olymp. III. Ζαθέοις ἐπὶ κρημνοῖς Ἀλφεοῦ: *Divinis in præcipitiis Alphei.* Ceterum totus hic locus ductus est filo Homerico Iliad. XXIII. *Cerda.*

104 *Effusi carcere currus*] Usurpative pro *carceribus;* qui ab *arcendo* dicti sunt. Nam carcer est custodia noxiorum. *Servius.*

Ruuntque effusi carcere currus] Eadem verba habes Æn. v. Demosthenes in Amatorio ita extulit, τῶν ζευγῶν ἀφεθέντων. *Cerda.*

105 *Spes arrectæ*] Est hoc, quod in Æn. v. *Laudumque arrecta cupido.* Idem.

Juvenum] Aurigarum, vel spectantium. *Servius.*

Haurit] Ferit; ut, *Latus haurit apertum.* Idem.

Exsultantiaque haurit] Repetit in Æn. v. Homer. dicto loco: πάτασσε δὲ θυμὸς ἑκάστου νίκης ἱεμένων: *Palpitabat autem animus uniuscujusque victoriæ cupidorum.* Vide discrimen. Idem Il. XIII. Ἐν δέ τέ οἱ κραδίη μεγάλα στέρνοισι πατάσσει: *Illi cor valde in pectoribus pulsat.* Et l. VII. Ἕκτορί τ' αὐτῷ θυμὸς ἐνὶ στήθεσσι πάτασσεν: *Ipsique Hectori animus in pectoribus palpitabat.* Apollon. Arg. III. στηθέων ἄλγη κέαρ. Sil. l. I. *Pulsantesque æstu laudum exsultantia corda.* Ceterum ad rem Poëtæ pertinent verba ista Aristotel. de Partib. Animal. III. 6. ἐν ἀνθρώπῳ γὰρ συμβαίνει μόνον, ὡς εἰπεῖν, τὸ τῆς πηδήσεως, διὰ τὸ μόνον ἐν ἐλπίδι γίνεσθαι, καὶ προσδοκίᾳ τοῦ μέλλοντος: *Cor enim homini (prope dixerim) animalium soli palpitat, quia homo solum spe rei futuræ, exspectationeque movetur.* Et ista Platonis in Timæo, πηδήσει τῆς καρδίας ἐν τῇ τῶν δεινῶν προσδοκίᾳ. Ait, cor exsilire homini ex exspectatione rerum gravium. *Cerda.*

Haurit] Hic *haurire* pro defatigare, ut Non. Marcell. c. 4. *Emmeness.*

106 *Verbere torto*] Frequenti scilicet iteratione. *Servius.*

Illi instant verbere torto] Homer. Οἱ δ' ἅμα πάντες ἐφ' ἵπποισιν μάστιγας ἄειραν, Πέπληγόν θ' ἱμᾶσιν: *Hi autem simul omnes super equos flagella sustulerunt, Percusseruntque flagellis.* Discrimen hujus partis cum victoria Virgilii jam attigit Scaliger. Quod Virg. verbo *instant*, Papin. per *aviditatem* explicuit: Theb. VI. *Avidi prono juga pectore tangunt.* Cerda.

Verbere torto] Ita Tibull. l. I. *Verbera torta timet.* Iterum: *in torto verbere terga seca.* Noster in Æn. VII. *torto volitans sub verbere turbo.* Idem.

107 *Proni*] Videtur hic fuisse frequentissimus habitus aurigarum. Nam in Æn. v. *pronique in verbera pendent.*

Papin. Theb. l. VI. *nunc avidi prono juga pectore tangunt.* Idem.

Volat] Ex Homer. οἱ δ' ἐπέτοντο: *hi autem volabant.* Sermo est de equis. Supra alio flexu. οἱ δ' ὦκα διέπρησσον πεδίοιο: *hi autem celeriter pervadebant campum.* Et l. XVI. de equis Xantho et Palio, τὼ ἅμα πνοιῇσι πετέσθην: *volabant instar ventorum.* Demosthen. in Amatorio ita, ζευγῶν προσορμησάντων. *Idem.*

Vi] De equis quoque in hoc certamine Eurip. in Hipp. βίᾳ φέρουσιν: *Vi ruunt.* Idem.

Fervidus axis] Alibi, *Frenaque ferventisque rotas.* Nam tam rotæ, quam axis cursu calescunt. *Servius.*

Fervidus axis] Horat. *Metaque fervidis Evitata rotis.* Ad hunc fervorem illustrandum lege Notam Brisson. Antiquit. I. 10. de aqua equis spargi solita in circo, quo illi cursu incalescentes paululum recrearentur. *Cerda.*

109 *Aëra per vacuum*] Reddit, ut apparet, illud Pind. Olymp. I. ἐρήμας δι' αἰθέρος. Macrobius legit: *Aëra per tenerum*, ex imitatione Lucretii. *Idem.*

Atque adsurgere in auras] In Romano codice *exsurgere* legitur. In Longobardico, et in Oblongo *insurgere.* In reliquis tum *assurg.* tum *adsurgere*, et hoc magis receptum. Sed nullum ego velim improbare codicum reverentia. Legas etiam in aliquot et his antiquis *in aures.* sed *auras* omnino casta lectio. *Pierius.*

Adsurgere in auras] Est hoc, quod inf. *Cursibus auras Provocet.* Notat Germ. alludi hic ad equos, quos Homerus vocat ἀερσίποδας, qua voce signat κουφιζομένους τοῖς ποσὶ, et ταχύποδας: *Leves pedibus, et veloces.* Cerda.

110 *Nec mora, nec requies*] Repetit Æn. V. et XII. Lucret. ante illum l. IV. *Nec mora, nec requies interdatur ulla fluendi.* Idem.

Nimbus arenæ Tollitur] Sophocl. in Electr. etiam de equestri cursu: κόνις δ' ἄνω φορεῖθ': *pulvis sursum ferebatur.* Homerici quoque equi inducuntur κονίοντες. Sed Virgilius omnino hæsit eidem Homero scribenti: ὑπὸ δὲ στέρνοισι κονίη Ἵστατ' ἀειρομένη, ὥστε νέφος, ἠὲ θύελλα: *sub pectoribus pulvis Tollebatur, ut nubes, vel procella.* Idem.

111 *Humescunt spumis, flatuque sequentum*] Hoc sæpe Homer. Πνοιῇ δ' Εὐμήλοιο μετάφρενον εὐρέε τ' ὤμω Θέρμετ': *Flatu autem Eumeli dorsum, latique humeri Calefiebant.* Et post multa in eodem lib. Κὰδ δ' ἄρα οἱ κεφαλῆς χέ' ἀϋτμένα δῖος Ὀδυσσεύς: *Inque ejus caput fundebat halitum divus Ulysses.* Et lib. etiam XVII. inducit equos ἐμπνείοντε μεταφρένῳ: *inspirantes tergo.* Idem.

112 *Tantus amor laudum*] Xenoph. ἀπομν. β. ἔπαινον vocat πάντων ἥδιστον ἄκουσμα· et Æsch. in Eum. δεινὸς εὐκλείας ἔρως. Xenoph. de apibus: οὕτω δεινός τις ἔρως αὐταῖς τοῦ ἄρχεσθαι· quæ clausulæ epiphonematica terminatio huic Virgilii convenit. *Germanus.*

Tantus amor, &c.] Admirabilis enim φιλοτιμία huic armento inest. Vide J. Lipsii Centur. III. ad Belg. Epist. 56. *Taubmann.*

113 *Primus Erichthonius*] Vulcanus, impetrato a Jove Minervæ conjugio; illa reluctante, effectum libidinis projecit in terram: inde natus est puer draconteis pedibus, qui appellatus est *Erichthonius;* quasi de terra et lite procreatus. Nam ἔρις, est lis, et χθὼν terra. Hic ad tegendam pedum fœditatem, junctis equis usus est curru, quo tegeret sui corporis turpitudinem. *Servius.*

Erichthonius] Varro in libro qui *Admirabilium* inscribitur, Erichthonium ait primum equos quattuor junxisse ludis, qui *Panathenæa* appellantur. de hoc Erichthonio alibi satis dictum, qui anguinis pedibus fuisse memoratur. *Philarg.*

Primus Erichthonius] De hoc ita Isocrat. in Panathen. ἐριχθόνιος μὲν γὰρ ὁ φὺς ἐξ ἡφαίστου καὶ γῆς, παρὰ κέκροπος ἄπαιδος ὄντος ἀῤῥένων παίδων,

τὴν οἶκον, καὶ τὴν βασιλείαν παρέλαβεν: *Erichthonius Vulcano et Tellure genitus, a Cecrope, qui masculis liberis orbus decesserat, hereditatem, et regnum accepit.* Eadem Pausan. lib. 1. Hic ergo, qui post Cecropem Rex fuit Athenarum, ἵππους ἔζευξε πρῶτος, ait Ælian. Var. Hist. III. 38. *primus equos junxit.* Et Pindari Interpres, ἅρμα κατέζευξε: *currum conjunxit.* Et Plin. VII. 56. *Bigas primum junxit Phrygum natio, quadrigas Erichthonius.* Cerda.

Primus Erichthonius] An primus fuerit Erichthonius quadrigarum inventor, accurate persequitur vir multa eruditione insignis Scefferus de re vehiculari. l. 1. p. 13. 14. *Emmeness.*

Currus, et quattuor equos] Id est, τέθριππον ἀνεζεύξατο· unde τέθριππος ἅμα, et τεθριπποτροφεῖ. *Germanus.*

114 *Jungere equos*] Pindar. Pyth. v. ἔζευξεν ἅμα. Illud, *quattuor equos.* Pindar. idem Isthm. I. ἅρματι τεθρίππῳ. *Cerda.*

Rapidus] Velox. *Servius.*

Rapidusque] In Romano cod. legitur, *Rapidus*, quod et Servius agnoscit. Sed in quibusdam *rapidisque.* *Pierius.*

Victor] Sui propositi effector. *Servius.*

115 *Frena Pelethronii*] Pelethronium oppidum est Thessaliæ, ubi primum domandorum equorum repertus est usus. Nam cum quidam Thessaliæ rex, bobus œstro exagitatis, satellites suos ad eos revocandos ire jussisset, illique cursu non sufficerent, ascenderunt equos, et eorum velocitate boves secuti, eos stimulis ad tecta revocarunt. Sed hi visi, aut cum irent velociter, aut cum eorum equi circa flumen Peneum potarent, capitibus inclinatis locum fabulæ dederunt, ut Centauri esse crederentur. qui dicti sunt Centauri ἀπὸ τοῦ κεντεῖν τοὺς ταύρους. Alii dicunt Centaurorum fabulam esse confictam, ad exprimendam humanæ vitæ velocitatem; quia equum constat esse velocissimum. Bene autem *Pelethronii* addidit: quia sunt et alii Lapithæ. *Idem.*

Frena Pelethronii] *Pelethronios Lapithas* ideo appellavit, quia sunt Thessali. Pelethronium antrum est, ubi Achillem Chiron erudivit. Alii Pelethronium regem Lapitharum volunt. *Philarg.*

Frena Pelethronii] Hic quoque dissidium, ut in superiore invento: explicatio, quam posui, Servii est. Aliter longe capias ex Plin. VII. 56. ubi Pelethronium virum quendam nominat, qui primus strata equorum, et frenos invenerit: atque ex Plinio Turn. XXI. 9. Poëtam explicat contra vulgus. Sed, ut vides nihil in hac re firmum, Lysias gravis orator ἐν τῷ λόγῳ ἐπιταφίῳ, ita ait loquens de Amazonibus, πρῶται δὲ τῶν πάντων ἐφ᾽ ἵππους ἀνέβησαν: *Primæ omnium equos ascenderunt.* Et ideo fortasse Pindarus illas vocat εὐίππους Olymp. VIII. *bonis et strenuis equis.* Quia Plinius ibidem primam gloriam equitationis Bellerophonti attribuit. Et Ælian. Var. Histor. IX. 16. Viro cuidam Italo, quem scribit nominatum fuisse Marem, de quo Itali ipsi fabulabantur, fuisse anteriore parte hominem, posteriore equum. Quem vulgi sermonem ita explicat Ælian. ἐμοὶ δέ μοι πρῶτος ἵππον ἀναβῆναι, καὶ ἐμβαλεῖν αὐτῷ χαλινὸν εἶτα ἐκ τούτου διφυὴς πεπιστεῦσθαι: *Mihi visum, hunc primum omnium ascendisse in equum, illi frenum injecisse, atque inde creditum duplicis naturæ.* Sophocl. in Œd. Col. inventionem freni Neptuno attribuit, sic tum in Attica. Ad quam opinionem alludit Papinius Theb. VI. *Neptunus equo, si certa priorum Fama patet, primus teneris læsisse lupatis Ora, et litoreo domitasse in pulvere fertur.* Palæphatus, et plerique alii hoc inventum Centauris attribuunt, πρότερον (inquit) γὰρ οὐκ ἠπίσταντο ἐφ᾽ ἵππων ὀχεῖσθαι, ἀλλὰ μόνον ἅρμασιν ἐχρῶντο:

Nam ante illos nesciebant mortales in equis sedere, sed curribus solum utebantur. Hoc placitum hic Maroni, et merito. Juvant enim ejus sententiam versus isti Manilii l. IV. *At quibus in bifero Centauri corpore sors est Nascendi concessa, libet conjungere currus, Ardentes et equos ad mollia ducere fræna.* Quasi Centauri signum huic arti præsit in memoriam Centaurorum, qui eam primi invenerunt. *Cerda.*

Frena Pelethronii] Ut Stephanus πελεθρόνιον, ὄρος ἐστὶ θετταλίας. De origine autem frenorum, nemo doctius, quam laudatus Scefferus I. 13. cui addas Torrent. ad Horat. Od. I. 8. ubi quæ *ora lupata* dicenda sint, exponit. *Emmeness.*

Gyrosque dedere] Pro docuere. aliter enim fræna dedere, et aliter gyros. et est syllepsis, cum aliquid assumitur, quod dictum supra non est. *Philarg.*

Gyrosque dedere] Tacit. de eadem re: *orbem* dixit. Vulgus omne, *vertere, flectere, circumflectere in gyros.* Nemo præter nostrum *gyros dare,* Cic. off. I. dixit: *duci in gyrum rationis, et doctrinæ.* Cerda.

116 *Inpositi*] Nota hoc verbum dari domitoribus equorum. Ita Manil. l. IV. ex correctione Scaligeri: *Quadrupedum genus inpositis domitare magistris.* Sic (inquam) corrigit ad imitationem Virgilii. Alibi idem Manil. *Imposito pareret tota magistro.* Idem.

Equitem] Equum. Pro equo, rectorem posuit. *Servius.*

Equitem] Hic *Equitem* sine dubio equum dicit, maxime cum inferat, *insultare solo.* Ennius annalium VII. *Denique vi magna quadrupes eques atque elephanti, Projiciunt sese.* Philarg.

Equitem] Servius ait positum *equitem* pro equo. Eadem Agell. XVIII. 5. et Macrob. VII. 9. Firmant hoc, quia Ennius *quadrupes eques* dixit, pro equo: et Lucillius de equo dixit *equitare.* Non nego versus Ennii, et Lucillii: sed dico tamen, candidius in Virgilio, et purius, equitem capi pro viro equite, qui equo insidet: non pro equo, qui a viro insidetur. Nam etiam si ista, a re nihil, a puritate certe locutionis longe absunt. Nam cum eques significet virum in equo insidentem, cur aliud capiam? Ergo sententia erit. Lapithæ docuerunt insultare solo virum equitem, id est, virum insidentem equo. Etenim vir ipse, ut qui equum regit, insultat quoque. An obsecro non eques dicetur currere, etiamsi in equo currat? *Cerda.*

Sub armis] Id est, insident armato. *Philarg.*

Sub armis] Respondet Græco ὑφ' ὅπλοις. Ita German. Vidi ego ὑφ' ὅπλοις, quod signatius ad Virgilium. *Cerda.*

117 *Insultare solo*] Hanc descriptionem equi, ad alterius voluntatem gyrantis se, insultantis, et agglomerantis gressus, vult Macrob. VI. 2. ductam ex Vario, qui ante nostrum ita: *Quem non ille sinit lente moderator habenæ Qua velis ire, sed angusto prius ore coërcens Insultare docet campos; fingitque morando.* Idem.

Gressus glomerare superbos] Ut cum disciplina incedat. *Servius.*

Gressus glomerare] Plin. quoque VIII. 42. *glomeratio* dixit de equorum incessu. Et Manilius l. V. *Hic glomerabit equo gyros.* Silius: *glomerat vestigia dorso.* Notat vero German. quod Virgilio dictum *gressus glomerare,* esse idem, quod apud Varron. *tollutim incedere.* Apud Plinium, *tollutim carpere incessus.* Apud Martialem, *ad numeros colligere ungues.* Apud Græcos ὑποκρέκειν. Unde et equus *Tollutaris, gradarius.* Quæ ex Plinio adducit, leviter discrepant a lectione Pliniana, nisi Germanus habuit correctiorem codicem. *Cerda.*

118 *Æquus uterque labor*] Durus uterque labor, et sub jugum mittere, et sub femur. *Philarg.*

Æquus uterque labor] Par labor est aurigandi et equitandi. *Taubmann.*

Æque juven.] Q. d. Equitum magistri admissarium deligunt, qui sit juvenis, animosus, et velox: parum curantes, quam sæpe illa vicerit, aut quam nobilis genere sit. *Idem.*

Magistri] Ita Plato Leg. VII. ἵππων διδασκάλους, et alii passim. *Cerda.*

119 *Acrem*] Ita Æn. IV. *acri equo.* Varr. Rust. II. 7. *Ad castra habere volunt* (equos) *acres*, Strabo l. VII. ὀξεῖς ἵπποι. Latini interpretes sæpissime illud ὠκύποδας, reddunt, *equos acres.* Nam hæc acrimonia maxime exploratur cursu, ideo hic Poëta *acrem cursibus.* Idem.

120 *Quamvis sæpe fuga versos*] Ordo est, Quamvis sit sæpe victor; quamvis nobili genere procreatus, tamen a magistris est ætas, magnanimitasque requirenda: quæ si non fuerint, illa nihil prosunt. *Servius.*

121 *Mycenas*] Notat equos Argivos. Horat. Od. I. 7. *Aptum equis Argos* dixit. Hom. Ἄργος ἱππόβοτον. Sed de Re tota equestri accuratissime scripsit popularis meus *Joach. Camerarius*, in Hippocomico, quo Auditores curiosos remitto. *Taubmann.*

122 *Neptunique ipsa deducat origine gentem*] Ab equo Neptuni, qui natus est tridentis percussione. *Servius.*

Neptunique] Neptunus etiam parens quorundam equorum fertur, ut Pegasi ex Medusa, et Arionis ex Cerere, cujus seminium Adrastus habuit. *Philarg.*

Gentem] In Romano codice non *gentem*, sed *nomen* legitur. Quod vero equos ullos a Neptuno deducere dicat originem: non quod tridentis percussione equus exilierit, in quo Servius falsus est, corrupto codice Ovidiano: neque quod se Ceres in equam mutaverit, ita a Neptuno compressa, unde generosos equos genitos ait Probus: sed quia Neptunus quorundam equorum auctor fuit, ut Pegasi, et alterius in Thracia percusso scopulo: veluti Medusa Arionis, Ceres Odorissi, quem Adrastus habuit. *Pierius.*

123 *His animadversis*] Moribus et ætate deprehensis. *Servius.*

His animadversis] Idem initium carminis Ge. II. et in Manil. l. II. et in aliis. *Cerda.*

His animadversis] Docet sub tempus admissuræ pabulum maribus augendum, fœminis minuendum: illis ideo, fortius ineant; his ne obesitate sterilescant. nam macescentes facilius concipiunt. Varro II. 5. Col. VI. 24. et 27. *Taubmann.*

Instant sub tempus] Coëundi scilicet: quo eis cura major adhibeatur. *Servius.*

Instant sub tempus] De præcepto hoc Varro II. 5. *Tauros duobus mensibus ante admissuram herba, et palea, ac fœno facio pleniores.* Columell. VI. 24. *Tauris adjiciatur* (pabulum) *quo fortius ineant.* Hoc præceptum omnibus animantibus competit, nam arietes Auctor Geop. l. XVIII. ait, duobus mensibus ante admissuram curandos, δαψιλεστέρᾳ τροφῇ, *lautiore cibo.* De equis eadem præcipiunt Auctor Geopon. Columella, Palladius. Primus l. XVI. Alter VI. 27. Tertius IV. 13. *Cerda.*

124 *Denso distendere pingui*] Non laxo. quod quibusdam potionibus per fraudem agasones facere consueverunt. unde ait, *Denso pingui:* id est, viribus pleno. Sane *pingue* est generis neutri: et ita in omnibus idoneis invenitur. Nam nec *pinguedo*, nec *pinguetudo* Latinum est. *Servius.*

Denso distendere pingui] Absolute posuit, ut est illud Lucretianum: *Hic fessæ pecudes pingui.* Philarg.

Denso distendere pingui] Διαπλατύναι λιπαρῷ· respicit eam quæ est apud Græcos differentiam, quibus πῖον et πῖος *pingue* est τὸ ἔχον μᾶλλον στερεὸν, ἢ ὑγρὸν, cum λιπαρὸν id dicatur, in quo magis dominatur humidum, quamvis et ea nonnunquam confundantur. *Germanus.*

125 *Ducem*] Pari genio postea de tauris, *regna.* et in Æn. XII. *quis pe-*

cori imperitet. Et Oppian. l. II. *κεραὸν ἡγεμόνα, cornutum ducem.* Hesiodus in Theogen. de Leone Nemæo: *κοιρανέων Τρητοῖο Νεμείης*: *Imperans cavernosæ Nemeæ.* De Psittaco Pap. Sylv. II. *Plagæ viridis regnator Eoæ.* Idem Theb. v. taurum vocat *ductorem regem.* Philo: *περὶ ὀνείρων. αἰπολίου μὲν δὴ τράγος, ποίμνης δὲ κριὸς ἡγεμών ἐστι*: *Hircus dux caprarum, aries ovium.* Arist. Hist. VI. 19. *ἐν ἑκάστῃ γὰρ ποίμνῃ κατασκευάζουσιν ἡγεμόνα τῶν ἀῤῥένων*: *Singulis ovilibus singuli duces constituuntur.* Minutius: *Rex unus apibus, dux unus in gregibus, in armentis rector unus.* Sumsit a Minutio Cyprianus, nam idem, et iisdem verbis lib. de Idolor. vanitate. Plinius x. 21. de gallinaceis: *Imperitant suo generi, et regnum in quacunque sunt domo, exercent.* Cerda.

Dixere maritum] Pro designavere. Cic. de Republ. sic: *Dictatore L. Quinctio dicto.* sed et Horatius: *Quem Venus arbitrum dicit bibendi,* pro designat. *Philarg.*

Dixere] Sunt, qui legunt *duxere*, sed interprete Philargyrio, *dixere* convenientius. *Emmeness.*

126 *Pubentesque secant herbas*] Adultas, maturiores: quibus robur acquiritur. *Servius.*

Pubentesque secant herbas] In codicibus aliquot antiquis, legere est *pubentesque*, quale pabulum longe delicatius est. Nam moderatus equorum gregibus pascua, mollibus potius quam proceris herbis abundantia, præcipit eligenda. Sed in nonnullis tamen *florentes* invenias. *Pierius.*

Pubentes] Id est, admissariis conveniunt τὰ πολύτροφα καὶ φυσώδη, quæque ἀφροδισιαστικὰ promovent. *Taubm.*

127 *Blando labori*] Periphrasis est coitus. *Servius.*

Blande] Mire *blandum laborem* coitum dixit, quod sit cum voluptate. *Philarg.*

Nequeant] In Romano, et antiquissimis aliquot codicibus *nequeat*, singulari numero legitur. De eo enim loquitur, *Quem legere ducem et pecori dixere maritum.* in aliis *nequeant.* Pierius.

Superesse] Supra laborem esse, neque opprimi a labore. Gell. I. 22. Ita Col. *Roborandus largo cibo, et ordeo ervoque saginandus, ut Veneri supersit.* Taubmann.

128 *Referat*] Non enim potest unus equus duas patrias habere. et, *referat*, sicut ibi positum: *Et salis occultum referat in lacte saporem.* et, *qui te tantum ore referret.* Philarg.

Jejunia] Infirmitatem venientem ex inedia. *Servius.*

Jejunia] *Jejunia*, pro macie. *Philarg.*

Referant jejunia nati] Lucret. IV. *referunt proavorum sæpe figuras.* Germanus.

129 *Ipsa autem macie tenuant armenta*] Ut: *Frondesque negant: et frondibus arcent.* Philarg.

Tenuant armenta] Ἰσχναίνουσι, λεπτουργοῦσι, ut Plato. *Germanus.*

Ipsa autem macie] De fœmina, frugaliter et parce habenda ante coitum, Varr. de vaccis loquens II. 5. *Propter feturam hæc servare soleo, ante admissuram mensem unum, ne cibo et potione se impleant, quod existimantur facilius macræ concipere.* Alibi: *feminis bubus* (cibus) *demitur, quod macescentes melius concipere dicuntur.* Colum. VI. 24. *Sed et pabulum circa tempus admissuræ subtrahitur feminis, ne eas steriles reddat nimia corporis obesitas.* Ad idem pertinent verba ista Aristotel. de Hist. Animal. v. 14. *οἱ δὲ τράγοι πίονες ὄντες ἧττον γόνιμοί εἰσιν*: *Hirci pingues minus fæcundi sunt.* Iterum de Generat. Animal. I. 18. *τράγοι πίονες ὄντες ἧττον ἔχουσι· διὸ καὶ προλεπτύνουσιν αὐτούς*: *Hirci pingues minus seminis habent, quamobrem illos ante extenuant.* Huc confer, quæ in utroque loco idem Aristot. adjicit de vitibus, quæ, cum luxuriant, minus sunt fertiles. Adducit etiam Ursinus ad rem eandem verba Hippoc. Sec-

Nec saltus superare viam sit passus. vacuis autem *saltibus*, sine maritis dixit. *Philarg.*

Saltibus] *Saltus* isto loco Nonius campi spatium interpretatur. Alioqui saltus sunt loca vasta, et silvestria, ubi arbores exiliunt in altum, Isidor. XVI. 8. Quidam censent ex eo dictum saltum, quod in eo feræ ac pecudes saliant. *Pontanus.*

Plena Flumina] Ne inclinentur ad potum. *Servius.*

145 *Saxea procubet*] Nove *saxea umbra*, quæ saxis fiat, et *procubet*, protendatur. *Philarg.*

146 *Est lucos Silari circa ilicibusque virentem, &c.*] Ordo talis est, Circa lucos Silari fluminis Lucaniæ et Alburnum ejus montem, est plurimus volitans: ac si diceret, est multa musca. *Servius.*

Silari] Ordo: plurimum volitans circa lucos Silari, Alburnumque virentem ilicibus. *volitans* absolute. *Silarus et Alburnus* in Lucania sunt montes. *Philarg.*

Silari] Vossius ad Melam, libros MSS. *Silerus* et *Siler* agnoscere testatur II. 4. et hoc loco fide Medicei codicis *Sileri* legendum contendit. et Silarum flumen et Alburnum conjungit Lucil. *Quatuor hinc ad Silari flumen portumque Alburnum.* Emmeness.

147 *Volitans*] Modo nomen est, non participium. *Servius.*

Asilo] Nigidius de animalibus: *Asilus est musca varia tabanus, bubus maxime nocens. Hic apud Græcos prius myops vocabatur: postea magnitudine incommodi œstrum appellarunt.* et hoc est quod ait, *œstrum Graji vertere vocantes.* Non de Latino in Græcum, sed de Græco in suam linguam, quæ prior fuit. *Philarg.*

Quoi nomen asilo Romanum est, œstrum Graji vertere vocantes] In antiquis aliquot codicibus, *quoi*, in aliis *cui*. Nam hæc quoque sunt observanda, quamvis penitus ex usu recesserint. In Romano codice, *Romanum st*, more veterum scriptum habetur, facta collisione ex vocali, quæ in *est* reperitur. In Longobardico, *vertere vocando*, id est, nomen imponendo per formam gerundii, ut *Fingitque premendo.* In nonnullis etiam *œstron* per *o* non indecenter scriptum invenias, ut ipsa etiam declinationis forma sententiæ correspondeat. *Pierius.*

Quoi nomen asilo] Ut, *Cui Remulo cognomen erat.* Servius.

Asilo] Alio nomine *tabanus*, ut Plin. XI. 28. *reliquorum quibusdam aculeus in ore, ut asilo, sive tabanum dici placet.* vet. gloss. *οἶστρος, ὁ μύωψ. Tabanus, asilio.* vehementer hoc insecti genus infestat jumenta, inde *βοηλάτης Æsch.* dicitur. Ideo Varr. de r. r. II. 6. *Itaque quod eas æstate tabani concitare solent, et bestiolæ quædam minutæ sub cauda: ne concitentur, aliqui solent includere septis.* Furor ab hoc insecto excitatus Græce *οἰστρομανία.* ut vindicent ab asilis camelos pingui cetorum et omnium piscium adipe negotiatores in Arabia perungunt, ut ejus odore abigantur. vide Plin. XXXI. 1. et Rittershus. ad Oppian. p. 247. *Emmeness.*

148 *Œstrum Graji vertere vocantes*] *Vertere* ex soni similitudine, Onomatopœiam fecere. Non enim possumus accipere, ex Latina lingua mutavere, cum constet Græcam primam fuisse. *Œstrum* autem Græcum est: Latine *asilus*, vulgo *tabanus* vocatur. *Serv.*

Œstrum Graji vertere] Quomodo *Graji vertere*, cum omnia, quæ Latina sunt, a Græca ratione descendant? solvit quæstionem: Græci cum myopem primo dixerint, displicuit nomen: quia proprium non erat. *Œstrum* dixerunt, hoc est, quia furiam *œstrum* vocant. Dividit enim furia armenta, cum ab ea stimulantur. Latine vero hoc animal *tabanus* dicitur. *Philarg.*

149 *Asper, acerba sonans*] Lucret. l. v. *Asper, acerba tuens, immani corpore serpens.* Germanus.

150 *Furit*] Poëtice convertit. Nam

cum furor boum sit, ætherem ait furere. *Philarg.*

151 *Sicci Tanagri*] Non multum valentis. Tanager autem fluvius est Lucaniæ: et *sicci* ad tempus æstatis relatum est. Est enim torrens hyeme. Et hoc dicit, armentorum mugitu cuncta resonare. *Servius.*

Sicci] Quare *sicci*, cum ripam dixerit? ostendit hunc non esse fluvium, sed rivum. ut alibi: *et arentem Xanthi cognomine rivum.* Philarg.

152 *Hoc quondam monstro*] Argumentatur ab exemplo; dicens, œstro contra pellicem se defendisse Junonem. Nota autem est fabula: Io Inachi filiam a Jove Junonis adventu conversam esse in vaccam, cui Juno immisit œstrum: quo toto orbe fatigata tandem aliquando venit ad Ægyptum, et illic in Isim conversa est. Transiit autem per mare angustum, quod Bosphoron appellatum est, nunc Hellespontum nominatur. *Servius.*

Hoc quondam monstro horribilis exercuit iras] In antiquis codicibus *horribilis* per unicum *i* finali syllaba, ex Velii Longi sententia. Quod vero in *Ius* fabula recensenda Servius dicit, *Transiit autem per mare angustum, quod Bosphoron ab ea appellatum est, nunc Hellespontus nominatur:* ultima illa verba, *nunc Hellespontus nominatur*, adulterina esse crediderim. Non enim adduci possum, eum ignorasse, alium esse *Bosporon*, alium *Hellespontum*, atque alterum ab altero longe distare: quum *Bosporus* Thracius, ubi ejus *Bovis transitus* fuisse traditur, ad fines Euxini maris, dubio procul sit, inde Propontis late diffusa interjaceat, cui mox subjungitur Hellespontus. *Pierius.*

Horribilis exercuit iras] Vix credas, quam celebres Poëtis sint cruciatus sævissimi, quos Io passa est ab œstro, latens sub forma bovis. Sophoc. Elect. *τῆς οἰστροπλῆγος ἰνάχου κόρης*: *œstro agitatæ filiæ Inachi.* De eadem Æschyl. in Prom. *οἰστροδινήτου*: *percitæ ab œstro.* Ipsa de se ibidem, *οἰστροπλὴξ δ' ἐγώ.* et *ὀξυστόμῳ μύωπι χρισθεῖσ'*: *acuto stimulata asilo*, et *χρίει τις αὖ με τὰν τάλαιναν οἶστρος*: *Pungit me miseram œstrus quidam.* Ovid. Metam. I. ait, objectam Ioni horrificam Erinnym. Adjice furias, quas hæc bestiola excitavit tauro illi, qui raptavit puerum Ampelum. Rem late habet Nonn. l. XI. Dionys. *Cerda.*

153 *Pestem meditata juvencæ*] Vel quam pestem ante excogitaverat: vel *meditata*, inferens et exercens accipiamus. Horatius, *Horrendamque cultus Diluviem meditatur agris*, id est, infert, exercet. Nam et in ipsa meditatione exercitium est. *Servius.*

Meditata] Apud Horatium eodem significato legitur *Diluviem meditatur agris;* quanquam sunt, qui *minitatur* eo loco legendum autument. *Pierius.*

Juvencæ] Ionem dicit Inachi filiam, quam in bovem conversam œstro percussisse dicitur. Illa se in mare præcipitavit, quod Ionium vocaverunt: et Isis dicitur, quasi sola Dea. Hoc enim Ægyptiis placet. *Philarg.*

154 *Hunc quoque*] Id est, etiam hoc malum remove. *Servius.*

Fervoribus acrior instat] Tunc est acrior. Et dicendo tempus, ostendit quemadmodum possit evitari. *Idem.*

Fervoribus acrior instat] Oppian. *ἄγριον οἶστρον Ὃς σφισι καυστηροῖο κυνὸς νέον ἱσταμένοιο Κέντρου πευκεδανοῖο θοὴν ἐνερείδεται ἀλκήν*: *ferum asilum, Qui ipsis ardido cane recens exorto Aculei perniciosi velox infigit robur.* Homerus quoque Odys. XXII. ait asilum fervere *ὥρῃ ἐν εἰαρινῇ*: *verno tempore.* Varr. Rei Rustic. II. 5. æstatem signat, in qua vaccæ concitantur tabano. *Cerda.*

155 *Gravido pecori*] A gravido pecore. Nam *arceo a te* dicimus. *Serv.*

Gravido pecori] Ut Ecl. VII. 47. *Solstitium pecori defendite.* Emmenn.

156 *Sole recens orto*] Statim. Sallustius, *Coria recens detracta veluti glutine adolescebant.* Servius.

Sole recens orto] Est hæc locutio

Græcorum, qui νέον cum dicunt, subaudiunt κατὰ, ut sit κατὰ νέον. *Cerda.*

Noctem ducentibus astris] Ita Æn. II. de Lucifero: *Ducebatque diem.* Idem.

157 *In vitulos*] Modo generaliter et de equis et de bobus accipimus. *Servius.*

Post partum in vitulos cura traducitur omnis] In Romano codice, in Mediceo, in Longobardico, et aliquot aliis, versus hoc numero legitur, *Post partum cura in vitulos trad. om.* Præterea in Oblongo illo codice, quem Pomp. Lætus delitias suas ajebat: *deducitur* pro *traducitur* habetur. Sed alterum melius. *Pierius.*

158 *Notas*] Characteres. *Servius.*

Notas, et nomina gentis inurunt] De hoc more fuse dictum Ge. I. ad illud: *Aut pecori signum et numeros impressit acervis.* Illud, *gentis nomina*, libenter retuli ad prosapiam, nobilitatem, et patriam pecoris, non ad possessorem, etiamsi videam hoc defendi posse. Nam Varr. Rust. II. 7. *De stirpe magni interest, qua sint.* Et addit, a regionibus dici nobiles. Hoc liquidius ad mentem Virgilii. Observabis instrumentum, quo uni equi signabantur, dici τρυσίππιον. *Cerda.*

Continuoque notas et nomina gentis inurunt] Bene Servius *notas* vocat *characteres*, inde χαράττειν et χαρακτηρίζειν. characteres Græce ἐγκαύματα, ut recte observavit Cerda. Hunc ritum attigit Turn. XXIII. 15. vide notas ad Georg. I. 263. *Emmeness.*

159 *Pecori habendo submittere*] Admissarios facere. *Servius.*

Habendo] Id quod habetur. Lucilius in XXX. *Nonnunquam dabit ipsa ætas quod possit habendo.* Philarg.

160 *Sacros*] In Romano, et in Mediceo codice, *Sacros* legitur, quod minime displicet. Sane et in Longobardico, *Sacros* prius legebatur: inde abrasa *o* litteræ parte *Sacris* legi voluerunt. *Pierius.*

Aris servare] Expressit verbum Varr. Rust. II. 5. *Ad victimas farciunt; atque ad Deorum servant supplicia.* Cerda.

Sacros] *Sacræ pecudes* sunt aris destinatæ. Nam et equum in sacris publicis Romæ immolatum, auctor est Plin. XXVIII. 9. *Taubmann.*

Scindere terram] Sic Hom. Il. N. τέμνει δέ τε τέλσον ἀρούρης. et item γειτόμον vocant Græci. *Germanus.*

161 *Et campum horrentem fractis invertere glebis*] Ecbasis poëtica. Suffecerat enim, *aut scindere terram.* Servius.

162 *Cetera pascuntur*] Per hoc intelligimus illa omnia, quæ dixit animalia domi esse servanda. *Idem.*

Cetera] *Cetera*, quæ non inuruntur. *Philarg.*

163 *Tu quos ad studium*] Locus de bobus domandis. *Servius.*

Ad studium] In Romano codice legitur, *ad studia.* Sed hoc significato melius *studium* singulare. *Pierius.*

Tu quos] *De vitulorum domitura* Varro I. 20. Col. VI. 2. *Taubmann.*

164 *Viamque insiste domando*] Institue artem domandi. *Servius.*

165 *Dum mobilis ætas*] *Mobilis*, flexilis: et est duplex lectio. Potest enim et sic legi: *Juvenum dum mobilis ætas.* Philarg.

Dum mobilis ætas] Videtur Maro τὸ εὐκίνητον καὶ κινητικὸν ætati tribuisse vigenti; quod animatum ab inanimi maxime discernatur motu et sensu: et quo corpus mobilius sit, hoc et vividum magis videatur, quia veteres Philosophi statuerint, eximie familiarem esse animo motum. *Germanus.*

166 *Circlos*] *Circus* est principale, unde fit *circulus*, et per syncopam *circlus:* sicut *periculum* et *periclum*, *seculum* et *seclum.* Servius.

Circlos] Ita in Varron. R. Rust. I. 4. *surclos* pro *surculos*, agnoscunt Joseph. Scalig. et Pet. Victor. *Cerda.*

167 *Libera colla*] *Minutatim assuefaciant servitio* inquit Varr. I. 20. totum hunc locum sic imitatus Nemesian. cyneget. vs. 184. *Libera tunc*

primum consuescant colla ligari Concordes et ferre gradus. Noster *conferre gradum* Græce, ut observavit Germanus, *συνάπτειν πόδα* et *ἴχνος συνάπτειν*. De domandis bubus et qua ætate Columell. VI. 2. et Pallad. tit. 12. *Emmeness.*

168 *Ipsis e torquibus aptos*] *Aptos*, unitos aut connexos. est enim apta jungi. *Philarg.*

E torquibus] In antiquissimo codice Oblongo, *de torquibus* legitur. In Longobardico, *ipsis et torquibus aptos.* Pierius.

Aptos] Id est, aptatos, atque illigatos, sicuti apud Catul. *aptis sarcinulis, et expeditis*, id est, substrictis, et alligatis sarcinis. Et apud Agel. I. 15. cum scribit: *Linguam autem debere ajunt non esse liberam, nec vagam, sed vinculis de pectore imo, ac de corde aptis moveri, et quasi gubernari.* Ubi *vinculis aptis* est, aptatis, et illigatis. In Agel. legitur vulgo, *vinculis apertis*, nullo, potius inepto, sensu. Debes hoc Fruter. I. 19. *Cerda.*

169 *Gradum conferre*] Pariter incedere. *Servius.*

Coge gradum conferre juvencos] Colum. etiam in domitura boum II. 6. *Ante vesperum licebit producere, et docere per mille passus composite, ac sine pavore ambulare.* Præcedit in Poëta, jungendos boves pares. Varr. quoque r. rust. I. 20. præcipit, ut boves sint pares: et addit rationem, *ne in opere firmior imbecilliorem conficiat.* Col. etiam VI. 2. *Item custodiendum est, ne incorporatione, vel statura, vel viribus impar cum valentiore jungatur: nam utraque res inferiori celeriter affert exitium.* Cerda.

170 *Rotæ inanes*] Sine pondere. *Servius.*

Rotæ ducantur inanes] De hoc præcepto ita etiam Varro R. Rust. I. 20. *Quos ad vecturas item instituendum, ut inania primum ducant plaustra; et, si possis, per vicum, aut oppidum creber crepitus, ac varietas rerum consuetudine celerrima ad utilitatem adducit.* Sed et quod Virgilius subjicit de pulvere, id præmisit Varr. ubi docet, quidpiam de arena, et molliore terra in domitura boum. Colum. VI. 2. has inanes rotas vocat *experimenta vacua.* Cerda.

171 *Summo vestigia pulvere signent*] Hoc ita extulit Manil. l. v. *Vixque rotis levibus summum contingere campum.* Cerda.

172 *Sub pondere faginus axis*] Sic Homerus Iliad. E. 838. *μέγα δ' ἔβραχε φήγινος ἄξων βριθοσύνῃ.* Species fagi est salsi corticis, cujus materia ad axes commoda est. Theophr. III. 10. *τὸ τῆς ἁλιφλοίου χρήσιμον εἰς τοὺς ἄξονας.* *Emmeness.*

173 *Temo æreus*] Fortis: sic in quinto, *Ærea quem obliquum rota transiit.* Item Horatius, *Inclusam Danaëm turris ahenea.* Servius.

Et junctos temo trahat æreus orbis] In antiquis *vinctos*, et *orbis*, in aliis *orbes.* Pierius.

Junctos orbis] Extremum rotæ circulum *orbem* nominari, luce meridiana clarius docet Scefferus de r. vehic. I. 6. *Emmeness.*

174 *Pubi indomitæ*] Hoc ad juvencos tantum pertinet. Nam de equis contra dicturus est. ut, *Namque ante domandum Ingentes tollent animos.* Servius.

Indomitæ] Utrum dum quosdam domas, interea indomitis hæc præstabis; an antequam domes, interea? *Philarg.*

Pubi] Juvencis. ita *onager infans* dicitur Mart. XIII. 97. et *infantia* de pullo, &c. apud Plin. VIII. 44. *Taubmann.*

175 *Vescas frondes*] Siccas et teneras. Nam *vescum* hoc est proprie. unde et telæ aranearum *vescæ* vocantur. *Servius.*

Vescas] *Vescas*, teneras et exiles. Nam *vescum* apud antiquos significabat macrum, et quasi quod escam non reciperet. Afranius in Sororibus, *Ah puer est vescus, imbecillus viribus.* Sed

vide ne *vescas*, appetibiles dixerit. Lucretius certe pro edace posuit, ut, *vesco sale saxa peresa.* Philarg.

Vescas frondes] Particula *ve* in quibusdam quidem intendit, sed in multis quoque, minuit, ut hoc in loco. *vescas, id est, exsuccas, graciles, minutim concisas.* ex Ovidio idem liquidum: *Vegrandia farra colonæ Quæ male creverunt, vescaque parva vocant.* ex *ve* et *esca*, ut Gell. XVI. 5. et Salmas. in Solin. p. 35. eodem modo, ut *vecors*, *vesanus*. non a *vescor*, quemadmodum nonnulli perperam. Vett. Gloss. *vescus* ὀλιγόσιτος, ὀλιγοδεής. Plin. VII. 20. *vesco corpore, sed eximiis viribus, &c.* pro *macilento*, cui opponitur *perpastus*, qua voce utitur Phædr. l. III. fab. 7. Noster Ge. IV. 131. *vescum papaver*, id est, *quo vescimur*, ut Servius, sed male. vide Guther. de jure Man. I. 4. nonnunquam significat quod Græci script. vett. προσκορής, *fastidiosus*, ut Festus et Gifanius ex Lucret. *Emmeness.*

Ulvamque] In Romano codice *Silvam* legitur. Sed *ulvam* magis acceptum. *Pierius.*

Ulvamque] Arbitrantur nonnulli, hanc herbam esse τὸν φακὸν Dioscoridis, lentem palustrem, et inveniri in stagnantibus aquis: alii dicunt, esse herbas majusculas, quæ in paludibus nascuntur. *Cerutus.*

176 *Frumenta manu*] Eis etiam farraginem dabis. *Servius.*

Sed frumenta manu carpes sata] Explicui de farragine, secutus Servium. Varro hoc genus cibi adhibet II. 5. *Semestribus vitulis objiciunt furfures triticeos, et farinam ordeaceam, et teneram herbam.* Hoc extremum explicat, quæ sint sata illa frumentacea Virgilii. *Cerda.*

Fetæ] *Fetæ* nostro more. neque enim mulgeri nisi enixæ possunt. Antiqui autem *fetum* pro gravido solent ponere. ut Varro Atacinus: *Feta feris Libya.* et ipse Virg. *Scandit fatalis machina muros Feta armis.* Philarg.

Nec tibi fetæ] De hoc præcepto ita Calpur. loquens de ovibus: *Parce tamen fetis, nec sint compendia tanti, Destruat ut niveos venalis caseus agnos.* Cum ait *more patrum*, signat priscum ævum, in quo esus magna ex parte lacteus fuit. Nondum enim hominibus assuetis ad carnes, nullus cibus delicatior fuit lacticiniis. *Cerda.*

177 *More patrum*] *More patrum* sic intellige, ut dixerit mulgeri. Nec implebunt mulctralia more patrum, qui lac magis reservabant fetibus. alioquin accusabitur ob avaritiam eorum, qui sibi omne lac mulgebant. Legitur et *mulgaria*, ut Valgius ait: *Sed nos ante casam tepidi mulgaria lactis, et sinum vini cessamus ponere Bacchi.* Philarg.

More patrum nivea implebunt mulctraria vaccæ] In Romano codice, in Oblongo, et in aliquot aliis *mulctraria* legitur: quamvis in aliquibus deest littera *c* ante *t*: quod in Mediceo videtur. Invenimus et in aliquot codicibus antiquissimis *mulgaria*, qua dictione usus est Valgius. *Sed nos ante casam tepidi mulgaria lactis.* In Longobardico prius erat *multraria*, quæ dictio abrasa leviter est, et *mulgaria* repositum. *Pierius.*

178 *Consument ubera natos*] *Natos* brutis tribuit, ut infra apibus *parvos Quirites*, ea fere phrasi, qua Homerus βρέφος ἡμίονον φορέουσαν, qui et ut notat Eustathius ἀνάπαλιν ἔμβρυον ἀντὶ βρέφους ἐν τῷ καὶ ὑπ' ἔμβρυον ἧκεν ἑκάστῃ. qui βρέφος interpretatur τὸ ἄρτι γεγονὸς παιδάριον, παρὰ τὸ τρέφω, οἱονεὶ τρέφος. *Germanus.*

179 *Sin ad bella*] *De domitura pulli equini* Xenophon ἐν τῷ ἱππικῷ. Varro II. 7. *Taubmann.*

Sin ad bella magis studium] Dixit breviter de iis, quæ in domitura et cura juvencorum agrestium observari convenit. Nunc ad pullos equorum transit, quos laboribus bellicis, ludisque Circensibus, aut sacris certaminibus præparare cupimus. *Pontanus.*

180 *Aut Alphea rotis*] Alphei, et Olympiorum certaminum Pind. meminit Olymp. od. III. *καὶ μεγάλων ἀέθλων ἁγνὰν κρίσιν καὶ πενταετηρίδ' ἁμᾶ θῆκε ζαθέοις ἐπὶ κρημνοῖς Ἀλφέου. Germanus.*

Prælubi flumina Pisæ] Quia, ut supra diximus, circa ripas fluminum agitabatur curule certamen. *Servius.*

Prælabi] Curuli certamine anticipare. *Taubmann.*


181 *Currus agitare volantis*] Ita Græci ἅρμα πτερόν. Et Phil. in l. de Herede Divinorum πτηνὸν ἅρμα. Et vetus Poëta: *volucri petit æthera curru.* Cerda.


182 *Arma videre Bellantum*] Ælian. de Anim. XVI. 25. scribit: *Ne armorum fremitum, et gladiorum ad clypeos resonantium crepitus equi extimescant, eos ad strepitum et sonitum assuescere cogunt, armataque cadaverum simulacra sub ipsum frænum subjiciunt, ut cæsorum in bello conspectum ferre consuescant, ne rerum terribilium metu affecti ad rem militarem inutiles sint.* Idem.

183 *Bellantum*] Id est, militum; ut *natantes* pro *piscibus*, *venantes* pro *venatoribus*, *medentes* pro *medicis.* Sed hoc alio in loco dictum. *Emmeness.*

Lituosque pati] Nimirum κωδωνίζειν, explorare est et periculum facere, tractum ab equis, qui tinnitu et crepitu tintinnabulorum explorari solebant, an generose strepitus bellicos ferre possent: etiamsi alii a vasis deducant, quorum integritatem pulsu et tinnitu probare etiam solemus. *German.*

Lituos] Explicui per stridorem, quia Lucan. l. I. *stridor lituum.* Et Senec. in Œdip. de hoc instrumento: *stridulos cantus.* Alibi: *stridor litui strepentis.* Stridori affinis acutus sonus. Ennius a Festo adductus: *Inde loci lituus sonitus effudit acuto.* Stat. l. VI. *Et lituis aures circumpulsantur acutis.* Monuit ista Lips. Rom. Milit. l. IV. Lituum ex marmoribus ita effingas. *Cerda.*





Lituos] Non hic *insigne auguratus*, de quo Cic. divinat. I. 17. sed tamen hic locus describit formam. *Lituus Romuli, id est, incurvum et leviter a summo inflexum bacillum, quod ab ejus litui, quo canitur, similitudine nomen invenit.* Idem docet Macrob. Saturn. VI. 8. Nec mirum generosam equi indolem hoc stridoris genere explorari, cum et nonnulli, Martis qui volunt videri filii, non patiuntur tubæ lituive clangorem. Graphice Juvenal. Sat. XIV. 200. *Et trepidum solvunt tibi cornua ventrem Cum lituis audita.* Multa Lambinus ad Hor. od. I. 1. *Emm.*

Tractuque gementem Ferre rotam] Id est, stridentem, strepentem, propter ponderis gravitatem. supra vs. 170. *inanes rotæ*, quæ sunt sine pondere. sic Horat. od. I. 14. *antennæ* dicuntur *gemere.* et od. II. 20. *littora gementis Bospori.* Noster Æn. VI. 413. *gemuit sub pondere cymba.* et XI. 138. *Nec plaustris cessant vectare gementibus ornos.* sic Æn. XII. *dat gemitum tellus*, ubi Æneas et Turnus pugnam ingrediuntur. *Idem.*

184 *Stabulo frenos audire sonantis*] Qui a *frango* derivare hanc vocem contendunt, *quod* nempe *equi frangitur impetus*, diphthongum expungunt. Pro ea sententia libri veteres, et Carrion in notis ad Val. Flacc. *frenabat*, inquit, *sic vetus codex, nec aliter omnia vetustatis monumenta.* qui autem per *æ* scribunt cum Lucretio ab *ære* deducunt originem. Vide Dausq. in orthogr. Frenorum aspectum facere ad excitandum generosum equum ex

Varr. II. 7. notum est. *Frenos suspendendum, ut oculis consuescant, et videre eorum faciem, et e motu audire crepitus.* Æl. de anim. VI. 10. hunc sonitum Ursinus ex Aristoph. scholiaste appellat *κώδωνος ψόφον*. Frequenter quidem neutrum est in plur. numero, sed hunc versum citat Charisius inst. Gramm. l. I. *Idem.*

185 *Blandis gaudere magistri Laudibus*] Est hoc ingeninm equorum, ut plurimum ducantur laude, blanditiis, illecebris. Philo libr. de Agricultura: *ὅταν μὲν οὖν εὐηνίως προέρχηται καταψύχει ὁ ἱππεὺς ὡς ἂν ἐπαινῶν τὸν ἵππον.* Homerus attigit Il. XVII. cum ait, equos non solum minis duci, sed etiam *μειλιχίοισι*, *blandis verbis.* Inde Papin. Theb. VIII. describens notas illorum, quibus bellum erat fastidio, sic ait: *abjecere madentes, Sicut erant, clypeos: nec quisquam spicula tersit, Nec laudavit equum, nitidæ nec cassidis altam Comsit, adornavitque jubam.* Quasi non minor pars rei gerendæ esset equi laudatio, quam reliqua. Isidor. de ingenio equorum, XII. 1. *Dolent, cum victi fuerint, exsultant cum vicerint.* Pulcre ait Plato de ingenio boni equi in Phædr. *τιμῆς ἐραστὴς μετὰ σωφροσύνης τε, καὶ αἰδοῦς, καὶ ἀληθινᾶς δόξης ἑταῖρος, ἄπληκτος, κελεύματι μόνον, καὶ λόγῳ ἡνιοχεῖται.* Ut vero hic *magistri*, ita Græci etiam de beluis *διδασκάλους*. Atque etiam *σημάντορας*. de qua voce vide Notam Rit. in Op. Cyn. II. *Cerda.*

Blandis gaudere magistri Laudibus] Quid valeant blandiora alloquia ad equos, scimus ex exemplis. Sic Orphitum (equi quod est nomen) laudibus prosequitur Flaminius. Quod Sil. Ital. l. V. *Bellatore jubas aptante, Est, Orphite, munus, est, ait, hoc certare tuum: quis opima volenti dona Jovi portet pheretro suspensa cruento? Nam cur hæc alia pariatur gloria dextra?* sic Achilles affatus suum Xanthum, Mezentius Rhœbum. *Emmeness.*

186 *Et plausæ sonitum cervicis*] Infra Æn. XII. *Circumstant properi aurigæ manibusque lacessunt Pectora plausa cavis, et colla comantia pectunt.* Sonum autem illum ex collisione manuum, et palpationem in equis vocant Græci *ποππυσμὸν*, et *ποππύζειν*. *Germanus.*

Plausæ sonitum cervicis amare] Xenoph. l. de re equestri: *καὶ ἅπτεσθαι δὲ χρὴ ὧν ψηλαφώμενον ὁ ἵππος μάλιστα ἥδεται· ταῦτα δέ ἐστι τά τε λασιώτατα, καὶ οἷς αὐτὸς ἥκιστα δύναται ὁ ἵππος, ἤν τι λυπῇ αὐτὸν ἐπικουρεῖν.* Et supra in laudato equo posuerat eum, qui esset *πρᾶος, καὶ χειροήθης, καὶ φιλάνθρωπος.* Auson. *Novit equus plausæ sonitum cervicis amare.* Silius l. IV. *Tum stimulans grato plausæ cervicis honore Cornipedem alloquitur.* Allusit Papin. Theb. IV. nam de Bellona: *Mox et castra subit, ferroque auroque coruscis Mista viris, turmale fremit, dat euntibus enses, Plaudit equos, vocat ad portas, &c.* Et Prudent. Hym. XI. Peristeph. *Non stabulis, blandive manu palpatæ magistri, Imperiumque equitis ante subacta pati.* Forte et Cassiod. I. 18. *Equorum cursus hominum clamoribus incitatur, et sonantium manibus agitur;* nam alius alio fortasse transferat. Hanc equorum palpationem Græci dicunt *poppysma.* Unde verba ista Interpretis Nazianz. Orat. XXIV. *Nec equum præferocem, ac jam ætate aliquanto provectiorem fræni tyrannidem perferre, nisi blanda quædam, et adulalanda manu permulceatur*, libere versa sunt, nam Nazianzen. ipse tantum *κολακείας καὶ ποππυσμάτων*. Et Orat. XXII. extulit verbo *περιποππύζεσθαι*. Inde capies verba Plinii XXVIII. 2. *Fulgetras poppysmis adorari consensus gentium est.* Id est, manuum complosione adorare. Turnebum lege Adv. IV. 15. *Cerda.*

Plausæ sonitum cervicis amare] Hoc pacto Bucephalus domitus ab Alexandro, cum Philippus, et qui circa eum erant, equum, tanquam efferatum nimis aspernabantur. Vide Plutarch. in Alex. Magno. *Emmeness.*

187 *Primo*] Non *primo ubere*, sed *jam primo*, quasi unum lege: ut sit *Jam primo audeat depulsus ab ubere matris.* Philarg.

188 *Inque vicem*] Frenorum scilicet, ne adhuc tenera ora lædantur. *Servius.*

Inque vicem] Celsus, *inque vicem*, sic intelligit, ut sit nonnunquam sine capistris. vel, ut sit in utraque parte ductus facilis. *Philarg.*

Det mollibus ora capistris] Ut frena ori inserebantur, sic capistra capitibus adhibebantur, ne ora læderentur, vel ut interpres Aristophanis ἵνα μὴ σκισθῇ τὸ χεῖλος. ideo περιστόμιον Græci appellant. Vide Hesych. de capistris Sceffer. de r. Vehic. I. 13. *Emm.*

189 *Et jamque tremens*] In cod. nonnullis antiquioribus, *et jam* per distinctas dictiones, conjunctionem, et adverbium, utroque loco scriptum observavi: quam quidem lectionem etiam Comminianus scriptor, ut Carisius ait, diligentissimus, agnoscit. Nam ubi solœcismum per partes orationis fieri ait, versum hunc citat, eo quo dicebamus modo scriptum. Exponitque *jam* pro *etiam*, nunc, conjunctio posita pro adverbio. Eodem modo illud etiam crediderim accipiendum Æn. VIII. *Aut pingui flumine Nilus cum refluit campis et jam se condidit alveo:* de quo loco suo dictum. *Pierius.*

Et jam inscius ævi] Nondum habens ab annis fiduciam. *Servius.*

190 *At, tribus exactis*] Auctor Geopon. γενόμενον δὲ τριετῆ δαμαστέον πρὸ τοῦ γαστριθῆναι. *Dometur, cum fuerit trium annorum, antequam ventosus fiat.* Var. Rust. II. 7. *Sunt qui dicant post annum, et sex menses equulum domari posse, sed melius post trimum, a quo tempore farrago dari solet.* Colum. VI. 29. *Equus bimus ad usum domesticum recte domatur, certaminibus autem expleto triennio, sic tamen ut post quartum demum annum labori committatur.* Cerda.

Ubi quarta accesserit ætas] Quartus annus. Nam ætatem plerunque generaliter dicimus pro anno, pro triginta, pro centum, pro quovis tempore. *Servius.*

Ubi quarta accesserit æstas] Alii *ætas.* Hæc utique lectio omnium fere codicum antiquorum est, uno illo vetustissimo excepto, quem Romanum appellamus, in quo legitur *Ubi quarta acceperit æstas.* Cæterum *ætas* agnoscit Servius, exponitque *quarta ætas*, quartus annus, qui velit ætatem accipi multipliciter. Neque ignorat Varronis præceptum, post annum trinum melius esse pullum domare. mihi vero neque *acceperit*, neque *æstas*, displicent, in tam vetusti codicis testimonio, qui fidem apud me eatenus facit, quum integras variat dictiones. In litteris vero nonnunquam corruptissimus est. Sed ut de Ennio Virgilius profiteri solitus, *ex eo stercore aurum plerunque colligitur.* Pierius.

Quarta accesserit æstas] Sunt qui *æstas* pro *ætas* reponant. non fortasse male. Nam phrasis ista est nota Maroni, bis Æn. I. semel V. *Cerda.*

191 *Carpere mox gyrum*] Innuere videtur τὴν κυκλοτερῆ ἱππασίαν Pollucis, et exprimere Græcorum τὸ καλπάζειν, et καλπᾷν (est id Budæo equum ad ingressum exultantem urgere) quod Pelagonius γυμνάζειν τὸν ἵππον δρόμῳ κάλπης, τῷ λεγομένῳ τριπήδῳ· ut κάλπην pro ea cursus concitatione accipiamus, quam κρικωτὸν πέδην vocat Xenophon. Cæterum fit verisimile, *tripedarios equos* ἀπὸ τοῦ τριπήδου dictos. *Germanus.*

Carpere mox gyrum] Eadem ratione ait Ælian. Histor. Animalium XII. 9. domari equos Indicos, qui maxime feroces sunt. Ceterum gyri circumflexionem ita expressit Pollux, καμπὰς ποιεῖσθαι, καὶ στροφὰς, καὶ ὑποστροφάς. Tibul. l. IV. *curvo contendere gyro.* Manil. *glomerare gyros equo.* Arist. de Gener. et corr. II. 10. ita extulit, κύκλῳ περιεληλυθέναι, *ire in orbem.* et c. 11. κύκλῳ εἶναι, κύκλῳ γίνονται, κύκλῳ

ἀνακάμπτουσι: *Esse in orbe, fieri in orbem, redire in orbem.* Primum certe impetum ad currendum per *minas* expressit Papin. de equo Domitiani. *Acrius attollit vultus, cursumque minatur.* In eodem l. de re longe alia: *citare ad frena.* Cerda.

Gradibusque sonare Compositis] Ἐπισκέλησις Polluci l. I. in re equestri, prima equi inceptio ad gressus glomerandos. Xenophon autem lib. de re equest. est auctor, recte Simonem scriptum reliquisse, sonitu in equis deprehendi pedum bonitatem, quod non secus elata ungula, quam cymbalum resonet. καὶ τῷ ψόφῳ δέ φησι Σίμων δήλους εἶναι τοὺς εὔποδας, καλῶς λέγων· ὥσπερ γὰρ κύμβαλον ψοφεῖ πρὸς τῷ δαπέδῳ ἡ κοίλη ὁπλή. *Germanus.*

Gradibusque sonare] Cum Nonio per *gradus gradientium* intellige *vicissitudinem.* Emmeness.

192 *Sinuetque alterna volum. crur.*] Docet Aristot. in lib. de animal. incessu, quadrupeda non nisi alternis et per diametrum moveri posse, his verbis: αἱ μὲν κάμψεις τῶν σκελῶν τοῦτον τὸν τρόπον ἔχουσι, καὶ διὰ ταύτας τὰς αἰτίας· κινεῖται δὲ τὰ ὀπίσθια πρὸς τὰ ἔμπροσθεν κατὰ διάμετρον, μετὰ δὲ τὸ δεξιὸν τῶν ἔμπροσθεν, τὸ ἀριστερὸν τῶν ὄπισθεν κινοῦσι, εἶτα τὸ ἀριστερὸν τῶν ἔμπροσθεν, μετὰ δὲ τοῦτο τὸ δεξιὸν τῶν ὄπισθεν· αἴτιον δ' ὅτι εἰ μὲν τὰ ἔμπροσθεν ἅμα, καὶ ὄπισθεν, διέσπαστο ἄν, ἢ καὶ προπετὴς ἐγίνετο ἡ βάδισις, καὶ οἷον ἐφελκομένοις τοῖς ὄπισθεν τῇ τάσει, ἔτι δὲ οὐ πορεία, ἀλλὰ ἅλσις τὸ τοιοῦτον. *Germanus.*

Sinuetque alt.] Etiam Plin. *Asturcones* gentis Asturicæ in Hispania equos laudat, VIII. 42. *quibus mollis alterno crurum explicatu glomeratio est, quique tollutim incessus carpunt.* Martial. XIV. 199. *Hic brevis ad numerum rapidos qui colligit ungues, Venit ab auriferis gentibus Astur equus.* Ingens tamen discrimen esse tradunt inter nostros et illos veterum, ut Seneca appellat, *tollutarios.* Taubmann.

193 *Sitque laboranti similis*] Præparetur ad futurum laborem. *Servius.*

Sitque laboranti similis] Hoc est, non vere laboret, ne tædium capiat. Ac, *per aperta volans*, currens. *Philarg.*

Sitque laboranti similis] Ego malim: Anxio conatu gressus concinnitatem affectanti. *Taubmann.*

Cursibus auras Provocet] Simile quid de equis solis Ovid. Met. II. 160. *pennisque levati Prætereunt ortos isdem de partibus euros.* De mira pernicitate equorum Just. XLIV. 1. et 3. qui vento ideo concepti narrantur. de iis vs. 275. *Emmeness.*

194 *Liber habenis*] Hæc vox sæpe cum auferendi casu, ut *libera fatis* superius: sed et gignendi casui jungitur, ut apud Valerium l. VI. *Plebs Romana libertatis Scipionis libera non fuit;* ὁ ῥωμαῖος δῆμος ἀπὸ τῆς σκιπίωνος ἐλευθεροστομίας ἐλεύθερος οὐκ ἐγένετο, veluti Græci eodem quidem casu usurpant adjecta conjunctione, ut in epist. Plato: ἐλεύθερον ἀπὸ βαρβάρων, et ἀπὸ βαρβάρων ἠλευθέρωσε τὴν πόλιν. *Germanus.*

195 *Vix summa vestigia ponat arena*] Alludere videri potest ad Ladan, Alexandri cursorem, qui pendentibus vestigiis vix arenam signabat, cujus Solinus meminit, et Catullus, et Martialis Epig. l. X. *Habeas licebit alterum pedem Ladæ, Inepte frustra crure ligneo curres.* Idem.

Vix summa vestigia ponat arena] *Ponere* et *premere vestigia*, locutio, quæ a gladiatoribus desumta, ut fusius id Gifanius ad Lucret. in indice. Sic Horat. *cum ponit uterque In locuplete domo vestigia.* Emmeness.

196 *Qualis Hyperboreis*] Hyperborei montes sunt Scythiæ: sic dicti, quod supra, id est, ultra eos flat Boreas. Dicit autem, sic currat equus, ut ventus. *Servius.*

Hyperboreis ab oris] Aquilonem ab Hyperboreis oriri, contra Græcorum opinionem, et vocabuli notionem dictum videtur Turnebo. Cum enim

trans Aquilonem Hyperborei incolant, si modo ulli sunt, quomodo is inde oriatur? nisi quis dicat e finibus eorum; citra tamen, eum oriri, v. 4. De *Hyperboreis* vide etiam Plin. IV. 12. et Melam III. 5. *Taubmann.*

Densus aquilo] Ut quem constet densare et constringere, ut Austrum *laxare* et *resolvere*: vide Arist. Meteor. Ut autem, *arida differt Nubila*, dixit, sic Lucret. l. I. *Ingentesque ruit naves, atque arida differt Nubila:* et l. II. *Scintillasque agere, et late differre favillam.* Horat. Epod. X. *Fractosque remos differat.* Et eadem significatione de præcone Theseus in Suppl. Eurip. πόλει τε κἀμοὶ διαφέρων κηρύγματα. *German.*

197 *Arida Nubila*] Sine pluviis. *Servius.*

Differt] Dissipat. *Idem.*

198 *Campique nat. Len. horr. flabris*] Il. Ψ. ὡσεί τε περὶ σταχύεσσιν ἐέρση Λητου ἀλδήσκοντος ὅτε φρίσσουσιν ἄρουραι. Ut autem hic *lenibus flabris*, Sophocl. κούφοις πνεύμασι. Catull. *Horrificans Zephyrus proclives incitat undas.* Germanus.

Campique natantes] Lacus et maria. Lucr. l. VI. *Et liquidam molem, camposque natantes.* Vel, intellige arva jacentia et depressa. *Taubmann.*

199 *Horrescunt*] Contremiscunt. Persius, *Scis comitem horridulum trita donare lacerna.* Id est, trementem. *Servius.*

200 *Longique urguent*] In codicibus aliquot antiquis cum Mediceo, *Longe* legitur, ut sit adverbium pro *valde*. *Urguent* vero, Attiano more, adhuc quædam scribunt exemplaria. *Pierius.*

Urguent] Explicui cum doctis, *urgent se.* Hoc malo, quam illud Grammaticorum: *urgent*, pro *urgentur*. Cerda.

201 *Ille volat*] Scilicet ventus. *Servius.*

Fuga] *Fugere*, pro *currere*, et *fuga*, pro *cursu*, frequentissimum in Poëtis. Supra *Carpere prata fuga.* Pari notione Hom. sæpe φεύγειν: Papin. Th. l. IV. *Hastam intorsit agens, liquido quæ stridula cœlo Fugit.* Cerda.

Æquora] Campum planum æquor appellat. *Servius.*

Verrens] Trahens. *Idem.*

Verrens] Ex Lucretio l. I. nam de ventis: *Quæ mare, quæ terras, quæ denique nubila cœli Verrant.* Cerda.

202 *Ad Elei metas*] Id est, fines Circi. Elis autem civitas Arcadiæ, in qua agebatur curule certamen, et est species pro genere. *Servius.*

Elei campi] Maximi ex omnibus, quod sint pedum septingentorum, cum alii minus. *Philarg.*

Hic vel ad Elei] In Longobardico codice, et in altero pervetusto, *Hic vel ad*, prout vulgata legunt exemplaria, legitur. In Romano, *Hinc et ad Elei*, hoc est ex hujusmodi cura emissus ad certamina. In Oblongo etiam est *et*: non *vel*. Pierius.

203 *Spumas aget ore cruentas*] Quod est signum equi fortissimi, si velut rubras egerit spumas. *Servius.*

204 *Belgica esseda*] Gallicana vehicula. Nam Belgæ civitas est Galliæ, in qua hujuscemodi vehiculi repertus est usus. *Idem.*

Belgica] *Belgica*, Gallica. *Philarg.*

Esseda] *Esseda* autem vehiculi, vel currus genus, quo soliti sunt pugnare Galli. Cæsar testis est libro ad Ciceronem. *Multa millia equitum atque essedariorum habet.* Hinc et gladiatores essedarii dicuntur, qui curru certant. *Idem.*

Esseda] *Essedum*, Horatio *petorritum*, vehiculi genus Belgis usitatum etiam in bello. Hinc *Essedarii* apud Cic. Cæsar. et Sen. Glossæ: *Esseda, bastarna.* Taubmannus.

Esseda Belgica] De nomine, figura, et omnibus quæ spectant *essedum*, sive *essedam* (utriusque enim suppetit auctoritas) nemo luculentius quam Sceffer. de re veh. II. 23. ubi Servium et Philargyrium interpretatur. *Emmeness.*

Molli collo] Domito. ut, *Mollia colla reflectunt*. Servius.

Molli] *Molli* autem mobili dixit, ut, *Oscilla ex alta suspendunt mollia pinu.* Philarg.

205 *Farragine corpus Crescere*] 'Αδρύνεσθαι. *Germanus.*

206 *Ante domandum*] Πρὸ τοῦ πωλοδαμνεῖσθαι· passive accipiendum, ut Calab. l. IX. πάρος κακότητι δαμῆναι. *Idem.*

Namque ante domandum] Antequam domueris. Nec opus, ut novam regulam condas, et passive interpreteris. *Ramus.*

207 *Tollent animos*] Ex Græcis, qui etiam de equis dicunt θυμὸν, et ferocientem vocant θυμοειδεῖ. Philo etiam de Opif. Mundi θυμικώτατον ζῶον ἵππος: *equus animal est animosissimum.* Silius ex Nostro l. IV. *et magnos tollunt animos.* Ut vero placuit Virgil. locutio ista in equis, ita etiam in satis. Ge. II. *animos tollent sata.* Cerda.

208 *Verbera lenta*] Quæ a loro flexibili inferuntur. Sic Plauto in Asinar. III. 2. 29. *Ulmeis affectos lentis virgis.* Phædr. fab. III. 7. *jugum flagello temperat lento meum.* sic *vincula lenta.* Plura de hoc nomine Muret. var. lect. III. 8. *Emmeness.*

Duris parere lupatis] Frenis asperrimis. dicta autem *lupata* a *lupinis dentibus*, qui inæquales sunt. unde etiam eorum morsus vehementer obest. *Servius.*

Duris lupatis] Vere, duris; intelligit enim genus fræni asperrimi, habentis lupos in morsu ipso, unde dictum *lupatum*. *Est* enim *lupus ferreum instrumentum, uncum, simile dentium lupinorum.* Nam Livius l. XXVIII. *In alios lupi superne ferrei injecti.* Ovid. Trist. IV. 6. *lupos* dixit pro lupatis, *duros accipit ore lupos.* Et Amor. I. Nostrum imitans: *Asper equus duris contunditur ora lupatis.* Inde equi feroces Λυκοσπάδες. Pluribus ista Turneb. XI. 28. Vide etiam de lupatis Rhodig. De psellio, quod equis injicitur, cum illi non parent fræno, loquitur Dio Chrysost. orat. XLVIII. *Cerda.*

Lupatis] Teste Sanctio de ellipsi p. 304. *frenis* subaudiendum, iisque lupis armatis, inde Hesychius λύκος τὸ ἐν τοῖς χαλινοῖς σιδήριον. *lupus parvum ferrum in frenis.* ut λύκος Græce ita Latine lupus. Stat. Achilleid. l. II. *non colla jugo, non aspera præbet ora lupis.* Sed quis de his eruditius, quam Scefferus de r. veh. I. 13.? *Emmeness.*

Parere] Ita de equis Græci πείθεσθαι. Artem. I. 58. ἵππον καλῶς πειθόμενον τῷ ῥυτῆρι, καὶ αὐτῷ τῷ ἐλαύνοντι: *equum probe parentem habenæ, et agitatori.* Dio Chrys. Orat. IV. ἵππον εὐμαθῆ, καὶ πειθόμενον: *equum docilem et parentem.* Ita Nazianz. Orat. XXVI. χαλινῷ παιδευθεὶς: *freno eruditus.* Sic et contumaces vocant ἀπειθεῖς, et δυσπειθεῖς, pari translationum filo. *Cerda.*

209 *Firmat*] In veteribus aliquot codicibus *Servat* legitur: sed longe plures *Firmat* habent. *Pierius.*

210 *Cæci amoris*] Latentis Cupidinis. *Servius.*

Cæci amoris] Ita Græcis τυφλὸς ἔρως. Poëtæ qui amorem describunt, huic unice cœcitatem dant. *Cerda.*

Stimulos] Ducta fortassis locutio ab œstro boum, nam et hunc et Græci, et Latini vocant stimulum. Stat. Theb. VI. loquens de tauris: *subdit amor stimulos.* Et Achil. I. *Cum socio pastus nimio candore juvencam Aspicit, ardescunt animi, primusque per ora Spumat amor.* Idem.

212 *Relegant*] Removent. *Servius.*

213 *Flumina lata*] Ne natatus sit facilis. *Idem.*

215 *Carpit enim, &c.*] Ut hic Poëta *carpit*, ita Ovid. in re etiam amoris de Arte I. *invenit artem Fœmina, qua cupidi carpat amantis opes.* Colum. VII. 12. loquens de Venere, qua canes incitantur: *Si teneris conceditur Venus, carpit et corpus, et vires, animosque*

degeneret. Cerda.

Carpit] *Carpere* ut Donatus ad Ter. Ad. IV. 2. 52. est *lædere;* vel ut Non. Marc. *attenuare, auferre.* Stat. Silv. III. *Ne prima genas lanugo nitentes carperet.* Quorum vires paulatim conficiuntur, *carpi* dicuntur. Just. XV. 2. *cum carpi se singulos viderent.* Emmeness.

Uritque videndo] Xenoph. pæd. E. ὡς τὸ μὲν πῦρ τοὺς ἁπτομένους καίει, οἱ δὲ καλοὶ καὶ τοὺς ἄποθεν θεωμένους ὑφάπτουσιν, ὥστε αἴθεσθαι τῷ ἔρωτι. et Apom. A. τοῦτο δὲ οὐδὲ ἁπτόμενον, ἐάν τις αὐτὸ θεᾶται, ἐνίησί τε καὶ πάνυ πρόσωθεν τοιοῦτον, ὥστε μαίνεσθαι ποιεῖν· ἴσως δὲ καὶ ἔρωτες τοξόται διὰ τοῦτο καλοῦνται. Sed et Plato in Cratylo ἔρωτος reddit etymologiam, ὅτι εἰσρεῖ ἔξωθεν καὶ οὐκ οἰκεία ἐστιν ἡ ῥοὴ αὕτη τῷ ἔχοντι, ἀλλ' ἐπείσακτος διὰ τῶν ὀμμάτων. Propert. *Crescit enim assidue spectando cura puellæ, Ipse alimenta sibi maxima præbet amor.* Germanus.

Videndo] Dum videtur. Gerundii modus a passivo. *Servius.*

Videndo] Explicant Grammatici, *dum videtur*, ut velint; sed non necesse. Quid dicent ad Ausonium? qui in Mosella: *perimitque tuendo.* Nam *tueor* passionem non agnoscit. Sed ut velint tamen, iterum. *Cerda.*

Urit videndo] Dum videtur. vs. 454. *vivitque tegendo vitium.* Taubmann.

Uritque videndo Femina] Per oculos amoris descendunt stimuli. Hinc nominantur δᾳδοῦχοι ἔρωτος, Musæus ὀφθαλμὸς δ' ὁδός ἐστιν· ἀπ' ὀφθαλμοῖο βολάων Ἕλκος ὀλισθαίνει, καὶ ἐπὶ φρένας ἀνδρὸς ὁδεύει. Plura, huc spectantia, in delicato illo libello invenias. Quid Noster Ecl. VIII. 41.? *Ut vidi, ut perii, ut me malus abstulit error.* Ovid. Met. XIV. 372. *per o tua lumina, dixit, Quæ mea ceperunt.* Emmeness.

216 *Nec*] In Oblongo codice, *Neque*, quod mollius videtur. *Pierius.*

Nemorum meminisse, nec herbæ] Ita Ecl. VIII. *Immemor herbarum juvenca.* Cerda.

218 *Cornibus inter se*] Vide eandem comparationem Æn. XII. Lucretius autem *cernere* pro *decernere* usurpavit. Concursum autem cornutorum animalium κυρβασίαν vocant Græci. *Germanus.*

219 *In magna silva*] Alii *Sila* legunt: ut sit mons Lucaniæ, quod modo nulla necessitas cogit: ut in Æneide, *Ac velut ingenti Sila sub monte Taburno.* Ubi utrunque speciale est. *Servius.*

Pascitur in magna silva formosa juvenca] Attingitur locus communis de pugnis animalium, propter feminas. Ad hanc rem Papin. Theb. VI. *Non sic ductores gemini gregis horrida tauri Bella movent: medio conjux stat candida prato, Victorem exspectans.* Ovid. Met. IX. *Non aliter vidi fortes concurrere tauros, Cum pretium pugnæ toto nitidissima saltu Expetitur conjux, spectant armenta.* Et Am. II. 12. *Vidi ego pro nivea pugnantes conjuge tauros: Spectatrix animos ipsa juvenca dabat.* Cerda.

220 *Illi alternantes*] Eadem ὑποτύπωσις duelli taurorum rivalium habetur Æn. XII. 716. et accurate expenditur, cumque aliorum Lucani, l. II. Statii Theb. l. II. et III. et IV. et Flacci Arg. II. locis committitur a Scaligero Poët. V. 14. Vide et Plin. VIII. 45. *Taubmann.*

221 *Lavit ater*] Hoc ab illa declinatione descendit: *lavo, lavis, lavit. Fervo, fervis, fervit.* Philarg.

Lavit ater corpora sanguis] Ipse in Æn. XII. *et sanguine largo Colla armosque lavant.* Tale quid Enn. in Hecub. *Pergunt lavere sanguen sanguine.* Locutus quidem Enn. ex archaismo, ut etiam Varr. in satyra dicta Cosmoterine: *Et gens Æneæ miscebit sanguine sanguen.* Observa in Virgilio, et Ennio verbum, *Lavo, lavis.* Ita Titinnus, in Psaltria: *manus lavite mulieres,* pro lavate. Porro sententiæ Virgilianæ similis ista Oppian. Hal. II. Ἤδη δ' ἐκ μελέων λιπαρὸς καὶ ἀθέσφατος ἱδρὼς Χεύεται ἀμφοτέροισιν. Et ista Pa-

pinii loquentis etiam de tauro Th. XII. *ora, et colla cruento Imbre madent.* Cerda.

222 *Versaque*] *Versa*, infesta. Plautus in Casina: *Necesse est versis gladiis depugnarier*, id est, infestis. *Philarg.*

Versaque in obnixos urguentur cornua] In Æn. XII. *cornuaque obnixi infigunt.* Variat hoc per frontes, cum ait: *conversis inimica in prœlia tauri Frontibus incurrunt.* Et Opp. Πρῶτα μὲν ἀντίπρωρον ἐς ἀλλήλους ὁρόωντες Ἄγρια θυμαίνοντι χόλῳ μέγα παιφάσσουσι. Pap. Th. IV. ita extulit: *Ardua collatis obnixi cornua miscent Frontibus, alternaque truces moriuntur in ira.* Et l. VI. loquens etiam de tauris: *rumpunt obnixa furentes Pectora, subdit amor stimulos.* Cerda.

223 *Reboant silvæ*] Resultant, remugiunt. Est autem Græcum verbum. nam apud Latinos nullum verbum est, quod ante *o* finalem, habeat *o*: excepto *Inchoo*: quod tamen majores aliter scribebant; aspirationem interponentes duabus vocalibus, et dicebant *incoho*. tria enim habebant nomina, in quibus *c* literam sequeretur aspiratio; *sepulchrum, orchus, pulcher*: e quibus *pulcher* tantum hodie recipit aspirationem. *Servius.*

Reboant silvæ] Ait Macr. sumtum hoc verbum ab Lucret. qui l. II. *Nec citharis reboant laqueata, aurataque templa.* Ceterum sententiam ipsam vide uti alii. Calab. l. IV. ubi inducit duos tauros pugnantes. περὶ δὲ βρεμέουσι κνλῶναι Βρύχμῃ ὑπ' ἀμφοτέρων. *Fremunt autem colles utriusque mugitu.* Opp. εἰς αἰθέρα δοῦπος ἱκάνει: *in cœlum strepitus venit.* Phœb. ipse in Æn. XII. *gemitu nemus omne remugit.* Cerda.

225 *Victus abit*] Se subducit. Festus habet *abgregare*, quod tamen non semper respondet Græco verbo ἀπιμαγελεῖν, quod est *pudoris causa armentum fugere, seorsum pasci a grege*, deque tauris proprie dicitur. De pugna taurorum multa, et huic Maronis loco similia, Oppianus κυνηγετ. II. 44. et seqq. Phædr. fab. I. 31. et Noster XII. 715. et seqq. *Emmeness.*

Exulat] Extra suum solum habitat. *Servius.*

226 *Multa gemens*] Pro quo Oppian. loco supra citato vs. 73. βαρέα στενάχων ἐπὶ Δάσκιον ἤλυθεν ὕλην. ut Noster hic *multa gemens* Ge. IV. 301. *multa reluctanti.* et vs. 320. *multa querens.* sic Horat. Epod. V. *O multa fleturum caput.* Emmeness.

Plagasque superbi] Sic positum, ut, *et vulnere tardus Vlyxi.* Philarg.

227 *Amores*] Pro eo, quod amamus. Ovid. Met. I. 617. *crudele, suos addicere amores.* ut hic luctus tauri ob amissam vel ereptam vaccam, sic ob acceptam ex sententia feminam gaudium describitur a Flacc. Arg. II. *Qualis per pascua victor Ingreditur, tum colla tument, tum celsior armis Taurus: ubi assueti pecoris stabula alta revisit, Et patrium nemus, et bello, quos ultus, amores.* Emmen.

228 *Aspectans*] Cicero de Catilina, *Retorquet oculos profecto sæpe ad hanc urbem, quam e suis faucibus ereptam esse luget.* Servius.

Et stabula aspectans] Contorsio ista, aut retorsio oculorum, et conversio capitis nota est magni affectus, præsertim indignationis. De Pyrrho relinquente Siciliam ita Plut. in ejus vita. λέγεται δὲ ἀπαλλαττόμενος ἤδη, πρὸς τὴν νῆσον ἀπιδὼν, εἰπεῖν τοῖς περὶ αὐτὸν, οἵαν ἀπολείπομεν, ὦ φίλοι, καρχηδονίοις καὶ ῥωμαίοις παλαίστραν: *Ferunt, cum abiisset Siciliam respexisse, ac dixisse ad suos: O qualem, amici, palæstram relinquimus Carthaginiensibus, et Romanis.* De Annibale cedente Italia ita Liv. l. XXX. *Respexisse sæpe Italiæ littora, et Deos hominesque accusantem, &c.* De eod. Sil. l. XIII. *torvos conversus ad urbem Ductor Agenoreus vultus.* De Jugurtha Sallustius: *Postquam Roma egressus est, fertur sæpe tacitus eo respiciens, postremo dixisse, Urbem venalem, et mature perituram, si emtorem invenerit.* Cerda.

Regnis excessit avitis] Pro *pascuis*. Phædr. I. 31. *sed pulsus regno nemoris.* Sic *rex* unus armenti esse dicitur: Oppian. κυνηγετ. II. 46. εἷς βασιλεὺς ἀγέληφι τυραννεύων, &c. *Unus rex armento imperitans*. et Noster Æn. XII. 719. *Quis pecori imperitet, quem tota armenta sequantur.* De apibus quid notius? Virg. Ge. IV. 75. *Et circa regem atque ipsa ad prætoria, &c.* Emmeness.

229 *Viris exercet*] Ab incultu robur acquirit. *Servius.*

230 *Pernix*] Modo perseverans. Horatius, *Pernicis uxor Apuli. Pernix* autem perseverans, a *pernitendo* tractum est. *Idem.*

Pernix] Legunt et *pernox*. sed *pernix* melius, id est, pertinax. *Phil.*

Pernix] Cur *Pernox* innovari debeat non video, quum vetera omnia exemplaria manuscripta, (de iis loquor, quorum mihi copia fuerit) uno consensu legant *Pernix*. Idque tam manifeste agnoscat Servius, et a *pernitendo* dictum velit. *Pierius.*

Pernix] At Jos. Justus Scaliger Prolegomenis in Manil. novæ Edit. quærit, quid *pernicitati* cum lasso, et jacente? quid tauro etiam non lasso? Quid magis contrarium pernicitati, quam Proverbium βοείῳ ποδί? *Pernix* igitur nugatorium est: quantumvis Servium secutus quidam (ut ait) cervicosus hoc defendat: *pernox*, germanum. Hæc ille. *Pernox* etiam pater Jul. Cæsar agnoscit. *Taubmann.*

Instrato saxa cubili] Nota figura, non saxis. *Phil.*

Instrato saxa cubili] *Instrata* Lucret. l. v. non negative accepisse videtur, sed pro *strata: Hospitibus sævis instrata cubilia fronde.* Negative autem Virgilius, ut Eurip. in Herc. τάσδ' ἕδρας φυλάσσομεν, σιτῶν, ποτῶν, ἐσθῆτος ἄστρώτῳ πέδῳ πλευρὰς τιθέντες. Sic et Plato in Polit. γυμνοὶ δὲ καὶ ἄστρωτοι θηραυλοῦντες τὰ πολλὰ ἐνέμοντο. Contraria significatione infra: *Instratos ostro alipedes.* Germanus.

231 *Carice acuta*] Herba durissima. *Servius.*

232 *Et tentat sese, &c.*] Periculum facit suarum virium. Illa autem trium versuum *arguta* et *rotunda* perpendit Scalig. v. 1. *Taubmann.*

Irasci in cornua] Pari modo in Æn. XII. *Mugitus veluti cum prima in prælia taurus Terrificos ciet, atque irasci in cornua tentat.* Eurip. Pentheo: Ταῦροι δ' ὑβρισταὶ καὶ εἰς κέρας θυμούμενοι: *Irascuntur in cornua, insolentes tauri.* Cerda.

233 *Trunco*] Lucan. l. II. *Taurus in adversis explorat cornua truncis.* Taubmann.

234 *Et*] Non placet quod in Romano legitur *aut sparsa*. Pierius.

Ad pugnam proludit] Ἀψιμαχεῖ unde ἀψιμαχία Polluci. *Proludit* autem, non *præludit:* ut προπαίζειν et προλογίζειν, *proloqui* non *præloqui*. Et Græcis προαγῶνες, *proludia pugnæ* dicuntur, ut excursiones ad prælium lacessendum: quod verbum et ad forum traductum est: unde et Plato l. VII. leg. προαγῶνας *prolusiones certaminum* appellat: et Jurisconsultis *prolusorium judicium* in præjudiciali causa, hoc est, δίκη προαγωνιστική. *Germanus.*

Ventosque lacessit Ictibus, et sparsa ad pug. prol. arena] Videtur mihi gladiatorium verbum *Ventilare* circumscribere, et repræsentare. *Ventilare* siquidem gladiatores dicuntur, cum ante pugnam gladiis motis, et lusoriis ictibus aërem ferientes, proludunt ad certamen. Unde et Seneca XXI. 118. *Quam stultum est, cum signum pugnæ acceperis, ventilare.* Et Martial. Epig. l. v. *Et in toto ventilat arma bove.* Idem.

235 *Post, ubi collectum robur*] Sic Hom. Il. O. νέον δ' ἐσαγείρατο θυμόν. et Apollon. ἀμηχανίῃ δὲ μόλις συναγείρατο θυμόν. Aliter Eurip. in Iphig. et ad verbum: ἀλλὰ σύλλεξαι σθένος, καὶ

πνεῦμ' ἄθροισον, κἆπος ἐκβαλὼν ὁδοῦ· et Epig. l. v. κεκυφότα νῶτα συνέλκων δριμὺ μένος συνάγειρεν. Plato quoque in Protag. ad animum, ut et Latini, transtulit: μόγις πως ἐμαυτὸν ὥσπερεὶ συναγείρας εἶπον βλέψας, &c. Et Hesiod. Theog. ζεὺς δ' ἐπεὶ οὖν κόρθυνεν ἑὸν μένος. κόρθυς γὰρ ὁ σωρός. Idem.

Post, ubi collectum robur, viresque receptæ] In codice A. Colotii ita legitur hic versus: *Ast ubi collectum robur, viresque refectæ.* Ursinus.

236 *Signa movet*] Mancinellus non videtur ad hujus militaris metaphoræ veneres attendisse, qui *signa* indicia interpretatur, ductus aut deceptus levi sequentis a mari comparationis argumento. Nam et Maro hanc ipsam castrensem tralationem apibus tumultuantibus applicavit libro proximo his verbis: *Non illis cunctantibus altum Ire iter, aut castris audebit vellere signa.* Germanus.

Oblitum] Jam securum ex ante acta victoria. *Servius.*

Oblitum] *Oblitum*, quasi exercitationum et virium, quem securitas et amor corruperit, adeo ut nec crederet hostem esse rediturum. *Philarg.*

Oblitum fertur in hostem] Liber Colotianus habet, *oblicum.* Ursinus.

237 *Fluctus ut, in medio*] Sic paulatim taurus movetur ad prælia. *Servius.*

Fluctus ut in medio] In Romano, in Mediceo, in Longobardico, et quibusdam aliis perveteribus codicibus legere est, *fluctus uti medio* absque *in.* Sed in Oblongo suaviori numero legitur, *fluctus uti in medio.* Pierius.

Fluctus ut, &c.] Hæc autem *Comparatio*, qua (ut Scalig. ait) et alios omnes Noster superat, et seipsum provocat, habetur et Æn. vii. 528. ubi Not. vide. *Taubmann.*

Albescere] Illustrat hæc Germ. ex Apoll. l. i. ἐλευκαίνοντο κέλευθοι. Æschylo in Pers. θαλάσσης πολιαινομένης πνεύματι. Homero Il. xiii. φαληριόωντα κύματα. Maro ipse in Æn. viii. *fluctu spumabant cærula cano.* Addo istis Aristotelem, qui φαληριῶντα πυρσὰ, Rhet. iii. 11. Ovid. Met. ii. *Cum mare sub noctem tumidis albescere cœpit Fluctibus, et præceps spirare valentius Eurus.* Ceterum de albicante mari, cum est quietum; nigrescente, cum horrescit, legendus Aristot. Sect. 23. Quæst. ultima, ubi quærit, διατί τὸ γαληνίζον τῆς θαλάττης λευκὸν φαίνεται· τὸ δὲ κατάφορον, μέλαν; Inde docte Virgilium Turnebus explicat: et illi assentitur Germanus. Nam incipiente tempestate, partes, quæ nondum omnino iratæ, videntur albescere, et vernare. Ex eadem doctrina in Æn. vii. *Fluctus ubi primo cœpit cum albescere vento, Paulatim sese tollit mare, et altius undas Erigit, inde imo consurgit ad æthera fundo.* Cerda.

238 *Sinum trahit*] Curvaturas suas trahit ex alto mari, magnamque vim aquarum adducit. *Cerutus.*

239 *Immane*] Adverbium est. *Servius.*

Neque] In quibusdam *nec.* In Longobardico, in Mediceo, quod dulcius est, *Neque ipso.* Pierius.

241 *Verticibus, nigramque subjectat arenam*] In Romano, in Mediceo codice, *verticibus* more suo, contra Capri sententiam; et, quod forte non displiceat, *subvectat*, in Romano est. *Pierius.*

Verticibus] *Aquis in se contortis*, Quintil. *Taubmann.*

242 *Omne*] Q. d. In unoquoque genere suus furor et stimuli sunt amoris, quibus ad libidinem concitentur. De quo Aristot. Hist. animal. vi. 18. *Taubmann.*

243 *Pictæque volucres*] Varii coloris pennas habentes, versicolores, ut *picta cauda* Horat. Sat. ii. 2. Noster Ge. iv. 342. *pictæ pelles.* vide quæ diximus ad Ecl. ii. 50. *Emmeness.*

244 *Ruunt*] Ita Manil. l. iii. de omni genere ferarum: *In Venerem,*

partumque ruit. Oppian. Cyn. I. ταῦροι δ' ἀγροτέρας ἐπὶ πόρτιας ὁρμαίνουσι: *Ruunt tauri in agrestes vaccas.* Horat. od. II. 15. *tauri ruentis In Venerem tolerare pondus.* Obiter illustro Horatium. Sumpsit ab Aristot. Hist. VI. 21. qui ita de tauro: βαίνει δὲ σφοδρῶς, ὥστε συγκάμπτεσθαι τὴν βοῦν, *Incumbit ita vehementer, ut vacca non tolerans succumbat.* Cerda.

Amor omnibus] Id est, in unoquoque genere unus est amor, id est, similis. ut puta in lupis unus est amor, id est, similis. Item in equis, et aliis omnibus, pro qualitate sui generis. sicut alibi ait, *Sopor suus occupat artus;* id est, ipsis aptus. Nam in omnibus animalibus non est amor unus atque idem; sed in singulis generibus, pro qualitate naturæ. *Serv.*

245 *Catulorum oblita*] Vi scilicet nimii amoris. *Idem.*

Leæna] Græcum est, sicut *dracæna.* nam nos hic et hæc *leo* dicimus (lea namque usurpatum est) quia in *o* exeuntia masculina, fœminina ex se non faciunt. ut *fullo, latro, leo.* Idem.

Leæna] Seneca, *Pœni quatiunt colla leones Cum movit amor: tum silva gemit Murmure sævo.* Aristot. Hist. Anim. VI. 18. καὶ γὰρ ἄρκτοι, καὶ λύκοι, καὶ λέοντες χαλεποὶ τοῖς πλησιάζουσι γίνονται περὶ τὸν καιρὸν τοῦτον: *Ursi, lupi, et leones acrius sæviunt per id temporis, si qui ad illos accesserint.* Cerda.

247 *Informes ursi*] Vel magni: vel qui tempore quo nascuntur, forma carent. dicitur enim quædam caro nasci, quam mater lambendo in membra componit. *Servius.*

Informes ursi] His Oppianus dat Venat. l. III. πολλὴν κυθέρειαν: *immoderatam libidinem.* et reddit rationem, qui cum aliis feris stata sint tempora concubitus, ursi æstuant perpetua libidine. Sed cur *informes?* An quia catulos edant sine forma, et forment lambendo? Esto, hoc verum sit, ut astrui potest ex Arist. Hist. Anim. VI. 30. Plutarcho in libello de amore prolis, qui hoc expresse asserit; Oppiano Cyn. III. Ovidio Met. XV. Plinio VIII. 36. Solino c. 39. Isidoro XII. 2. et ferme ex veteribus omnibus. Quam tamen rem falsam esse asserunt, qui nostro, aut parentum ævo scripserunt. Verissime isti; nam venatores in capta ac dissecta ursa inveniunt catulos, membris omnibus discriminatos. Caussam prisci erroris conjiciunt in secundas, nam istæ crassæ admodum sunt, illisque nascuntur catuli adeo involuti, ut non nisi lambendo et multa opera revellantur. Sed esto (inquam) astrui possit vetus opinio ex tot Auctoribus; certe interpretes, qui informitatem Virgilii referunt ad partum, re abeunt, cum Vati sermo sit de ursis jam grandibus. Deferenda sententia est ad corpora ursorum; est enim vastum, et turpe (sic dicam) animal. Oppianus Cyn. III. Idem Oppian. Hal. V. χαιτήεσσαι ἄρκτοι πεφρίκασι: *horrent setosi ursi.* Basil. 'Ομ. ἑξ. IX. ita describit corpus ursorum: βαρὺ, συμπεπηγὸς, ἀδιάρθρωτον: *grave, compactum, indistinctum.* Plutarchus in libello de Philostorgia, ἄρκτος, ἀγριώτατον, καὶ σκυθρωπότατον θηρίον: *Ursus, animal deformissimum, tristissimum.* Ovid. Trist. III. 5. *turpes ursi.* Demum Græci ad verbum, ἄρκτοι, ἄμορφοι: *ursi informes.* Cerda.

248 *Tum sævus aper*] Notas sævientis apri, cum amat, has exhibet Oppian. Cyn. l. III. κατὰ δ' αὐχένας ὀρθαὶ Φρίσσουσι τρίχες, οἷα περισσολόφων πηλήκων. 'Αφρὸν ἀποσταλάεσκε κατὰ χθονὸς, αὐτὰρ ὀδόντων Πολλὸν ἐπικροτέει λευκόχροον ἄσθματι: Pulcra est descriptio Apul. l. VIII. *Aper immanis, atque inusitatus exsurgit, toris callosæ cutis obesus, pilis inhorrentibus, corio squalidus, setis insurgentibus, spinæ hispidus, et dentibus attritu sonaci spumeus, aspectu minaci, impetu sævo frementis oris, totus fulmineus.* Hom. Il. XIII. ita describit. φρίσσει δέ τε νῶτον ὕπερθεν. 'Οφθαλμὼ δ' ἄρα οἱ πυρὶ λάμπε-

τον· αὐτὰρ ὀδόντας θήγει. Et Od. xix. Φρίξας εὖ λοφιὴν, πῦρ δ' ὀφθαλμοῖσι δεδορκώς. Ovid. viii. *Sanguine et igne micant oculi, riget horrida cervix, Et setæ densis similes hastilibus horrent:* Addit plurima. Claud. de apro quem occidit Hercules: *Fulmen ab ore venit, flammisque furentibus ardet Spiritus, et terram non cœli flamma perurit, Sed flatus monstri.* Cur vero aper animal sit admodum ferox et acre, rationem reddit Arist. de Partib. Anim. ii. 4. quod nimirum ejus sanguis refertissimus sit fibris: idemque scribit de tauro. *Idem.*

249 *Solis*] Desertis. *Servius.*

Solis] Sic Ovid. Met. ii. 489. *sola non ausa quiescere silva.* Ter. Phorm. v. 7. 86. *deportarier in solas terras.* Plaut. Rud. i. 3. 22. *Solis locis composita sum.* Emmeness.

Erratur] In antiquissimo codice, *versatur* legitur, quod non placet: nam *errare* pertinet ad solitudinem, *Versari* ad frequentiam. In Mediceo, *erravit* habetur. Sed neque id receptum. *Pierius.*

Lybiæ in agris] Serpentibus plenis. *Servius.*

250 *Nonne vides*] Hic exorsus carminis aliquoties placuit Virgilio ad imitationem Lucretii, cui sæpissime. Philo lib. περὶ ἀφθαρσ. κοσ. periodum quoque ita inchoat οὐχ ὁρᾷς. Ut et Demosthen. de falsa legat. οὐχ ὁρᾶτε. *Cerda.*

Tota tremor pertentet equorum Corpora] Signatis sermonibus utitur, ad vim exaggerandam; dicens et *tota corpora*, et *pertentet*, id est, *penitus tentet:* cum dicat levem odorem equarum. *Servius.*

Tremor] Ita Arist. Hist. Anim. vi. 2. loquens de avib. in coitu: φρίττουσι, καὶ ἀποσείονται: *Horrescunt, et excutiuntur.* Exprimitur enim per tremorem titillatio Venerea. *Cerda.*

251 *Notas odor attulit auras*] Hypallage est, pro auræ odorem apportaverint notum. *Servius.*

Notas auras] Notos e naturalibus equarum halitus. Varro ii. 7. Col. vi. 27. *Taubmann.*

252 *Frena virum*] Pro virorum fortium. *Servius.*

253 *Rupesque cavæ, atque objecta retardant*] Ad illud superius respicit, *Post montem oppositum, et trans flumina lata.* Idem.

Non scopuli, rupesque cavæ, &c.] Il. Φ. οὐδέ μιν ἔσχε Πόντος ἁλὸς πολιῆς, ὃ πολέας ἀέκοντας ἐρύκει. Et Varius: *Non amnes illam medii, aut ardua tardant.* Germanus.

254 *Flumina, correptosque*] In Mediceo, in Romano, in Longobardico, et in aliquot aliis veteribus codicibus legere est, *correptosque unda.* Nam quum dixerit, *objecta retardant flumina,* non incongrue alterum participium subjungit, quippe, *Torquentia montis correptos unda.* cui particula adjungitur copulativa. In nonnullis *correptos* sine copula. *Pierius.*

255 *Sabellicus exacuit sus*] Sabinus: et est species pro genere. Dicit autem suem domesticum, quem cicurem vocant. nam de apris supra ait, *Tunc sævus aper:* hoc enim vult probare, non tantum feras, sed et mansueta animalia amore in furorem moveri. *Servius.*

Dentes exacuit sus] Hoc Hesiod. in Scuto. Hom. Il. xiii. de sue agresti ita: θήγει ὀδόντας. Euripid. Phœn. θήγοντες ἀγρίαν γένυν. Ovid. per verbum *tero* Met. viii. *Dentibus ille ferox in querno stipite tritis.* Sed, *in stipite,* falso. *Cerda.*

Dentisque Sabellicus exacuit sus] Videntur errare, qui statuunt, apros dentibus dentes acuere, nam Plinio xi. 27. et usu teste, aprorum dentes *exerti* sunt. Quos *fulmineos* Poëtæ appellant passim. Horat. od. iii. 20. eandem habet locutionem *hæc denteis acuit timendos.* Negat hic *cicurem* intelligendum Victor. var. lect. xii. 9. qui totum hunc de aprorum furore exponit locum. Cicures inveniri

apros, docet Varro de r. r. III. 13. *Emmeness.*

256 *Prosubigit*] Fodit, et pedibus impellit alternis. quod pugnaturi sues facere consueverunt, ad acquirendum robur. Unde etiam latera et costas terentes, durant ea in futura certamina. *Servius.*

Pede prosubigit] Plin. VIII. 52. *Suibus maribus in coitu plurima est asperitas. tunc inter se dimicant, indurantes attritu arborum costas, lutoque se tergorantes* (alii leg. *stercorantes*). Vide P. Victor. XII. 9. *Taubmann.*

257 *Hinc atque illinc*] Et a pedum motu, et ab attritione costarum. *Servius.*

Hinc atque illinc] Ἔνθεν καὶ ἔνθεν, δεῦρο κἀκεῖσε. *Germanus.*

Humeros] In Romano, in Mediceo, et aliquot aliis antiquis legere est *humerosque ad vulnera,* ut illud uno membro concludatur, *Fricat arbore costas, Atque hinc atque illinc.* Pierius.

Humeros durat] Sic Lucret. l. v. *Atque opere in duro durarent membra, manusque:* supra, *durare solum.* Ut autem hic *pede prosubigit terram,* Hesiodus ποσσὶ γλάφει. *Germanus.*

258 *Quid juvenis*] Ne forte occurreret, illa animalia carere ratione; dicit etiam gravius homines in amore moveri. Fabula talis est: Leander Abydenus et Hero Sestias fuerunt invicem se amantes. Sed Leander ad Heronem natatu ire consueverat, per fretum Hellesponticum; quod Seston et Abydon civitates interfluit. Cum igitur juvenis oppressi tempestate cadaver ad puellam delatum fuisset, illa se præcipitavit e turri. *Servius.*

Juvenis] Leandri nomen occultavit, quia cognita erat fabula. *Philarg.*

Quid juvenis] Innuit Poëta Leandrum, ut patet ex contextu: de quo Musæus ad sententiam hujus loci, καὶ νύχιον πλωτῆρα θαλασσοπόρων ὑμεναίων. De quo et Ep. l. VII. νηχόμενος Λείανδρος, ὅσον κράτος ἐστὶν ἐρώτων, Δείκνυεν ἐννυχίου κύματος οὐκ ἀλέγων. *Germanus.*

Versat in ossibus ignem] Catul. *Ignis mollibus ardet in medullis.* Cerda.

260 *Nocte natat cæca serus freta*] Ordo numerusque harum dictionum varius admodum in antiquis exemplaribus invenitur. In Romano enim codice, in Mediceo, et in Longobardico sic habet, *Nocte natat cæca serus freta:* Alcmanio numero tetrametro hypercatalectico. In Oblongo, dictiones ultimæ ita variant, *Nocte natant cæca freta serus:* Alcmanio tetrametro catalectico numero. *Pierius.*

Nocte cæca] Lucret. l. I. *non tibi cæca Nox iter eripiet.* Cerda.

261 *Porta tonat cæli*] Aër nubibus plenus, per quem iter in cælum est. *Servius.*

Porta tonat cæli] Turnebus XVIII. 27. *Portam* pro hemisphærio cœli dictam accipit. V. N. Æn. x. 5. *Taubmann.*

262 *Nec miseri possunt revocare parentes*] Hoc est, amor parentum. *Servius.*

263 *Crudeli funere virgo*] Ita hic *virgo,* quemadmodum ibi de Pasiphaë: *Ah virgo infelix.* Philarg.

Moritura super crudeli funere virgo] Ut vidit in littore exstinctum Leandrum suum Hero, ut, canit Musæus in fine libelli: ἀπ' ἠλιβάτου πέσε πύργου Κὰδ δ' Ἡρὼ τέθνηκε σὺν ὀλλυμένῳ παρακοίτῃ. *Emmeness.*

264 *Lynces Bacchi variæ*] Videtur voluisse retinere Græcam vocem, et epitheton: Eurip. siquidem λύγκας βαλιὰς, et ἔλαφον βαλιὸν, τουτέστὶ κατάστικτον, vocavit: et Plutarch. in libro de Poët. aud. ὦ μηχάνημα λυγκὸς αἰολώτερον. Allusisse quoque apparet ad genus pantherarum, quæ *variæ* appellantur, *a macularum varietate* spectabiles: unde Plin. VIII. 17. *Nunc varias et pardos, qui mares sunt, appellant in eo omni genere creberrimo in Africa, Syriaque.* Infra Æn. I. *maculosæ tegmine lyncis.* Germanus.

Quid lynces Bacchi] Salmas. Plin. exerc. p. 389. *uncem* appellatam lyncem testatur. *διφυὲς γένος λύγκας ὑπήσαιο.* Oppian. *κυνηγετ.* III. 84. et seqq. majus et minus, ut illic videre est. Rejecta Isiodori XII. 2. etymologia *ἀπὸ τοῦ λύκου*, quam refutat Salmas. Plin. exercit. p. 88. eam amplectimur, quæ derivat *ἀπὸ τῆς λύκης*, bestia enim est, velut Suidas, *ὀξυδερκής*, et ut Oppian. *εὔγληνος*. Teste Plinio XXVIII. 9. *clarissime omnium animalium videt.* Unde Horat. Sat. l. I. *contemplari oculis lynceis.* et tritum illud : *Lyncis perspicacia.* Vult Plinius XI. 51. lyncas generari in Æthiopia, Ovidius in India, Met. XV. 413. *Victa racemifero lyncas dedit India Baccho.* Bene *Baccho*, cui dicatæ, cujusque feruntur trahere currum, ut idem Met. IV. 24. *In bijugum pictis insignia frenis Colla premis Lyncum.* et l. III. de tigribus, pantheris, et lyncibus idem testatur vs. 668. Stat. Theb. IV. *Materna ad mœnia currus Promovet, effrenæ dextra, lævaque sequuntur Lynces.* Sed de his bestiis copiosius et eruditius scripserunt Gesnerus de quadruped. l. I. Aldrovand. de quadruped. I. 3. *Emmeness.*

Variæ] *Maculosæ*, Æn. I. 327. nam, *maculis distincta terga* habent juxta Isiod. XII. 2. *Varius*, Græce *ποικίλος*, proprie de coloribus dicitur. Virg. Æn. IV. 202. *variis sertis.* Ter. E. IV. 4. 16. *varia veste.* Plaut. Epid. I. 1. 15. *varie valere*, id est, tergum virgis et loris cruentatum habere. v. Taubm. ad hunc locum, et Salmas. Plin. exercit. p. 213. Inde *variare*, pro *varios colores inducere*, ut *tergum variare virgis* apud Plaut. et Nostrum G. I. 441. de Sole, *maculis variaverat ortum.* Idem.

265 *Inbelles*] Licet inbelles, tamen moventur in pugnam. *Servius.*

Quid, quæ inbelles dant prælia cervi] Naturam ejus pronam ad libidinem aperit Arist. Hist. Anim. I. 29. cervum vocans, animal *φύσει λάγνον*, *naturæ libidinosum.* Et Opp. Cyn. II. *Τρηχὺς δ' αὖτ' ἐλάφοισιν ἔρως πολλή τ' ἀφροδίτη, Καὶ θυμὸς ποτὶ λέκτρον ἀναιθόμενος πρόπαν ἦμαρ*: *Est cervis amor vehemens, et Venus plurima, animusque ad concubitum ardens diem totum.* Cerda.

266 *Furor insignis*] Notabilis et præcipuus. *Servius.*

Scilicet ante omnis furor est insignis equarum] Arist. Hist. Anim. VI. 18. *τῶν δὲ θηλειῶν ὁρμητικῶς ἔχουσι πρὸς τὸν συνδυασμὸν, μάλιστα μὲν ἵππος, ἔπειτα βοῦς*: *Incenduntur libidine ex fœminis equæ potissimum, deinde vaccæ.* Theocr. εἰδ. II. *καὶ πῶλοι μαίνονται ἀν' ὤρεα, καὶ θοαὶ ἵπποι*: *Et pulli furunt in montibus, et equæ veloces.* Ovid. Art. II. *In furias agitantur equæ, spacioque remota Per loca dividuos amne sequuntur equos.* Inde Aristot. dicto loco ait, verbum *ἱππομανεῖν*, traduci ab equabus, opprobrii loco, ad mulieres libidinosas. *Cerda.*

Furor equarum] Hunc furorem ad Venerem in equis Græci dicunt *ἱππομανεῖν*. in canibus *σκυζᾶν*. in suibus *καπριᾶν*. in tauris *ταυριᾶν*. in his, et reliquis *ὀργᾶν*. Nam de apro Arist. Hist. II. 1. *ὀργᾷ ὀχεύεσθαι. prurit ad coitum.* Obvium denique hoc verbum in aliis animantibus. De agris gestientibus accipere semen dixit Plin. *catulitionem.* XVI. 25. Sed et voces peculiares inesse animantibus, in eo furore, Aristot. scribit Hist. IV. 9. adhibetque exemplum in suibus, capris, ovibus, et potissimum in ranis. *Cerda.*

267 *Et mentem Venus ipsa dedit*] *Mentem dare, injicere*, Græce *ἐμβαλεῖν, ἐμποιεῖν νοῦν, ἔννοιαν*, est *excitare desiderium in pectore alicujus.* de hac locutione videndus Petr. Victor. var. lect. VII. 5. *Emmeness.*

Glauci Potniades malis membra absumsere quadrigæ]. *Potnia* civitas est, de qua fuit *Glaucus*: qui cum sacra Veneris sperneret, illa irata equabus ejus immisit furorem, quibus utebatur

ad currum, et eum morsibus dilaceraverunt. Ordo autem talis est, Quo tempore Glauci membra malis absumpserunt Potniades quadrigæ. Hoc autem ideo fingitur, quod eis furorem Venus immiserit, quia dilaniatus est Glaucus, effrenatis nimia cupiditate equabus, quum eas cohiberet a coitu, ut essent velociores. *Servius.*

Glauci] Glaucus Sisyphi filius, cum ad mimicum certamen quadrigam duceret, adplicuit ad vicum Bœotiæ, et equas potum ad fontem sacrum per ignorantiam duxit, unde qui bibissent, in furorem agi solebant. Itaque illum equæ furore exagitante in ipso certamine curru effudisse, ac morsibus laniasse dicuntur. *Philarg.*

Quo tempore Glauci Potniades absumsere quadrigæ] De Glauco, præter ea quæ a Servio et a Probo referuntur, sunt qui scribant, Glaucum Sisyphi, quum ad mimicum certamen quadrigas duceret, ad vicum Bœotiæ Potnias applicasse, fuisse vero ibi fontem sacrum, ex quo qui biberent, insanirent, aut furore corriperentur: equas eo potu a Glauco per ignorantiam ductas, a potuque furore correptas, in ipso certamine curru dominum effudisse, ac morsibus dilaniasse. Virgilius pro commodo suo rem furori adscribit Venereo. *Pier.*

Glauci Potniades, &c.] De Glauco, Sisyphi filio, qui discerptus est ab equabus Pausanias Eliac. post. l. VI. De puteo autem, sive fonte, qui Potniis est, et equas in furorem agit ex eo bibentes, idem in Bœot. l. IX. *Emmeness.*

269 *Trans Gargara, transque sonantem Ascanium*] *Gargara* pro quibuslibet montibus, sicut *Ascanium* pro quibuslibet fluminibus posuit: quod etiam sequentia indicant. *Servius.*

Gargara] De Gargaris supra dictum: *et ipsa suas mirantur Gargara messes.* Philarg.

270 *Ascanium*] *Ascanius* amnis est Mysiæ. sed quæ in Asia est. *Idem.*

Ascanium] Strab. lib. XII. Ut hic *sonantem Ascanium*, ita Aristoph. in νεφ. ποταμοὺς κελάδοντας. In Æn. XII. *fluminibus sonoris.* Catul. in Car. sec. ad Dianam: *amnium sonantum.* Sibylla in Acrost. ποταμοὺς καχλάζοντας. Ursin. et Achil. Statius. *Cerda.*

Superant montis, et flumina tranant] Hoc etiam Varro dicit, *in Hispania ulteriore verno tempore equas, nimio ardore commotas, contra frigidiores ventos ora patefacere ad sedandum calorem, et eas exinde concipere et edere pullos, licet veloces, diu tamen minime duraturos. Nam brevis admodum vitæ sunt.* Servius.

Flumina tranant] Lucret. l. I. *et rapidos tranant amnes.* Cerda.

271 *Continuoque avidis ubi*] Hæc consecutio vocum *continuo ubi*, observata, ut elegans, Godescalco. Ita Terent. Hec. *Aderit continuo, hæc ubi ex te audierit.* Idem.

272 *Quia vere calor redit ossibus*] In Romano cod. *Quia vere redit calor.* In aliis, *vere calor quia.* Pierius

Quia vere calor redit ossibus] Unde Lucret. l. I. *Nam simul ac species patefacta est verna diei, Aëriæ primum volucres te, diva, tuumque Significant initum:* ubi *initum*, non ut docti viri amici mei, *initium* accipio, sed ὀχείαν, et admissuræ tempus. *Germanus.*

273 *Ore omnes versæ in Zephyrum*] *In*, pro contra. In fœtura res incredibilis est in Hispania, sed est vera; quod in Lusitania ad Oceanum, in ea regione ubi est oppidum Olysippo, monte Tagro, quædam e vento concipiunt certo tempore equæ; ut hic gallinæ quoque solent, quarum ova ὑπηνέμια appellant: sed ex his equis qui nati pulli, non plus triennium vivunt. Varro de re rust. II. 1. *Phil.*

Ore] Plerique *os naturalium* hic intelligunt. Colum. VI. 27. Varro II. 1. Et Plinius VIII. 42. *Constat* (inquit)

in Lusitania equas, Favonio flante, obversas animalem concipere spiritum, idque partum fieri, et gigni pernicissimum ita; sed triennium vitæ non excedere. Philes idem de vulturibus tradit; Aristot. de perdicibus. *Taubmann.*

Versæ in Zephyrum] In Romano codice, *versæ ad Zephyrum*, nequaquam displicet: quamvis non improbem, *in Zephyrum*. Pierius.

274 *Exceptant*] Frequenter excipiunt. *Servius.*

Exceptantque] Frequentativum fecit ab excipiendo, hoc est, crebro excipiunt. *Philarg.*

275 *Et sæpe sine ullis Conjugiis*] Hoc etiam Varro. *Idem.*

Sine ullis conjugiis] Sine maris coitu, ut hic *conjugium* pro equis sive maribus, sic passim *matrimonia* pro *uxoribus* apud Justinum, Florum et alios. De equis, e vento natis, Modius nov. lect. Epist. 74. et Wouwer. Polymath. c. 11. plurima collegit. *Emmeness.*

276 *Saxa per et scopulos*] Ad gustum hujus versus factus ille Papinianus Th. IV. *Saxa per, et plenis obstantia flumina ripis.* Cerda.

277 *Non 'Eure*] Idem plane Aristoteles. de quo vide P. Victor. VII, 6. *Taubmann.*

278 *Caurum*] Pro *Corum*, sicut *saurex* pro *sorex*, *caulis* pro *colis*. Serv.

Caurumque] In Romano codice *Chaurum* per *ch* aspiratum scribitur. In Longobardico, *Chorum*. ut ex *Aula*, *Ola*: atque ita sæpe pro vento apud alios etiam auctores, adspiratione tantum excepta. *Pierius.*

Caurum] De hoc vento Gell. II. 22. ἀργέστης Græce, et unde flet Salmas. Plin. exercit. pag. 1244. *Emm.*

Nigerr. Auster] Quia *nebulosus et humectus est*, ut ait Gell. II. 22. νοτὶς enim *humor* est; unde νότος dictus *Auster*. Taubmann.

279 *Et pluvio contristat frigore cælum*] In Romano codice, *Pluvio sidere* legitur. Sed hoc loco magis placet *frigore* Eruditis: ut cum eo faciat, *et agentes frigore ventos.* Pierius.

Contristat frigore cælum] Ita Æn. X. de ardore Sirii: *lævo contristat lumine cælum.* Ab Nostro Horatius Sat. I. *inversum contristat Aquarius annum.* Et Columel. loquens de anno, III. 20. *contristatur.* Cerda.

280 *Hinc demum, Hippomanes*] Scit lectum esse apud Hesiodum, herbam esse quandam, quæ *hippomanes* vocatur, quasi ἵππου μανία, si enim eam comederint equi, furorem patiuntur. Unde nunc adjecit, *Vero quod nomine dicunt.* Nam vult illam herbam abusive *hippomanes* dictam; quod possint equi furere et alia quacunque ratione. Re vera autem *hippomanes* dicit esse virus, defluens ex equarum inguinibus, quo tempore feruntur amoris furore. ut sit *hippomanes*, virus natum ἀπὸ τῆς μανίας τῆς ἵππου. *Servius.*

Hinc demum] Ordo: *Hinc virus lentum ab inguine destillat, quod vero nomine Hippomanes dicunt pastores*: vero nomine, quoniam Theocritus herbam dicit nasci in Arcadia, qua gustata, equæ in libidinem ardescunt. et Theophrastus, carunculam in fronte equini pulli: quæ ad veneficia et amatoria facere existimarunt. *Philarg.*

Hippomanes] Ἀπὸ τῆς ἵππου μανίας, id est, ab equæ insania, defluens ex equarum inguinibus, quo tempore virus natum ἀπὸ τῆς μανίας τῆς ἵππου. *Idem.*

Hinc demum Hippomanes] In Romano, et in Mediceo codice *hic*, hoc est, hoc tempore destillat. *Pierius.*

Vero q. nomine] Nomine a re ipsa imposito: ἔτυμον suum inde habent: quippe τῆς ἵππου μανία: *virus amantis equæ*, Tibullo. *Hippomanes* autem intelligere videtur Noster, neque φυτὸν illud Theocriti Idyll. II. aut Servii; neque τὸ φῆμα Aristotelis, de quo et

Æn. IV. *Quæritur et nascentis equi de fronte revulsus, Et matri præreptus amor:* sed humidum viscidumque quasi menstruum ἐκ τοῦ αἰδοίου ἐκρέον ὅμοιον γονῇ. quæ sententia et Probi est. *Taubmann.*

Hippomanes vero quod nomine dicunt] Operæ pretium est, inspicere disputationem Salmasii exercit. Plin. p. 939. et seqq. ubi Servium et Philargyrium, veteres licet Maronis interpretes, quid sit *Hippomanes*, ignorare ostendit. Locus prolixior est, quam ut hic inseratur. ejus sententiam confirmat Torr. ad Hor. od. I. 25. ad illa verba, *Cum tibi flagrans amor et libido Quæ solet matres furiare equorum.* Emmeness.

281 *Lentum virus*] Viscidum. *Serv.*

Destillat] In Romano, in Mediceo, in Longobardico, et aliquot aliis codicibus antiquis *destillat* per *de* scribitur, a loco enim est motus. in quibusdam *distillat*. Pierius.

Destillat ab inguine virus. Omnino hinc Tibul. II. 4. *Hippomanes cupidæ stillat ab inguine equæ.* Et Lucanus l. IX. *Liquitur, et nigra destillant inguina tabe.* Et interpres Sibyllini carminis l. I. *Quorum mortiferum destillat ab ore venenum.* Cerda.

282 *Legere novercæ*] Hinc etiam Propert. *in me Hippomanes fœtæ semina legit equæ.* Idem.

Novercæ] Juvenal. Sat. VI. *Hippomanes carmenque loquar, coctumque venenum Privignoque datum?* Taubm.

283 *Miscueruntque herbas, et non innoxia verba*] Exprimit augmenta malitiæ novercarum, quæ virus herbis et cantibus herbarum armant venena. *Servius.*

Miscueruntque] In Romano codice, *Miscuerintque* scriptum est, Subjunctivo modo, veluti etiam superiore libro, ubi loquitur de *Malo Medico.* Sed enim *miscuerunt*, Doctorum omnium consensu receptum est. *Pier.*

Non innoxia verba] Disserit Plin. XXVIII. 2. an verbis et carminum incantamentis quædam vis insit in medendo, &c. quem vide. ut Noster hic *Hippomanes et non innoxia verba* conjungit, sic Juvenal. VI. 131. *Fœda lupanaris tulit ad pulvinar odorem, Hippomanes carmenque loquar.* Emmeness.

284 *Fugit*] Ita Theocr. εἰδ. II. χρόνος φεύγων. Et Calpurn. Ecl. II. *sed fugit ecce dies.* Virg. sup. *Optima quæque dies miseris mortalibus ævi Prima fugit.* Lege Senecam epist. CVIII. expendentem Poëtæ verba. Hieronym. quoque epist. CXXXIX. Poëtæ versum usurpat. et iterum Comment. in Amos III. 6. Et Pet. Apollon. Excid. III. *Sed fugit interea tempus velocibus horis, Singula dum mortis capti sectamur amore.* Cerda.

285 *Singula dum capti circumvectamur amore*] Dum speciatim singula describimus. *Servius.*

Dum] Sequitur post *interea.* Est elegans hæc verborum consecutio. Cic. Phil. II. *Interea, dum tu abes.* Cæsar Civ. III. *Interea manerent induciæ, dum ab illo rediri posset.* Terent. Phorm. *Interea, dum sedemus.* Cerda.

Singula dum circumvectamur] Dum singula enarramus. *circumvehi, circumvectari* est περιηγεῖσθαι, curiose contemplari, per singula ire. Solinus l. III. *plurimi in dicendo latius circumvecti.* ad quem locum Salmas. exerc. Plin. p. 97. *Emmeness.*

286 *Hoc satis armentis*] *Armenti* appellatione hic manifeste Maro *equos* et *boves*, de iis præcepta executus, comprehendit. Varro autem de lingua Latina, *armenta* vult dicta, tertia extrita litera, pro *aramenta*, boves arationi addicens potissimum. Festus vero Pompejus *armentum id genus pecoris appellat, quod est idoneum ad opus armorum.* Et Pomponius l. boves de verb. sign. *Boves*, inquit, *armentorum magis quam jumentorum nomine appellantur.* Germanus.

Superat] Pro superest. *Servius.*

287 *Lanigeros agitare greges*] Lucretius contra: *Buceriæque greges.* Id.

Agitare] Aut curare, aut pascere. *Idem.*

Lanigeros greges] Calaber l. v. εἰροπόκων ὀΐων. Opp. Hal. IV. εἰροπόκους. Et v. βαθύμαλλον πῶϋ. Hesiod. Theog. ποίμναι εἰροπόκων ὀΐων: *Greges lanigerarum ovium.* Bacchilid. in Carm. εὐτρίχων μήλων. Calpurn. Ecl. II. *Idas lanigeri dominus gregis.* Ennius: *lanigerum genus.* Lucret. l. II. *Lanigeræ pecudes.* Papin. Sylv. IV. *Non mille balant lanigeri greges.* Omnes circumscribunt oves. *Cerda.*

Hirtasque capellas] Id est, setosas: ut, *Hirsutumque supercilium.* Servius.

288 *Hic labor, hinc laudem*] Ad tuenda imbecilliora animalia. *Idem.*

Hinc labor, hinc laudem] In antiquis aliquot codicibus legere est, *Hic labor, hinc laudem.* Quasi dicat, fatemur quidem inesse laborem in ea cura, sed hujus laboris præmium sit certa, quæ subsequitur, laus. Plura tamen exemplaria cum Mediceo, *hinc*, de loco, scribunt. *Pierius.*

289 *Animi dubius*] Sciat juvenis istum genitivum pendere ab aliquo substantivo subintellecto. *Dubius sum animi*, est, *dubius sum ex mente animi.* In Lucr. l. I. *Nec me animi fallit*, est, *nec me fallit mens animi. Angor, pendeo, crucior, discrucior animi:* id est, *dolore animi.* Cur ita intelligam, alibi explico adductis testimoniis antiquorum. Ceterum Virgilius hoc loco ad auram Lucretii navigat. Itaque ille l. I. *Nec me animi fallit, quam sint obscura: sed acri Percussit thyrso laudis spes magna meum cor, &c.* Cerda.

Verbis ea vincere] Id est, canendo consequi, vel *exprimere* juxta N. Marcell. *Emmeness.*

290 *Et angustis hunc addere rebus honorem*] Humilem materiam alto sermone decorare. Sic illud in quarto est, *In tenui labor, at tenuis non gloria.* Servius.

Angustis hunc addere rebus honorem] Plinius XIX. 4. *Contingat aliqua gratia operæ curæque nostræ, Virgilio quoque confesso, quam sit difficile verborum honorem tam parvis perhibere.* Signatissime ad rem eandem Manil. l. III. *facile est ventis dare vela secundis, Fœcundumque solum varias agitare per artes, Auroque atque ebori decus addere, cum rudis ipsa Materies niteat. Speciosis condere rebus Carmina, vulgatum est opus, et componere simplex, &c.* Cerda.

291 *Sed me Parnasi deserta per ardua*] Per *Parnasi ardua*, Eliconem et Citeronem montes, Musis dicatos, significat. et hoc dicit, Scribendi amor rapit me ad opus arduum, et a nullo ante descriptum. Quod per periphrasim et allegoriam poëticam indicat. *Servius.*

Parnasi] Prius dictus est Larnasus a Larnace arca Deucalionis, quæ eo delata, auctore Stephan. et Interpretib. Apoll. Post diluvium dictus Parnasus ab heroë Parnaso, ut tradit Hellanicus. Lege Lilium Syntag. de Musis. Ut vero Virg. *Parnasi deserta*, ita Pindar. Pyth. od. X. παρνάσιος μυχός: *Parnasi recessus.* Cerda.

Sed me Parnasi] Scalig. Poët. v. 9. hæc a Lucret. sumpta nostrum, ait, divina fecisse: ut et illa Ge. II. 475. *Taubmann.*

Deserta per ardua] Lucr. *Avia Pieridum loca.* Idem.

292 *Jugis*] Per juga. *Servius.*

Juvat ire jugis, qua nulla priorum] Ad hunc locum Manil. l. I. *Carmine divinas artes, et conscia facti Sidera—primusque novis Helicona movere Cantibus, et viridi nutantes vertice silvas, Hospita sacra ferens nulli memorata priorum.* Ad eandem ita l. III. *Nostra loquar, nulli vatum debebimus orsa. Nec furtum, sed opus veniet, soloque volamus In cœlum curru, propria rate pellimus undas.* Cerda.

Qua nulla priorum] Dispono ire ad fontem Castaliam, per eam viam, per quam nullus ante egit orbitam suam. Ordo autem est, *Qua nulla priorum*

orbita Castaliam devertitur. Servius.

Nulla orbita] Nullum poëma veterum hoc argumentum tractavit. Horat. epist. I. 19. *Libera per vacuum posui vestigia princeps: Non aliena meo pressi pede.* Taubmann.

293 *Castaliam molli, &c.*] Castalius fons est Delphis, in Apollinis oraculo, qui abluit ipsam aram dei: dictus a Castalo, Delphici Apollinis filio, nepote Neptuni. Apollo autem dicitur Musigetes. *Probus.*

Molli clivo] Id est, facili itinere et descensione. Hic autem locus totus de Lucretio translatus est. *Servius.*

Molli clivo] Q. d. oratione facili. Hor. Sat. I. 10. *molle atque facetum Virgilio annuerunt gaudentes rure Camenæ.* Taubmann.

Devertitur] Vetera omnia exemplaria manu scripta, quotquot in manus nostras devenere, *devertitur* per *de*, non per *di*, scribunt: hoc est, de loco eo vertitur, quod optime sententiæ quadrat. *Pierius.*

Orbita] Significat ipsam *rotam*, et *vestigium rotæ in molli solo.* ut Ascon. in Varr. p. 108. et Sceff. de r. veh. I. 6. qui dubitare videtur de priore notione. Si non *rotam*, saltem *rotunditatem* significat, ut Noster in Catalect. de Ætna, *Solis scire modum, et quanto minor orbita Lunæ est.* Gloss. vet. ἁρματροχία. eleganter Cicero ep. ad Att. II. 21. ita dicit, *conversum orbem reipublicæ, ut vix impressam orbitam videre possimus.* Emmeness.

294 *Nunc veneranda Pales*] Id est, Dea pabuli invocanda nunc maxime. *Servius.*

Magno ore] Ut scil. humilis materia alto sermone decoretur. Propert. l. I. *Surge anima ex humili jam carmine; sumite vires Pierides: magni nunc erit oris opus.* Taubmann.

295 *Incipiens*] Præceptum *de cura Ovium:* quas vult per hyemem domi contineri, et fœno pasci, donec vernum tempus redeat. Varro II. 2. Colum. l. VII. *Idem.*

Stabulis in mollibus] Clementioribus, et aëris temperati. vel propter plagam australem; vel propter suppositas herbas animalibus. *Servius.*

In mollibus] Nunc tepidis, ut diximus, *mollis hiems.* Philarg.

Herbam Carpere] Satis fuit Poëtæ loqui in genere. Auctores rustici discriminant cibum istum. A Varrone nominantur r. r. II. 2. *folia ficulnea, palea, vinaçea, furfures.* Cato r. r. c. 5. *Frondem populeam, ulmeam, quernam cædito: per tempus eam condito, non peraridam, pabulum ovibus.* Auctor Geopon. l. XVIII. τροφὴν δὲ παραβλητέον, κίττισον, καὶ μηδικὴν, ἢ τῆλιν, ἢ βρόμον, καὶ τῶν ὀσπρίων τὰ ἄχυρα, καὶ τῶν βριθῶν: *Ad pabulum abjiciatur cittisus, medica, fœnugræcum, avena, leguminumque atque ordei paleæ.* Eadem ferme adducit Colum. VII. 3. sed loquens de cibo agnorum. *Cerda.*

296 *Dum mox*] Celsus *dum mox*, pro *donec* interpretatur. sed ut puto, *mox*, abundat. *Philarg.*

Frondosa reducitur æstas] Donec vernum tempus adveniat. Nam, ut etiam in primo diximus, ver et æstas, sicut etiam hyems et autumnus, unum fuerunt secundum rationem hemispherii. *Servius.*

Frondosa æstas] Signat vernum tempus, etiamsi æstatem nominet. Attributum non indicat. Sane veteres annum in duplicem tantum partem dividebant, hiemem, et æstatem: hiemi autumnum adnectabant, æstati ver. Clare hoc Philo περὶ φυτουργ. χειμῶνα, καὶ θέρος. καὶ τὰς μεθορίους ἔαρ τε, καὶ μετόπωρον: *hiems, et æstas: horum confines ver, et autumnus.* Arist. de Generat. Animal. l. IV. ὁ μὲν ἥλιος ἐν ὅλῳ τῷ ἐνιαυτῷ ποιεῖ χειμῶνα, καὶ θέρος: *Sol enim annuo excursu hiemem facit, et æstatem.* Cerda.

Frondosa æstas] Pro *verno tempore* sumitur. Annum in duas partes, nempe, æstatem et hiemem a veteribus divisum fuisse, multis adstruit

exemplis ὁ πάνυ Gronov. in observat. III. 14. *Emmeness.*

297 *Et multa duram stipula, &c.*] De ista substernendi stabuli ratione late auctores rustici. Cato r. r. c. 5. *Pecori, et bubus diligenter substernatur, ungulæ curentur.* Iterum: *Stramenta si deerunt, frondem iligneam legito, eam substernito ovibus bubusque.* Varro II. 2. *cum aliquot dies steterunt* (oves) *subjicere oportet virgulta alia, quo mollius requiescant, purioresque sint: libentius enim ita pascuntur.* Quibus et supponit virgulta substrata, et addit, illa renovanda esse. Colum. XVII. 3. *Deturque opera, ne quis humor subsistat, ut semper quam aridissimis filicibus, vel culmis stabula constrata sint, quo purius, et mollius incubent fœtæ.* Numerat Auctor Geop. l. XVIII. signatius, quæ sint sternenda, videlicet asphodelum, pulegium, polium, conyzan, abrotanum. Et addit hanc rationem, καὶ τὰ γὰρ τοιαῦτα φεύγει τὰ θηρία: *Hujusmodi enim fugant bestias reptiles.* Cerd.

298 *Subter*] Ad pecora respicit, ut sint stramenta, quibus incubent. *Phil.*

299 *Molle pecus*] Attingit naturam ovium, quæ mollissimæ. Plato Polit. l. IV. προβάτοις ἁπαλοῖς: *ovibus teneris.* Colum. VII. 4. *genus lanigerum ceteris pecudibus mollius.* et c. 3. *Id pecus* (ovinum) *quamvis ex omnibus animalibus vestitissimum, frigoris tamen impatientissimum est, nec minus æstivi vaporis.* Plin. Epist. l. II. *oves delicatissimæ.* Isidor. XII. 1. *Ovis molle pecus lanis, corpore inerme, animo placidum.* Varr. rust. II. 2. caput præcipue signat: *caput enim maxime ovis molle est.* Scribit Aristot. Hist. Anim. VIII. 24. Oves iisdem morbis infestari, quibus homines. Ita imbecilles sunt, ut gravida abortum faciat, tonante cœlo, quod scribit idem Aristot. Hist. Animal. IX. 3. *Cerda.*

Scabiemque ferat] Sic, ubi de pecoris ovilli medicina agit, Columell. VII. 5. *Oves frequentius, quam ullum aliud animal, infestantur scabie, &c.* quæ lues totum gregem brevissimo temporis spatio coinquinare et conficere solet. Inde Juvenal. Sat. II. 79. *Sicut grex totus in agris Unius scabie cadit.* Emmeness.

Turpisque podagras] Respexit ad curam, quæ fine pannis et medicaminibus sordidis non fit. *Servius.*

Turpisque podagras] An non ideo *turpis*, quia plerique omnes, huic morbo qui sunt obnoxii, invitissimi se eo laborare fatentur? An potius, quia manus pedesque deformat nodis, calecatam materiam evomentibus? Quare Ovid. de Pont. I. 4. *nodosam* appellat, et quia non raro ditiores infestat, *locupletem podagram* nominare videtur Juvenal. Sat. XIII. 96. Causam hujus morbi aliquam tradit Macrob. Saturn. VII. 4. Plinius XXVI. 10. Romæ rariorem, et peregrinum fuisse ex nomine Græco asserit, quo loco cum Celso l. IV. non insanabilem esse docet contra Ovid. supra citatum. De remediis podagræ jumentorum et aliarum bestiarum inservientibus Plin. l. XXII. sub finem. *Emmeness.*

300 *Post hinc*] Cum hoc feceris. et *Post hinc*, unum vacat: sicut, *Primus ibi ante omnes.* Servius.

Jubeo frondentia capris Arbuta sufficere] De capris, quæ a *carpendo* nomen sortiuntur, Varr. de re rust. II. 3. *Pascuntur agrestibus fruticibus.* Columell. VII. 6. docet quid per fruteta intelligas: *ea sunt*, inquit, *arbutus, atque alaternus cytisusque agrestis.* Pall. tit. 13. *Hœdis arbuti cacumina sunt præbenda.* De *arbuto* dictum Ecl. III. 82. *Jubeo sufficere* elegantissimus loquendi modus. Ter. IV. 3. 3. 1. *jubeo Chremetem salvere.* vide Hadrian. Card. de serm. Lat. non dissimilis locutio: *Deos fortunare volo, bene evenire volo.* Emmeness.

301 *Fluvios præbere recentis*] Id est, aquam statim haustam. Nam si pigram potaverint, statim contrahunt

morbum. *Servius.*

Præbere] Dare bibere aquas recentes. *Præbere* pro suppeditare. Græce ποτίζειν. Ter. Hec. v. 2. 2. *quin, quod opus sit, benigne præbeatur.* Vide N. Lamb. ad Hor. od. III. 15. *Præbes frigus amabile.* Emmeness.

302 *Stabula a ventis*] Figurate, scilicet ventos non perferentia. *Servius.*

Hiberno soli] Contra plagam meridianam, per quam Sol currit per hiemem: quod explanat dicens, *Ad medium conversa diem.* Idem.

303 *Ad medium conversa diem*] Explicui sententiam integram de meridie secutus Columellam, qui nihil de Oriente, tantum, *ea* (stabula) *poni debent contra medium diem:* et Serv. explicantem, *hiberno Soli, Contra plagam meridianam, per quam Sol currit per hiemem, quod explanat dicens, Ad medium conversa diem;* itaque per hibernum Solem, intelligit tantum meridiem: et Germanum adducentem ex Xenophonte in Œconom. domos spectantes meridiem dici εὐηλίους: demum morem nostrum; ædificia enim, quæ volumus tuta a frigore, omnino opponimus meridiei. Hæc explicatio mihi placet. Aliquis tamen conjiciet, dixisse Virgilium, ut stabula spectarent præcipue partem orientalem, et tantum leviter converterentur ad meridiem, allucente Varrone r. rust. II. 2. *Stabula idoneo loco ut sint, ne ventosa: quæ spectent magis ad orientem, quam ad meridianum tempus.* Dicam hic, omissum Varronem a Virgilio, non secutum. Porro ædificium conversum ad meridiem Æschines de falsa Legat. vocat τεῖχος τὸ νότιον. *Cerda.*

Olim Jam cadit] Jam jam occasurus est: occasu scil. heliaco, qui κρύψις dicitur. *Taubmann.*

304 *Extremo anno*] Mense Januario, qui est penultimus. Nam ut etiam in primo diximus, *Ut primis extemplo a mensibus anni,* a Martio mense inchoabat annus apud majores. Ergo *extremo anno,* extrema parte anni. *Servius.*

Extremo] Hic *extremum annum* sub Aquarii sidere collocat. ut quia primus nascentis anni dies ab urbe condita Kal. Martiis fuit, inde Februarius ultimus anni haberetur. Aquarium autem multi Ganymedem volunt. *Philarg.*

Extremoque inrorat Aquarius anno] Hujus fabulæ et signi cœlestis meminit Hyg. fab. 224. *Ganymedes in Aquarium.* et de sign. cœl. III. 28. Inde Ovid. Fast. II. 145. *Jam puer Idæus media tenus eminet alvo: Et liquidas misto nectare fundit aquas.* et Poët. Astron. I. 7. ubi de Zodiaco: *sequitur Capricornum et Saturno datur.* ut Macrob. in somn. Scip. l. I. quod confirmat Ovid. Fast. I. 651. *Hæc ubi transierint, Capricorno, Phœbe, relicto Per juvenis curres signa gerentis aquas.* nihil notius Aquario ex Manilio, qui eum et frigidum et humidum appellat frequenter l. II. *Parsque maris nitens fundentis semper Aquari. At quos æternis perfundit Aquarius undis.* l. IV. *Ille quoque, inflexa fontem qui projicit urna, Cognatas tribuit juvenilis Aquarius artes, &c.* l. v. *humentis Aquari.* et Macrob. Saturn. I. 21. bene *extremo,* nam sic Horat. Sat. I. 1. *inversum contristat Aquarius annum.* de ortu Plin. XVIII. 26. *Emmeness.*

305 *Hæ quoque non cura*] (*Hæc* agnoscit Servius, ut ex seqq.) Cum de capellis loquitur, figurate neutro usus est genere. Nam integrum erat, *Hæc quoque non cura nobis leviore tuenda.* Sane perite: quoniam scit planam esse ovium utilitatem, eam præterit, et exaggerat meritum capellarum; ut dictis in lucem promat, rem per se minus patentem. *Servius.*

Hæ quoque] Id est, capellæ. Legitur et *hæc.* Veteribus enim mos fuit, ut neutra femininis jungerentur. Unde Terentius: *Tua nihil refert, utrum fecerit.* et in Eunucho: *Hæc adornant, ut lavent.* nam integrum erat *hæ quo-*

que non cura nobis leviore tuenda, &c. Phil.

Hæ quoque non cura nobis leviore tuendæ] In Romano codice, *Hæc et tuendæ* legitur. et ita prius erat in codice Mediceo, in Longobardico, *hæ* fœminino genere, ut de capellis intelligat. Servius tamen mavult Poëtam usum neutro genere, locutumque figurate, prout habetur in Romano codice. Veteribus enim ajunt fuisse morem, ut neutra fœmininis jungerent. *Pierius.*

Hæ quoque] *Hæc* vera lectio. ita Æn. IX. *Exercentque vices, quod cuique tuendum est.* Quæ generum enallage habet quiddam evidens, et ἰδιωτικὸν in oratione. Etiam Philargyrius *hæc* agnoscit, sed pro *hæ* positum, antique: de quo Nos Mostell. I. 3. *Taubmann.*

306 *Milesia Vellera*] Lanæ pretiosissimæ. nam Miletus civitas est Asiæ, ubi tinguntur lanæ optimæ. Ipse in quarto, *Milesia vellera nymphæ Carpebant.* Cicero in Verrem, *Quid a Milesiis lanæ sustulerit.* Servius.

Milesia Vellera] Oves Mileti, ac perinde vellera in magno pretio. Tertull. lib. de Pallio: *Nec de ovibus dico Milesiis, et Selgicis, et Altinis.* Dedit locum principem, sicut et Colum. VII. 2. *Generis eximii Milesias, Calabras, Appulasque nostri existimabant, earumque optimas Tarentinas.* Plinius postponit VIII. 48. *Lana autem laudatissima Apula, et quæ in Italia Græci pecoris appellabatur, alibi Italica. Tertium locum Milesiæ oves obtinent.* Martialis nullo loco dignatur disticho hoc: *Velleribus primis Appulia, Parma secundis, Nobilis Altinum tertia laudat ovis.* Sed illi opponas tum, quos jam dedi: tum Clementem Pædag. l. II. Virgilium hic, et Ge. IV. Horatium in Epist. Clitum, et Alexin apud Athen. l. XII. qui dicunt, Polycratem ad ornandam Samum eo conduxisse optima terrarum, et inter optima ponunt πρόβατα ἐκ μιλήτου: *oves Mileti.* Has enim ille Samum conduxit. Et Aristophanem in Ran. qui ἐν στρώμασι μιλησίοις ἀνατετραμμένος: *in stratis Milesiis revolutus.* Et in Lysistrate: οἴκοι γάρ ἐστιν ἔριά μοι μιλήσια: *sunt mihi domi lanæ Milesiæ.* Silium l. XIV. *telaque superba Lanigera Milete.* Et Maximum Tyrium, qui Milesios a vestitu et lana mollissima vocat εὐειμονοστάτους. Hi enim omnes Mileti vellerum meminerunt, ut optimorum. *Cerda.*

Milesia Vellera] A Mileto. sic de hac urbe Stephanus: πόλις ἐπιφανὴς ἐν καρίᾳ τῶν Ἰώνων. Ὁ πολίτης, μιλήσιος. et Mela I. 17. vocat *Miletum urbem quondam Ioniæ totius, belli pacisque artibus principem, patriam Thaletis Astrologi, et Timothei Musici, et Anaximandri Physici, aliorumque civium inclytis ingeniis merito inclytam.* De Milesiorum luxu et eorum lana Cic. Verr. I. 34. et Politian. I. 16. de verbo *mutare* pro *emere* Ecl. IV. 39. *Emmeness.*

307 *Vellera mutentur*] Ingenti pretio comparentur. Nam apud majores omne mercimonium in permutatione constabat: quod et Cajus Homerico confirmat exemplo. *Serv.*

Vellera] A *vellendo* dicta. *Philarg.*

Tyrios incocta rubores] Figurate: quæ coquendo Tyrium traxit ruborem, id est, migravit in purpuram. *Servius.*

Tyrios incocta rubores] *Incoquere* verbum est tinctorum, de dibaphis, et saturioribus coloribus: idem ac *Recoquere*: ut notat Casaub. ad Pers. Sat. II. *Taubmann.*

Tyrios incocta rubores] Pro eo Ovid. Heroid. Epist. XIII. 37. *Saturatas murice vestes.* De purpura Tyria, quæ sanguinis colorem refert, Salmas. Plinian. exercit. pag. 1339. et hæc *incocta vellera* opponuntur ψυχροβαφέσι, de quibus Salmas. p. 1147. *Emmeness.*

Rubores] In Romano codice, et aliquot aliis perveteribus, *Colores* legi-

tur. In Mediceo quidem *rubores* est, sed supra, *co* notatum, antiqua manu, Figuratius tamen est, *rubores* legere. *Pierius.*

308 *Densior hinc suboles*] Binos enim pariunt capellæ plerunque. *Servius.*

Densior hinc suboles] *Numerosior.* Colum. III. 10. et VII. 6. *parit autem, si est generosa proles, frequenter duos, nonnunquam trigeminos.* De διδυμοτόκοις vide quæ diximus Ecl. I. 14. *Emmeness.*

309 *Quam magis*] In Romano codice, et in aliquot aliis pervetustis, legitur, *Quo magis;* idque, ut mihi videtur, eleganter. Missas vero facio dictiones quasdam inscitia librarii perperam notatas. *Pierius.*

Quam magis] Hanc antiquorum venerem in loquendo *tam magis, quam magis* non reliquit Gifanius inobservatam. Aliqui enim hic non attendentes ad istam elegantiam, scripsere *quo magis.* Neque vero impedit hic omissum membrum *tam.* Integram elegantiam dedit Vates in Æn. VII. *Tam magis illa fremens, et tristis efferæ flammis, Quam magis effuso crudescunt sanguine pugnæ.* Cerda.

310 *Læta magis pressis manabunt flumina mammis*] Nota, *mammas* pecudum dici. legitur et *ubera.* Philarg.

Flumina] In Romano codice, in Longobardico, et aliquot aliis sane quam veteribus, non *flumina:* sed *ubera* legitur. Qui legerant *ubere* in superiore versu, veriti sunt repetitionem ejusdem vocabuli ariditatem orationis præ se ferre: ideoque *Flumina* supposuerunt. Sed enim, si animum advertas, color ille dicendi non modo non aridus videtur: sed et venustatis plurimum habere. quanquam metaphorica ea hyperbole *flumina,* loco huic optime conveniat: et incomparabilem exprimat ubertatem. *Pierius.*

Flumina] Legendum *ubera* ex Nota Gifan. in Lucretium. Ita etiam legit Servius Daniel. Quæ legunt *flumina,* multum afferunt leporis. *Cerda.*

311 *Barbas*] Sic de quadrupedibus. Nam hominum barbam vocamus. *Incana* autem dicit *nimium cana.* Servius.

Barbas incanaque] Barbas Græci κρύγκους vocant: Latini item κρύγκον aruncum dicunt. Lucret. l. I. capras *barbigeras pecudes* nominat: *pinguescere sæpe cicuta Barbigeras pecudes, homini quæ est acre venenum.* Germ.

Incanaque menta] Id est, *nimium cana* ex consensione Interpretum. Ita in VI. *incanaque menta Regis Romani.* Columella usus hac voce etiam in re rustica VIII. 2. loquens de Gallorum avium notis: *paleæ ex rutilo albicantes velut incanæ barbæ dependent.* Et VII. 3. *canam comam* dixit loquens de *ovibus.* Cerda.

312 *Cinyphii hirci*] Libyes a fluvio Cinyphe. *Servius.*

Cinyphii] Gætuli, a Cinypho flumine Gætuliæ, id est, Libyæ. Tondent autem pastores, ut sit genitivus singularis *Cinyphii* hirci. *Philarg.*

Cinyphii tondent hirci] In Romano codice *hircis* legitur: ab eis enim Lanicii genus id demitur. Sunt etiam codices antiqui, in quibus scriptum est *hirquis,* ut in Bucolicis etiam ostendimus *hircum* et *hirquum* eundem. Sed figuram agnoscit Priscianus. *Tondent* pro *tondentur,* quare *hirci* melius. De *Cinyphiis hircis* apud Herodotum mentio. Adverte vero scriptionem, quod quamvis in Græcis diversorum auctorum codicibus impressis, κινύφιος scriptum sit: prima per ἰῶτα, secunda per υ ψιλὸν, tamen in iis, qui manu scripti sunt, κυνίφιος prima per υ, altera per ι habetur. *Pierius.*

Cinyphii] A Cinyphe fluvio Libyæ, ubi insignes hirci, ait Servius. Martial. VII. 94. *Qualem forcipibus metit supinis Tonsor Cinyphio Cilix marito.* et alii. *Cerda.*

Cinyphii] Mela I. 7. de Africa Mi-

nori mentionem inferens hujus fluminis meminit: *Cinyps fluvius per uberrima arva decidens.* Herod. IV. 175. Κίνυψ ποταμός. Scylax in periplo oppidum ita esse etiam appellatum asserit. Male prima in *Cinyphii* per *y* scribitur, cum secunda *y* requirat, cujus luculentos testes habemus Dausquium in Orthogr. Heins. ad Metam. V. 124. et Vlitium in var. lect. in Grat. Cyneg. p. 482. de hircis Cinyphiis canit Sil. Ital. l. II. *Cinyphiumque macem, &c.* v. Dausq. Pilos hircorum conficiendis vestimentis, et ciliciis castrensibus esse usui ex Cicer. in Verr. I. 38. cognoscimus: *coria, cilicia, saccos imperaret.* ad quæ verba Ascon. *Cilicia texta de pilis in castrorum usum et nautarum.* et Sil. Ital. l. III. *Tum demum castris Phœnicum tendere ritu Cinyphii didicere Macæ, squalentia barba Ora viris, humerosque tegunt velamina capri Setigeri.* et udonibus adhiberi docet perdocte Turneb. in advers. I. 13. *Emmeness.*

Tondent] Pro, *tondentur:* Prisc. Sed Philargyrius pastores subintelligit: ut *Cin. hirci* sit genit. casus. *Taubmann.*

Setasque comantis] Villos promissos instar comæ. *Idem.*

313 *Castrorum*] In usum castrorum, quod inde *tomenta* fiant, itemque cilicia, quæ Celsus ait, retulisse Varronem, ideo sic appellari, quod usus eorum in Cilicia ortus sit. *Philarg.*

Usum in castrorum] Quia, ut Servius ait, de *ciliciis* et polluntur loricæ: et teguntur tabulata turrium, ne jactis facibus ignis possit adhærere. Varro II. 11. *Ut fructum ovis e lana ad vestimentum, sic capra pilos ministrat ad usum nauticum, et ad bellica tormenta, et fabrilia vasa, &c.* Vide Vegetium IV. 6. et Stewechii comment. inprimis Gothofr. Jungermani Notas ad Longi Sophistæ ποιμενικά. *Taubmann.*

Miseris nautis] Qui frequenter patiuntur pericula. In *usum* autem *castrorum* ideo dixit, et quia de ciliciis poliuntur loricæ, et teguntur tabulata turrium; ne jactis facibus ignis possit adhærere. Et bene laudat capellas, dicens ciliciorum usum et in mari, et in terra prodesse mortalibus: hoc est in duobus elementis concessis hominibus. *Servius.*

314 *Pascuntur silvas*] Et *pasco* et *pascor illam rem* dicimus, et *pascuntur* pro *depascuntur.* Idem.

Pascuntur] Pro *depascuntur.* Phil.

Pascuntur silvas] De hac nota caprarum Varro R. rust. II. 3. Colum. VII. 6. Auctor Geop. l. XVIII. *αἱ αἶγες χαίρουσι τόποις ὀρεινοῖς.* Alibi in eodem lib. *κατακρήμνοις χαίρουσι χωρίοις: Gaudent locis præruptis.* Ideo Virg. Ecl. I. de capris dixit: *Dumosa pendere procul de rupe.* Attigit obiter Plutarch. περὶ τοῦ τὰ ἄλογ. αἰγίβοτον Ἰθάκην καὶ τραχεῖαν. *Ithacam asperam, ubi capræ pascuntur.* Et Oppian. Hal. IV. qui de capris, ὀρειαύλοις βοτοῖσιν: *monticolis pecudibus.* Homer. Odys. IX. tanquam proprio Epitheto ait, αἶγας ὀρεσκώους: *Capras montibus degentes.* Apud Eupolidem in fabula, quæ Æges inscribitur, ubi capræ de suo cibo gloriantur, ita ajunt. βοσκόμεθα ὕλης ἀπὸ παντοδαπῆς. Artemid. II. 12. de his loquens, νομούμεναι κατὰ κρημνῶν τῶν πετρῶν: *pascuntur in præcipitiis rupium.* Cerda.

Summa Lycæi] Montis Arcadiæ, et est species pro genere. *Servius.*

Lycæi] Species pro genere. V. N. vs. 2. Turnebus XII. 14. legit, *æstiva Lycei,* pro pascuis, in quibus pecus æstivat. Nam qui ditissimi erant, suo pecori saltus hibernos et æstivos habebant. Vide Varr. II. 1. de R. R. *Taubmann.*

315 *Amantis ardua*] Phrasis Poëtica, et jam attributa rebus rusticis. Sic Noster: *amantes littora myrtos.* Et Calpurn. Eclog. V. *amantes lustra capellas.* Cerda.

316 *Tecta*] *Caprilia.* de prudentia hujus animalis Arist. Hist. IX. 3. *Emmeness.*

317 *Ducunt*] Educunt fœtus proprios et enutriunt. unde et *educatos* dicimus. *Servius.*

319 *Quo minus est illis*] Ordo est, Igitur omni studio averte ab eis ventos et glaciem, quo egestas mortalis, id est, necessitas mortalitatis minor est illis curæ: hoc est, minus ad ipsarum pertinet curam, nam hoc dicit, Quanto illæ sibi adesse non possunt, tanto eis a te impendenda est major diligentia. *Idem.*

Quo minor est] Pro *quo minus est.* ut sit sensus: Quo minus est illis curæ mortifera egestas, si diligens circa eas fueris, necessitas mortalitatis minor est. *Philarg.*

Mortalis] *Mortalis,* mortifera intelligenda. *Idem.*

321 *Nec tota claudes*] Id est, præbebis tota bruma fœnum. *Idem.*

Nec tota bruma] Id est, non tota hieme. ita Varro: *Hiberno ac verno tempore, pruina jam exhalata, propellunt in pabulum, et pascunt diem totum; ac meridiano tempore semel agere potum satis habent.* Vide et Colum. VII. 3. *Taubmann.*

Fœnilia] Nominat Varr. de r. rust. I. 13. *tabulata, fœnum in tabulatis.* sic Columell. II. 19. *fœnum in tabulato putrescit.* male non nulli per *æ* quasi a φαίνεσθαι. v. Dausq. qui a φοινὸν derivatum arbitratur. *Emmeness.*

322 *At vero, Zephyris cum læta v. æ.*] Sabaudi *advenerit.* Dicit autem ver, quo flare Zephyrus incipit: ut in primo, *Et Zephyro putris se gleba resolvit.* Servius.

At vero, &c.] *De cura ovium et caprarum, tempore æstivo:* nempe, ut prima luce pastum exigantur; paulo ante meridiem aquentur: sub æstum medii diei in umbra quiescant: vesperi iterum aquentur: et deinceps ad noctem usque pascantur. Eadem Varro II. 2. et Col. VII. 3. Pallad. XII. 13. *Taubmann.*

323 *In pascua mittes*] Hæc æmulans Calpurn. Eclog. V. *Sed non ante greges in pascua mittito clausos.* Idem alio flexu: *Jam silvis committe greges.* Græci ἄγειν et συνάγειν ἐπὶ νομάς: *ducere, conducere ad pastum.* Porro verbo ἄγειν opponit Nazianzenus Orat. VII. verbum ἀνακαλεῖσθαι ἀπὸ νομῶν: *revocare a pastu.* Cerda.

Mittes] Fulv. Ursin. e vett. codd. *mittet.* Taubmann.

324 *Frigida rura Carpamus*] Id est, carpere cogamus animalia. Et mane pasci oves præcipit secundum morem suæ provinciæ. Nam in aliquibus locis morbum contrahunt, nisi jam siccato rore pascantur. *Servius.*

325 *Mane novum*] Macrob. Saturn. I. 17. hunc locum illustrat, Phaneta et φαναῖον appellatum esse Phœbum dicit, ἐπειδὴ φαίνεται νέος, *quia Sol quotidie renovat sese.* ergo quotidie *novum mane.* Emmeness.

Dum gramina canent] Nocturnis et matutinis lucentes roribus herbæ, *Servius.*

D. gr. canent] *Dum matutinis albescunt roribus herbæ.* Palladius: *Estivis mensibus pascantur sub lucis initio, cum graminis teneri suavitatem roris mistura commendat.* Taubmann.

326 *Et ros in tenera pecori gratissimus herba*] Sic Ecl. VIII. 15. *Cum ros in tenera, &c.* Emmeness.

327 *Ubi quarta h.*] Intelligit horas καιρικὰς, sive Planetarias Roman. ubi sexta diei hora semper est meridies. Est enim hic notatio appetentis meridiei. *Taubmann.*

Sitim collegerit] Rore jam absumpto. Palladius: *Quarta hora calescente, potus puri fluminis aut putei præbeatur, aut fontis.* Ea hora et Nonno ὥρη δίψεος est. *Idem.*

Inde ubi quarta sitim cœli collegerit hora] Pro quo Horat. od. IV. 12. *Adduxere sitim tempora,* non legendum *conceperit,* ut nonnullæ ex meis habent editiones. Emendationem Nobiliss. Heinsii consulito ad Ovid. Met.

v. 446. *fessa labore sitim collegerat.* sic ex MSS. restituit pro *conceperat.* Emmeness.

328 *Querulæ cicadæ*] Canoræ. Horatius, *Sub cantu querulæ despice tibiæ.* Aut certe *Querulæ* dicitur, propter illam fabulam, quod Tithonus maritus Auroræ, post optatam longissimam vitam, diu vivendo in cicadam dicitur esse conversus. *Servius.*

Rumpent arbusta] Nimio clamore. Juvenalis, *Et assiduo ruptæ lectore columnæ.* Persius, *Findor, ut Arcadiæ pecuaria rudere dicas.* Idem.

Rumpent] *Rumpent*, complebunt. ut, *Illius immensæ ruperunt horrea messes.* aut, in consuetudine est, *rumpunt*, sive vehementer clamant, et *exallacmenos* dixit, et arbusta rumpent cantu suo. *Philarg.*

Cantu querulæ rumpent arbusta cicadæ] Fabulam de cicadis, quod fuerint, ante Musas natas, homines, apud Cœl. Rhodig. var. lect. XVII. 6. invenias. Cicadas esse mutas, docet Pausan. l. VI. et Plin. XI. 26. qui canentes *achetas* (Græce ἠχέτας, ut Ursinus ad Ecl. II. 13.) nominat. ὀξύφωνοι cicadæ etiam appellantur, quæ *argutæ* Mart. XI. 19. *fritinnientes* Ovid. in Philomela dicuntur et *quærula* hoc loco. *querulæ* autem *voces omnium animalium præter hominum* (ut Cruquius) vel *suium* (ut Torrentius) vocantur. sic apud Maronem querela buboni, ranæ, &c. tribuitur. Secundum Scholiasten Horat. Epod. II. ad illa verba: *queruntur in silvis aves.* et æstivo tempore canunt, unde Juvenal. Sat. IX. 69. *Durate et expectate cicadas*, id est, æstatem. eleganter etiam de re, quæ fieri non possit Ovid. de art. am. I. 271. *Vere prius volucres taceant, æstate cicadæ.* Quoque æstus intensior, eo magis hæc bestiola *rumpit*, id est, canora voce omnia implet, καταρηγνύει, ἠγνύει. Videsis Celeberr. illud literarum præsidium Cl. Græviumin not. Hesiod. vs. 99. cicadam maxime canere, cum omnia torreantur meridiano æstu, hunc locum exponens, tradit Turn. XII. 7. *Emmeness.*

329 *Ad puteos, aut alta greges ad stagna*] In Romano codice, *At puteos, atque alta greges, at stagna.* In plerisque enim præcipue ex his antiquis semper *ad* præpositio per *t* scribitur. Sed quod *adque* in eo codice legitur apud Non. Marcellum in libello de *indiscretis generibus, aut* legitur, ut vulgata habent exemplaria. quod vero Virgilius *puteos* genere masculino dixit, Varro maluit neutro dicere *putea*, ut *maria*, ut apud Græcos φρέαρ neutri generis est, eodem significato. *Pierius.*

Stagna] A Gr. στεγνὸν, *quod bene continent aquam;* ut Fest. ait. Unde *Stativæ aquæ*, quæ contrariæ sunt manantibus. *Taubmann.*

330 *Currentem ilignis*] In Romano codice, *lignis*, non *ilignis* scriptum est. Verum *ligneis* fuisse prius videtur in aliquot codicibus, in nonnullis *iligneis* est per *ei* diphthongum, ut *Amiceis, sueis*, in veterum monumentis. Sed enim ut etiam in Mediceo est, *ilignis* agnoscit Servius, et proprietatem poëticam refert ea compositio. *Pierius.*

Ilignis canal.] Ex ilice factis. Col. VII. 3. *Sal velut ad pabuli condimentum per æstatem canalibus ligneis impositum, cum e pastu redierint oves, lambunt atque eo sapore cupidinem bibendi, pascendique concipiunt.* Taubmann.

331 *Æstibus at mediis umbrosam exquirere vallem*] In codice Longobardico, *Æstibus aut mediis* legitur, in quibusdam aliis antiquis *ac mediis.* In Longobardico *adquirere.* quod non ita placet. Non tamen displicet *at*, ubi *aut* habetur. Ut quatuor sint præcepta unoquoque die servanda: quippe, ut mane pascantur, hora quarta potum ministremus, meridie sub umbra contineantur, vesperi vero iterum in pascua mittantur. *Pierius.*

Æstibus at mediis] Hoc præceptum non omissum ab scriptoribus rusticis, Varrone, Auctore Geoponicon, Palladio. Primus II. 2. *Circiter meridianos æstus, dum defervescant, sub umbriferas rupes, et arbores patulas subjiciunt, quoad refrigerato aëre vespertino rursus pascant, ad Solis occasum.* Alter l. XVIII. ὅταν ὁ ἥλιος ὀξύτατος ᾖ, ὑπὸ σκιὰν ἄγεσθαι: *Ad umbram ducantur cum Sol est acutissimus.* Tertius: *medios Solis calores vallis, aut arbor umbrosa declinet.* Sed et Calpur. Ecl. v. *sine protegat illos Interea veteres quæ porrigit æsculus umbras.* Ad hoc præceptum allusit alter Plin. Epist. II. ubi loquens de villa sua: *Illuc e pascuis pecora conveniunt, si quando aquam umbramve sectantur.* Et Horat. Carm. III. *Jam pastor umbras cum grege languido, Rivumque fessus quærit.* Tempus istud signat Persius Sat. III. *patula pecus omne sub umbra est.* Et Nemes. Ecl. IV. *Jam pecudes subiere nemus: non ulla canoro Gutture cantat avis.* Et ante omnes Plato in Phædro, cum ait. ὥσπερ προβάτια μεσημβριάζοντα περὶ τὴν κρήνην εὕδειν: *tanquam pecudes sub umbra secus fontem meridiano somno teneri.* Cerda.

332 *Sicubi magna Jovis antiquo robore quercus*] Quia omnis quercus Jovi est consecrata. Quod autem dicit *Jovis quercus*, et *Ilicibus crebris sacra nemus accubat umbra:* non revera consecratos lucos dicit nos petere debere: sed ita densos, quales sunt illi, quos religio defendit. Unde apparet *quercum Jovis*, et *sacram umbram*, generalia esse, non specialia epitheta: nam ut diximus, et omnis quercus Jovi est consecrata, et omnis lucus Dianæ. *Servius.*

Antiquo robore quercus] Inter longævas vivacesque arbores ponit Aristot. quercum, ut primam inter plantas natam docet Plutarch. ἐν ῥωμαϊκ. *Germanus.*

333 *Nigrum Ilicibus crebris nemus*] Sic Horat. od. I. 21. *nigris aut Erymantha Silvis.* et od. IV. 12. *colles nigri* a densitate arborum, quæ umbram efficiunt, quæ ideo etiam a Lucret. l. IV. *umbræ nigræ* dicuntur. *Emm.*

334 *Accubet umbra*] *Accubare nemus sacra* dixit *umbra:* cum umbra potius sacra accubet in nemore: ac sub arboribus jaceat, ut et ante locutus est, *et saxea procubet umbra.* Turneb. v. 4. *Taubmann.*

335 *Tenuis aquas*] Epitheton est aquarum. Alibi, *Aut in aquas tenues dilapsus abibit.* Servius.

Tenuis] Id est, parvas, cui contrarium illud, *et pingui flumine Nilus.* Philarg.

Tum tenuis] In Romano codice, *Tunc tenuis.* Sed *tum* multo magis placet. *Pierius.*

Tenuis aquas] Ὕδατα λεπτὰ, cujusmodi fere sunt κρηναῖα. contra, Æn. IX. *aut pingui flumine Nilus.* Taubm.

Tenuis aquas] Columella VII. 3. hos versus exponit. *Emmeness.*

336 *Aëra vesper Temperat*] Refrigerat æstatis calorem. *Servius.*

337 *Reficit*] Recreat. *Idem.*

Luna] Nox. *Idem.*

Saltus reficit] Cum Luna (quæ *roriflua* veteri P. et *roris mater* dicitur) jucunditatem pascuorum redintegrat. Vide P. Victor. XIV. 17. *Taubmann.*

338 *Littoraque Alcyonem resonant, Acalanthida dumi*] Quo tempore resonat per littora Halcyon avis; cujus fabulam in primo memoravimus. Per *Dumos* vero Acanthidis, quam alii lusciniam esse volunt; alii vero carduelem, quæ spinis et carduis pascitur. ut inde etiam apud Græcos ἀκανθὶς dicta sit, ἀπὸ τῶν ἀκανθῶν, id est, spinis, quibus pascitur. *Servius.*

Acalanthida dumi] Vel ut alii *Acanthida.* Scio fore, ut multi mihi negotium facessant, si dixero in antiquis omnibus codicibus, quotquot ad manus meas pervenere, uno consensu legi *Acalanthida dumi.* Ita enim in Romano, ita in Oblongo, codicibus antiquissimis, ita in Mediceo, ita

denique habetur in plerisque aliis. Præterea videtur Probus lectionem hanc agnovisse, si modo fidelem codicem nansciscare, dum dicit, *Acalanthis* ea est, quæ Græce ἀκανθὶς dicta est. Latine *Carduelis*, a *Carduo*. Neque vero ignari sumus ex Plinio, atque etiam ex Aristotele Acanthin in spinis vivere, odisse asinos ideo, quod flores spinæ libenter devorent. *Pierius*.

Acalanthida dumi] Poëtæ ingenium vidit Ursinus. Dicta est hæc avicula, ἀπὸ τῆς ἀκάνθης, ubi frequenter agit. Ideo cum acanthide junxit ἀκάνθας *dumos, spinas*. Tale illud, *Ego hanc in Daphnide laurum*. Et, *Plemmyrium undosum*. Et, *claro demisit Olympo*. Adducitque verba ista Theonis Interpretis Theocriti: ἀκανθὶς δὲ ὀρνεόν ἐστι ποικίλον, καὶ λιγυρὸν, καλεῖται δὲ ποικιλὶς διὰ τὴν χροιάν. Ἀριστοτέλης δὲ ἀλέξανδρός φασι διατρίβειν ἐπὶ ἀκανθῶν: *Acanthis avis est versicolor, et argutula. Vocaturque a colore pœcilis. Ajunt Aristot. et Alexander illam agere in dumis*. Plinius quoque x. 74. *Acanthis in spinis vivit*. Putant nostri hanc esse, quæ vulgo, Silguero: Latini Carduelem nominant. Probus, *quæ Græce acanthis dicta est, Latine carduelis a carduo*. Plautus sæpe usus hac facetia in vocibus Latinis. In Bacchid. *Non omnis ætas, Lyde, ludo convenit*. In Mostellar. *o Venus venusta*. In Pœnul. *venustissima Venere*. Et in Græcis vocibus: in Mil. enim Glor. *Athenis Atticis*. Bacchid. *Est opus Chryso Chrysalo*. Ut vero Græcis, ἀπὸ τῆς ἀκάνθης, ita Latinis *carduelis*, quod spinis et carduis pascatur, ait Isid. xii. 7. Errant qui in Virgilio legunt *resonant acalanthide dumi*, quod notat Brodæus Miscel. vii. 1. Nam Calpurn. *Astyle credibile est, si vincat acanthida cornix*. Et Theocrit. Idyll. vii. ἄειδον κόρυδοι, καὶ ἀκανθίδες. In Græco etiam Epigrammate l. vii. καὶ λιγυρὸν βομβεῦσιν ἀκανθίδες: *Et stridulum resonant acanthides*. Cerda.

339 *Quid tibi pastores Libyæ*] Dicit pro qualitate provinciarum diversa esse genera pastionum. *Servius*.

340 *Raris*] *Raris*, quia non junguntur, et distantibus locis fiunt. *Philarg*.

Mapalia tectis] *Mapalia* casæ Maurorum, qui in eremo habitare dicuntur. sicut illud Lucani: *Surgere congesto non culta mapalia culmo*. Idem.

Raris habitata mapalia tectis] Ideo *raris tectis*, quia mapalia ista Afrorum per agros sparsa, neque in unum oppidum coalita. Ceterum vox ipsa signatissima est, nam sparsa ista, et rara Afrorum domicilia proprie *mapalia* indigitantur. Sallust. ita describit: *Ædificia Numidarum agrestium, quæ mapalia illi vocant, oblonga, incurvis lateribus tecta, quasi navium carinæ sunt*. Sidon. Paneg. ad Majoran. loquens de re Africana: *Pinges Cinyphii captiva Mapalia Bocchi*. Fest. *Mapalia casæ Phœnicæ appellantur*. Inter Mapalia, et Magalia ita discriminat Charisius: *Magalia* καλύβαι ἀφρῶν, *mapalia* καλύβαι ἀγρῶν: id est, *Magalia tuguria Afrorum, mapalia tuguria agrorum*. Cerda.

Mapalia] Sil. Ital. *Qualia Maurus amat dispersæ mapalia pastor*. Mela i. 8. *domicilia sunt, quæ mapalia appellantur*. Emmeness.

341 *Sæpe diem, &c.*] Versus, his meliores, ne Apollinem quidem facere posse, Scaliger testatur, v. 16. Poët. *Taubmann*.

342 *Sine ullis Hospitiis*] Sine ullis stabulis. *Servius*.

343 *Omnia secum Armentarius Afer agit tectumque laremque*] Quomodo tectum et larem bajulat pastor? solvitur. *tectum* dicit tentorium, unde tectum faciat. nunc *larem*, deos dicit penates, id est, ignem, unde focum faciat. *Philarg*.

Omnia secum, &c.] Hanc partem Silius expressit lib. ii. Pun. lineas suas ducens (ait Scal.) ex momentis Virgilianis, et reddens veluti para-

phrasin Virgilii. Adducam integrum locum, jam libatum. *It liber campis pastor, cui fine sine ullo In vetitum saltus penetrat pecus: omnia Pœnum Armenti vigilem patrio de more sequuntur, Gæsaque, latratorque Cydon, tectumque focique In Silicis venis, et fistula nota juvencis.* Sed Virg. proculdubio Varronem expressit, qui Rust. II. ita: *Contra illæ, in saltibus quæ pascuntur, et a tectis absunt longe, portant secum crates, aut retia, quibus cohortes in solitudine faciant, ceteraque utensilia.* Cerda.

Omnia secum] Plin. v. 3. *Numidæ vero* Νομάδες *a permutandis pabulis* (alii l. *papilionibus*) *mapalia sua, h. e. domos plaustris circumferentes.* unde et ἁμαξόβιοι, et ἁμάξοικοι dicti. *Taubmann.*

Armaque] Instrumenta pastoritia. *Id.*

344 *Armentarius*] Abusive. nam de gregibus loquitur. *Servius.*

Tectumque laremque] Tentoria more militum: ac si casam diceret. *Servius.*

Tectumque, Laremque, Armaque] In Romano codice legitur, *Tectumque, laboremque, Armaque.* ubi quid sibi velit *laborem* viderint alii: mihi enim *larem*, ex antiquo religionis cultu, summo opere placet. *Pierius.*

Tectumque, Laremque] Ad hanc rem signata hæc verba Plinii v. 4. loquentis de Nomadibus Africæ: *Mapalia sua, hoc est, domus, plaustris circumferentes.* Et versus Silii de Getulis libro III. *Nulla domus, plaustris habitant, migrare per arva Mos, atque errantes circumvectare penates.* Atque Ovid. Trist. III. 10. *Ruris opes parvæ, pecus, et stridentia plaustra.* Et ista Melæ de Sauromatis II. 1. *pro sedibus plaustra habent.* Cerda.

345 *Armaque*] Ideo hæc gestantur, eatur obviam incursionibus prædonum, qui populabundi discurrunt per Africam. Versum Virg. imitatur Ovid. Met. VIII. *Armaque, equosque, habitusque, Cydoniasque pharetras.* Pari ferme modulo Sil. lib. II. *Gesaque, latratorque Cydon, tectumque focique.* Idem.

Amyclæumque canem] Laconicum. Et est species pro genere. Amycla autem civitas est Laconiæ: unde est, *Amyclæi domitus Pollucis habenis Cyllarus.* Servius.

Amyclæumque] *Amyclæum* non Laconicum, sed pro bono cane accipiendum. item *Cressamque pharetram*, pro *bonam.* Philarg.

Amyclæumque] Amyclarum sic meminit Stephanus, Ἀμύκλαι πόλις λακωνικὴ τῶν ἑκατὸν πόλεων, ἣν Ἀμύκλας ὁ Λακεδαίμονος υἱὸς ἔκτισε. Tulit hæc urbs canes et acres et validos. De Laconicis autem Plin. x. 63. Noster vs. 405. *velocis Spartæ catulos, &c.* Ovid. Met. III. 208. *Spartana gente Melampus.* vs. 219. *prævalidusque Lacon.* vs. 223. *Et patre Dictæo, sed matre Laconide nati.* Horat. Epod. VI. *Qualis aut Molossus, aut fulvus Lacon Amica vis pastoribus.* qui, cum generosorum canum indicem tradit, primo loco ponit Laconicos. ἀλωπεκίδας appellavit eos Pollux v. 5. De ratione nominis disputat erudite Vlit. ad Grat. cyneg. 209. 210. 211. qui canes Spartanos ita laudat vs. 211. *Ad vestrum non vile genus, non patria vulgo Sparta suos, &c.* Ad hæc verba operæ pretium legere laudatum Vlit. p. 175. *Emmeness.*

346 *Patriis acer Romanus in armis*] Generaliter sibi concessis: ac si diceret Martiis. *Servius.*

347 *Injusto sub fasce*] Sub magno onere. ut, *Ego hoc te fasce levabo.* Magnum autem onus dicit propter arma, alimenta, vestitum. *Idem.*

Injusto sub fasce] Ponderoso nimis, et propter onus vix ferendo, duro, difficili. Noster Ecl. III. 33. *injusta noverca.* Cicero in Orat. c. 10. *injusti oneris impositi tua culpa.* Sic Justinus XI. 1. *injusta servitute oppressi.* cui opponitur *justa* apud Ter. And. I. 1. 9. quæ moderata, in qua nihil iniqui jubetur. Aliud *justa servitus* Institut. I. 5. quæ revera servitus est, non opinione, aut

errore. quid *justus dolor* Æn. VIII. 500. De exercendis militibus bajulando itinere faciendo, &c. ubi etiam Virgilii hic locus citatur, Vegèt. I. 19. Cic. Tusc. quæst. II. 16. Horat. Epod. IX. *fert vallum et arma miles*. Quatuor onerum genera recenset Lips. V. 11. de mil. Rom. *Cibum, utensilia, vallum, arma*. Quod caput si perlegeris, portantem sua onera videbis depictum militem, et vere dictum a Marone concedes: *injusto sub fasce gemit*. Sic Quintilian. XI. 3. *fasces* nominat sarcinas, quas ferebant milites, qui tempore Marii, *muli Mariani* inde dicti, ut est in proverbio. *Emmeness.*

Cum] In Romano codice *quom* hoc loco scriptum est, prout moris fuit apud veteres. Sed enim Victorinus in Orthographiæ præceptis ita monet: *Cum* autem si fuerit adverbium temporis, per *q* et *u*, sive unum, sive duo scribatis: ut *quum* primum, et *qum* facerem. *Pierius.*

348 *Ante exspectatum*] Dicto citius, antequam ejus expectetur adventus. Et est una pars orationis: hoc est, adverbium. *Servius.*

Ante exspectatum] Id est, ante expectationem, et prius quam expectaretur, et ante quam putetur venire potuisse. *Philarg.*

Ante exspectatum] Ἀπροσδοκήτως, ἀνοΐστως, ἀνοΐστί. *Germanus.*

Et hosti Ante exspectatum positis stat in agmine castris] Vegetius primo de re militari, ubi de pondere agit, cui se Miles debeat assuefacere, locum hunc Virgilianum citans, *et hostem ante expectatum* legit: utrumque Accusativo casu: ut sit *ante expectatum hostem*. Hujusmodique lectionem, et in veteri codice apud Janum Parrhasium, et in Vaticana Bibliotheca, eo exemplari, quem Francisci Petrarchæ fuisse ajunt. Quantum vero ad scribendi rationem pertinet, *expectatum* absque *s* littera ante *p* posita Vulgata fere omnia habent exemplaria. Sed enim in Romano codice *exspectatum* legitur *s* adversata: et ita scribendum monet Terentius Scaurus, ne per detractionem peccetur, si *s* littera summoveatur, quum adjecta præpositione, ait ille, Salvum esse initium dictionis, quæ subsequitur, debeat. Ait vero Velius Longus, quosdam differentiam posuisse, ut quando *Expecto*, opperior significat, per *x* et *p* absque *s* scribatur: quando vero a *Specto Spectas* est, servet *s*. Sed neque Veterum monumenta, neque totius pene antiquitatis codices huic se regulæ submisere. Sed in utroque significato passim per *x* et *s*, *Exspecto* scriptum invenies. Sane Arusianus Messus locum hunc ita interpretatur, ut *ante Exspectatum*, *antequam Exspectatus* exponat. Ibique pro *stat in agmine* scriptum est, *stat in ordine*. In quo admirabiliorem Romani militis virtutem intuemur; nam cum agmen incondita sæpe sit multitudo, etiam temere contracta, *Ordo* nunquam est sine Duce, Imperatore, Præfecto, Tribunove. Quare videtur hic Virgilius summam disciplinæ militaris observantiam in Romanis admirari: cum dicit eos hosti obviam factos, prius quam illum aspiciant, expeditissimo opere simul, et vallum fixisse, neque solum arma corripuisse; sed veluti si nihil aliud negotii intercurrisset, in ordine jam consistere: paratum non tam ad vallum defendendum, sed etiam ad ipsam hostium aciem invadendam. Sed quamvis ita legatur apud Arusianum, bona tamen veterum codicum pars, *agmine* legit: idque magis eruditorum auribus satisfacere videtur. *Pierius.*

Stat] Obstat. nam Aphæresis est. *Servius.*

Hosti] *Hosti stat*, figurate, pro contra hostem stat. *Philarg.*

349 *At non, qua Scythiæ gentes*] Subaudi, talis est pastio. *Servius.*

Scythiæ gentes] Quæ gentes Scythæ-

rum [illegible] [illegible], atque olim venerint, doceat Willichius, et Plin. IV. 12. *Taubmann.*

Mæotiaque] Mæotis palus est Scythiæ, frigore congelascens. *Servius.*

Mæotiaque unda] In Romano, in Mediceo, et aliis plerisque codicibus antiquis, *Meotiaque* legi non *Mæotia.* Sed enim Stephano λέγεται τὸ κτητικὸν μαιωτικός. μαιῶται populi. μαιῶτις palus. In Longobardico, *Meotica:* sed absque diphthongo, quam sæpe negligit. *Pierius.*

Mæotiaque unda] Gifan. e vett. ll. *Mæotiaque. Mæotis* palus est Scythiæ Europam ad Septentrionem terminans. Plin. VI. 6. Ovid. Trist. III. 12. *Longior antiquis visa Mæotis hiems.* Taubmann.

350 *Hister*] Fluvius Scythiæ, qui et Danubius nominatur. *Servius.*

Hister] Dictum *Danubium* etiam appellari supra G. II. 497. unde Ovid. Epist. I. 8. *ripæ vicina binominis Histri.* Emmeness.

351 *Quaque redit medium Rhodope porrecta sub axem*] Qua Rhodope, mons Thraciæ, protentus in orientalem plagam, Ganmaides in septentrionalem reflectitur. Nam ideo ait, *Redit sub axem.* Nam axis est septentrio: qui Græce ἅμαξα nominatur. *Servius.*

Redit] Nam addita præpositione, ut solet, proit, redit, quod ibi flectatur in sinum, et quasi redire videatur. Hinc annotandum vetuste *axem* pro septentrione positum. *Philarg.*

Quaque redit medium Rhodope porrecta sub axem] *Radit* quidem in plerisque codicibus etiam diligenter impressis legeris. In antiquissimo tamen codice, *quaque redit* legitur; atque etiam in Mediceo, et id Servius agnoscit: ratione etiam adjecta, quod is mons protentus in Orientalem plagam in Septentrionalem mox reflectatur. *Pierius.*

Quaque redit medium Rhodope porrecta sub axem] Quis hic flexus, quo Rhodope redit, et porrigitur sub axem Septentrionalem? Nulla hic lux Interpretum. Sane mons iste eo est situ, ut veluti avulsus ab Hæmo videatur, redeatque sub Septemtrionem, quod Ovid. in Epistol. ita videtur explicuisse: *Qua patet umbrosum Rhodope glacialis ad Hæmum.* Patet (inquam) ea parte, qua avulsus ab Hæmo. Idem Met. VI. rem *anguli* nomine explicat: *Threiciam Rhodopen habet angulus unus et Hæmum:* itaque possumus existimare eundem esse montem, tantum diversa nomina ex aliis, atque aliis gentibus. Quod in Caucaso, et aliis sæpe contingit. Qui viderit descriptiones non vulgares, sed doctas aperte ex situ tam Hæmi, quam Rhodopes, colliget, quæ ista reditio, et flexus in Septemtrionem. Itaque res ista oculorum potius, quam calami est. *Cerda.*

352 *Neque ullæ, &c.*] Sequentes versus ab hoc loco sibi imitandos Oppian. accepit lib. I. Hal. Partem illam de nullis herbis, nullis frondibus, nitide æmulatur Horat. od. I. 22. *Pone me pigris ubi nulla campis Arbor æstiva recreatur aura, Quod latus mundi nebulæ, malusque Juppiter urget.* Idem.

Neque ullæ, &c.] Pro eo Ovid. trist. III. 10. *Adspicere est nudos sine fronde, sine arbore campos.* Emmen.

354 *Informis*] Nivis superfusione, carens varietate formarum, nullisque agnoscenda limitibus. *Servius.*

Informis] Ἄμορφος: carens varietate formarum, ob infusas nives. Horat. *Informes hiemes* dixit. *Taub.*

355 *Septemque adsurgit in ulnas*] Crescit in septem ulnas. *Ulna* autem, ut diximus, secundum alios, utriusque manus extensio est: secundum alios, cubitus: quod magis verum est. quia Græce ὠλένη dicitur cubitus: unde est λευκώλενος ἥρη. *Servius.*

Septem] Præterquam quæ ex Olao magno narrat Cerda p. 441. idem sibi sternendam fuisse viam securibus per nives, asserit I. 8. Ovid. trist. III. 10.

Nix jacet et jactam nec Sol pluviæve resolvunt, Indurat Boreas perpetuamque facit. Ergo, ubi delicuit nondum prior, altera venit. Et solet in multis bima jacere locis. Mela II. 1. perpetuæ eminentes nives adeo invia efficiunt, ut ultra ne visum (l. visum) quidem incedentium admittant. Emmen.

356 *Semper hiems*] Negari nequit, quin ista hyperbolice dicantur. Non enim toto anno, et semper hiems, sed ultra modum in Scythia. Sane Pompon. Mela II. 1. de amne Scythiæ Borysthene et qua alluit Scythiam, ait: *alit lætissima pabula*; quod non fieret, si semper omnia immani gelu premerentur. Et de parte Scythiæ Strab. l. VII. *εὔγειος ἐστι πάνυ, καὶ σιτοφόρος σφόδρα.* Videndus etiam Ovid. Trist. III. 12. *Cerda.*

357 *Pallentes haud unquam*] Nunquam nubes dissolvit. Nam pallentes umbræ sunt, non ex nocte, sed ex nubibus factæ. *Servius.*

359 *Rubro æquore*] Quia Sol sub occasum rubens apparet. Alii *æquore* Solis ad mare *Erythræum* respectum putant: sed perperam. Tale enim mare illud *rubrum* existimatum est, quia Græcis Erythræum dicebatur: sed potius nomen invenit ab *Erythra* rege in istis locis nobili. Vide Strab. l. XVI. et Curtium l. VIII. *Taubmann.*

Lavit] Observavit Lambinus ad Horat. Od. II. 3. Poetam semper usum hoc verbo in inflexione tertia. Notatum idem hoc libr. vs. 221. multa exempla congessit Non. Marc. c. 10. *Emmeness.*

360 *Concrescunt subitæ currenti in flumine crustæ*] Aquæ congelascunt fluentes. Notandum sane, quia cum *hæc crusta dicimus* fœminino genere, lapidis, aut ligni, aut gelu partem significamus. Cum vero *crustum* dicimus, edulium aliquod significamus, partem panis vel placentæ. Ipse in septimo Æn. *Orbem fatalis crusti.* Horatius, *Dant crustula blandi Doctores.* Juvenalis, *Nos colaphum incutimus lambenti crustula servo.* Servius.

Crustæ] Lucret. *mollique lati concrescere crustas.* Taubmann.

361 *Tergo*] De aquis hoc dici Non. Marcell. docet c. 15. sic *dorsum immane mari*, Noster Æn. I. 114. quo loco consule Servium. *Emmeness.*

Ferratos orbis] Lucr. l. VI. *ubi currus fortis aquam vis Ferratos utrinque rotarum succutit orbes.* Taubmann.

362 *Puppibus illa prius*] Plin. in Paneg. *Danubius ripas gelu jungit, duratusque glacie ingentia tergo bella transportat.* Et Claud. II. in Ruff. *alii per terga ferocis Danubii solidata ruunt, expertaque remos Frangunt stagna rotis.* Ovid. Trist. III. 10. *Quaque rates ierant, pedibus nunc itur: et undas Frigore concretas ungula pulsat equi: Perque novos pontes subter labentibus undis, Ducunt Sarmatici barbara plaustra boves.* Et Eleg. 12. *per Istrum Stridula Sauromates plaustra bubulcus agit.* Et de Ponto I. 3. *ubi frigore constitit Ister Dura meant celeri terga per amnis equi.* Eadem ferme de Pont. IV. 10. Hanc gelu immanitatem expressit Seneca in Her. Fur. admodum vivide: *Calcavitque freti terga rigentia. Et mutis tacitum litoribus mare. Illic dura carent æquora fluctibus, Et qua plena rates carbasa tenderant, Intonsis teritur semita Sarmatis. Stat Pontus vicibus mobilis annuis, Navem nunc facilis, nunc equitem pati.* Et in Agamem. *maria pigro fixa languore.* Cerda.

Hospita plaustris] Facilis. Unde et *hospitalis homo* dicitur, hospiti apte serviens. *Servius.*

363 *Æraque dissiliunt vulgo*] Passim crepant. non tam nimio frigore, quam calore æra rumpuntur. Persius, *Findit infantes statuas.* Idem.

Æraque dissiliunt] Ad hanc rem pertinet narratio Strabonis lib. II. ex Eratosthene, ubi adducit epigramma positum in templo Æsculapii, ἐπὶ τῇ ῥαγείσῃ χαλκῇ ὑδρίᾳ διὰ τὸν πάγον: de

hydriis æreis per glaciem discissa. Et in ipso epigrammate dicitur positam ibi hydriam in ἐπίδειγμα χειμῶνος μεγάλου: *argumentum magni frigoris.* Æri affinia sunt saxa, at de his Virg. Ge. IV. *Et cum tristis hiems etiam nunc frigore saxa Rumperet.* Cerda.

Vestesque rigescunt] Durantur, ut frangi potius, quam scindi posse videantur. *Servius.*

364 *Cæduntque securibus humida vina*] Etiam vinum naturaliter calidum illic gelatur. Intelligimus autem peregrinum: nam illic non nascitur, sicut paulo post ipse docet, dicens; *Fermento atque acidis imitantur vitea sorbis.* Sane volunt physici, vinum non gelari: unde hoc loco aut Hyperbole est: aut quia dixit *Humida,* aquæ mista intelligamus: ita enim gelari dicuntur. *Idem.*

Humida vina] Sæpe dictum, in antiquis codicibus, non adspirari huic vocabulo *umida,* contra omnium Grammaticorum præcepta. Quod vero Servius hic *Humida* propter immixtam aquam dictum putat, quæ in caussa sit, ut gelascant vina: Quintilianus vult hoc loco Humida Vina additum esse otiosum Epitheton, sicut *dentibus albis.* Pierius.

Cæduntque securibus humida vina] Quibus aliquid aquæ admixtum est, ea vina, aqua quippe diluta, concrescunt, teste Aristot. Meteor. IV. 7. et 9. Memorabile exemplum apud Phil. Cominæum in fine l. III. in Francomontanis: *tantum erat frigus, ut vinum gelu adstrictum in ipsis vasis, ut securi fractum militibus distribueretur.* Hoc jam sua memoria factum adstipulatur Naso trist. III. 10. *Udaque consistunt formam servantia testæ Vina, nec hausta meri, sed data frusta bibunt.* Idem de Pont. IV. 7. *Ipse vides rigido stantia vina gelu.* Emmeness.

365 *Totæ solidam in glaciem vertere lacunæ*] Fossæ ad siccandos agros paratæ, cum alibi tantum incrustentur, illic usque ad imum congelantur. *Serv.*

Solidam in glaciem] In Romano codice legitur, *et totæ in solidam.* Sed *solidam in glaciem* omnino venustius est. *Pierius.*

366 *Stiriaque impexis*] *Stiria,* id est, gutta: inde fit diminutivum, ut dicamus *stilla.* Inde est *distillat,* et *stillicidium.* Sensus autem duplex est. Nam aut hoc dicit, de impexis barbis pecudum pendens gutta duratur. Aut certe de tectis et arboribus gutta horrida induruit in modum barbarum. *Servius.*

Stiriaque] Stillicidium congelatum, *Stiriam* dicit. *Philarg.*

Impexis barbis] De negligentia rusticorum circa barbam, quam plerique omnes ἀκτένιστον habent, nihil est quod dicatur. Græci γένειον δασὺ, λάσιον. Ovid. El. III. 10. *Sæpe sonant moti, glacie pendente, capilli, Et nitet inducto candida barba gelu.* Emmen.

367 *Interea*] Comparat hæc Scaliger Poët. v. 9. cum Oppianicis in I. Piscationum. *Taubmann.*

Non secius] Non segnius quam inchoaverat. *Servius.*

Aëre] *Toto aëre,* id est, a terris ad cœlum. *Philarg.*

Ninguit] In quibusdam *ningit.* In antiquioribus omnibus, *ninguit.* Unde *ninguidus* Lucretio, et aliis veteribus, Capro reclamante. *Pierius.*

Ninguit] Gifan. agnoscit ex lib. vetere *ninguit;* nam olim *nix, ninguis.* Inde Apul. Hemag. I. *Aspera hiems erat, omnia ningue canebant.* Ante Gifanium idem sensit Priscianus. Dissidet Turn. qui *ningit* agnoscit XVI. 6. *Cerda.*

368 *Pruinis*] Abusive nivibus. nam pruina est matutini temporis frigus. *Servius.*

369 *Conferto agmine cervi*] Conjuncto. Cervi enim congregatione gratulantur. *Idem.*

Conferto agmine] In Romano codice, *confecto* legitur, in Mediceo et aliis omnibus antiquioribus *conferto.* ut sæpe legere est apud Historicos, *con-*

fertum agmen, *confertissimos hostes*, et *confertum opus*, quod ita densum est, ut conjunctum videatur. *Pierius.*

370 *Mole nova*] Nivium magnitudine. *Servius.*

371 *Cassibus*] Id est, retibus. Hinc est quod et *incassum* dicimus, id est, sine caussa, quasi sine cassibus; sine quibus venatio est inanis. *Idem.*

372 *Pinnæ*] In Romano *Pinnæ*, more suo contra Capri sententiam. in aliis *pennæ*. Pierius.

Formidine pinnæ] Funiculis extensis, quos *Lineas* appellabant, intexebantur variarum avium pinnæ, ad feras terrendas et coërcendas, ut in retia agerentur. Id totum *Formido*, a re vocabatur, quia feris eam dabat. Gratius e cygni et vulturis plumis maxime format: et addit; *ab vulture dirus avaro Turbat odor silvas.* Qua caussa a Lucano scriptum: *sic dum pavidos Formidine cervos Claudit, odorata metuentes aëra pinnæ.* Ausonius: *cervos Circundas maculis, et multa indagine pinnæ.* Quanquam et tingi hæ pinnæ sandice aut rubro solent. unde hic Virgil. *Puniceas* eas vocat. Seneca Tragicus: *Picta rubenti linea pinna, Vano claudat terrore feras.* Vide Lipsium ad illud Senecæ Philos. de Ira II. 12. *maximos ferarum greges linea pinnis distincta contineat, &c.* item; *a feris rubens pinna metuitur.* item ad illud de Clem. I. 12. *Sic feras lineis et pinna clausas contineas, &c.* Vide et Not. Æn. XII. 751. *Taubmann.*

Formidine pinnæ] Utar verbis Turneb. V. 5. *Formido in venatione lineam significat, vario plumarum nexu discolorem, qua terrentur apri, vulpes, lupi, ursi, sed potissimum cervi.* Pollux X. 64. σπαρτίον nominat. Sæpius *formidinis*, sive lineæ venatoriæ, variis avium pennis confertæ, meminit Oppian. Cyneget. I. 156. σπαρτόδετον μήρινθον: l. IV. 387. πουλύχροα δείματα θηρῶν. paulo post avium nomina addit, ex quarum pennis formido conficiebatur. Nec pœnitebit, si ad hunc locum doctissimi Rittershusii verba perlegeris, qui quicquid de formidine dici potest, congessit diligenter. Idem Oppian. l. IV. Ἁλιευτ. μηρίνθῳ στέψαντες ἅπαν δρίον. ut hoc loco noster, sic et Æn. XII. 750. *Inclusum veluti si quando in flumine nactus Cervum, aut Puniceæ septum formidine pinnæ Venator, &c.* Cœl. Rhodig. XVI. 11. Apulejus in Apolog. *non quod pinnarum formidines timerem.* ubi Colvius et Casaub. sua adjecerunt. Hinc captiosæ quæstiones *formidines* appellantur, teste Gell. VIII. 9. *Emmeness.*

373 *Sed frustra*] In Romano codice, *Et frustra.* Pierius.

Montem] Molem nivis. *Taubmann.*

Trudentes pectore montem] Aliqua allusio ad versum Lucretii, loquentis de Sisypho: *Hoc est adverso nixantem trudere monte Saxum.* Non sine horum gustu Ovid. Met. III. de serpente: *Fertur, et obstantes perturbat pectore silvas.* Cerda.

374 *Comminus obtruncant ferro*] Hæc venatio cervorum inter nives non abludit ab ea, quam Strabo scribit l. VII. loquens de iisdem Scythis, et Sarmatis, θῆραι δ' εἰσὶν ἐν μὲν τοῖς ἕλεσιν ἐλάφων, καὶ συάγρων: *venationes illis sunt cervorum quidem atque aprorum intra paludes.* Imo credibile est, Virgilium allusisse ad ipsissimam venationem, ut sententia sit, cervos contineri intra loca paludinosa gelu vallata, et astricta frigore. Nam paludes apud Scythas non nisi gelatæ. *Idem.*

Graviterque rudentes] Ru enim more suo corripuit. ut in septimo Æn. *Et sera sub nocte rudentum.* Persius producit, *Findor ut Arcadiæ pecuaria rudere dicas.* Servius.

Graviterque rudentes] *Rudere* etiam leonibus Æn. VII. tribuit: *Vincla recusantum, et sera sub nocte rudentum.* Sunt qui ducti hujus loci argumento tempus admissuræ cervorum a Gallis *Rud* dictum putant. *Germanus.*

Rudentes] *Rudere* hic cervis tribuit:

Æn. vii. leonibus. Æn. viii. homini Caco. Persius asinis. *Taubmann.*

375 *Læti clamore rep.*] De apparatu, plausu, et clamore Venatorum in præda insigniore, ut regem Cappadocum captum credas, vide J. Saresberiens. Policraticum i. 4. *Idem.*

376 *Ipsi in defossis specubus, &c.*] Torrentio teste *defodere scrobem, terram, &c.* idem quod *fodere.* Horat. Sat. i. 41. *furtim defossa timidum deponere e terra.* aliud est *defodere aurum,* quod Justin. xviii. 4. *aurum terræ credere* vocat. Hoc de Τρωγλοδύταις sive subterraneis domiciliis gaudentibus Arist. viii. 12. inde Τρωγλοδυτέω cavernis delector. Huc facit Melæ locus ii. 1. *Atque ob sæva hiemis admodum assiduæ, demersis in humum sedibus, specus, aut suffossa habitant.* Emmeness.

Specubus] Artis fuerat *specibus* dicere: quia quarta declinatio in dativo et ablativo pluralibus, *u* in *i* vertit: et ita facit dativum pluralem, ut ab hoc *fluctu,* his *fluctibus.* sed quia pinguius sonat et melius, *specubus* dicimus. unum tamen nomen est, quod aliter non dicimus, ut *tribubus:* nam *tribibus* nemo dicit. *Servius.*

377 *Otia agunt*] A Græcis, qui σχολὴν ποιεῖν. Usurpat Plato in Theage per initia, ἐμοῦ ἕνεκα ποιῆσαι σχολήν: *mei gratia otium agas.* Et in Timæo extulit per ἡσυχίαν ἄγειν. Ut et Herodotus l. i. Demosthenes, et Dion Chrysost. σχολὴν ἄγειν. Prior in Chersoneso, posterior Orat. xl. Demosthenes quoque Orat. iv. in Philipp. hoc flexu extulit, ἐν ἡσυχίᾳ διάγειν. Virgil. ipse: *agitat dies festos.* Virgilianam phrasin bis arripuit Ovidius, bis Claudianus. Prior Fast. ii. et iv. Posterior Raptus ii. et in prologo ejusdem libri alii item. *Cerda.*

Secura sub alta Otia agunt terra] Sic Naso Fast. i. 67. *Dexter ades ducibus, quorum secura labore Otia terra ferax, otia pontus agit.* Vide ad hunc locum Nobiliss. Heins. *Emmeness.*

Congestaque robora, totasque Advolvere focis ulmos] *Totas* absque particula copulativa in multis veteribus codicibus legitur. Sed in Romano, in Mediceo, et in Longobardico, *totasque* legitur: quæ lectio et eruditior est, et elegantior. Item in antiquissimo, *atvolvere* per *t*, loco *d*: ut pleraque alia quæ ultro præterimus. *Pierius.*

Totasque Advolvere focis ulmos] Observari pondus vult Turneb. xiii. 21. et magnitudinem ingentium arborum. Non male tamen de luculentiore igni struendo dixeris, ut, ubi largius se invitant, adversus vim frigoris muniti sint. *Emmeness.*

379 *Hic noctem ludo ducunt*] Quasi perpetuitatem noctis, sub terris locati, ludo concelebrant. *Servius.*

Hic noctem ludo ducunt] Non *dicunt,* ut nonnulli. *ducere ætatem* Horat. Epist. ii. 2. 202. sic *noctem ducere jucundis sermonibus* Plin. in Epist. *noctem querelis ducere* Senec. in Hipp. Noster Æn. ii. 241. *Me si cœlicolæ voluissent ducere vitam.* eandem locutionem apud Claudian. in Epith. Pallad. reperias, *Et vibrare faces, et noctem ducere ludo.* Stat. Thebaid. ii. *Insomnem ludo certatim ducere noctem.* Emmen.

380 *Fermento atque acidis imitantur vitea sorbis*] Potionis genus est, quod *cervisia* nuncupatur. et consequens est, ut vinum, per naturam calidum, in provincia frigida non possit creari. *Servius.*

Fermento atque acidis] Innuit cervisiam, quod genus potionis confectum ex hordeaceis, ex frumentaceis, ex pomis arborum: ex aliis silvestribus in usu est Septemtrionalibus, ut satis liquet ex Tacito de moribus Germ. *Potui est humor ex hordeo, aut frumento, in quandam similitudinem vini corruptus.* Neque vero solum Septemtrionalibus, sed aliis etiam. Nam Plinius xiv. 22. *Est et Occidentis populis sua ebrietas fruge madida.* Et infra, *Ægyptus quoque e fruge sibi potus similes excogitavit.* Inter cer-

visiæ genera Zythum celebrant Aristot. et Diodorus: ille in lib. de Temulentia, hic v. 9. loquens de Gallia: *Tanta est aëris frigiditas, ut neque vinum ea regio, neque oleum producat. Quare coacti homines potum sibi ex hordeo comparant, quem appellant Zythum.* Lege Junium II. 12. Alexand. Neapolit. III. 11. Attingit Vates convivia Septemtrionalium, et aliquid videtur innuere de illorum ebrietate. Ad hanc rem firmandam non opus Scriptore aliquo, cum adeo noti mores harum gentium. Uni Scythæ dederunt ad signandam ebrietatem verba σκυθίσαι, et ἐπισκύθειν. Lege Herodotum l. VI. *Cerda.*

Acidis sorbis] Acida sunt, quæ Græci τὸ οἰνῶδες ἔχειν dicunt, vel ὀξίζειν τὴν γεῦσιν. quo sensu *acidæ aquæ,* ac *fontes* a Latinis nominantur. Vide Casaub. ad illud Sueton. August. c. 77. *aut recens acidumque pomum succi vinosioris.* Taubmann.

Pocula vitea] Id est, vina. *Idem.*

Sorbis] Pomis silvestribus. De quibus Plin. XV. 21. et Theophr. III. 20. *Idem.*

381 *Septem subjecta trioni*] Tmesis, pro septentrioni. *Servius.*

Trioni] Id est, septentrioni subjecta et Hyperboreo, propterea quia regio, quæ septentrioni subjacet, Hyperborea vocatur, ab eo quod flatus Boreæ excedat. *Philarg.*

Septem subjecta trioni] Tmesis ista in Virgilio, et aliis obvia. Insignis profecto est illa Pacuvii in Chryse: *arte res hac cimur,* pro *arte hac vescimur.* Citat Nonius. vox *Septentrio,* aut *Septentriones,* composita est a *septem* et *terionibus,* et per syncopen *trionibus.* Sunt teriones, boves aratores, ita dicti, a terenda terra. Est vero plaustrum Septentrionale compositum ex septem stellis, ex quibus quasi septem boves figurantur. Ista Varro apud Agel. II. 21. qui ex eodem Varrone aliam hujus vocis profert, et præfert originem. Stellæ istæ septem ita sunt sitæ, ut ternæ stellæ proximæ, quæque inter sese faciant trigona, id est, figuras triquetras. Inde a ternario dicti triones, non ab aratione. Ista etiamsi vulgo nota, hic omitti non debuerunt. Tu si placet, lege Varronem ipsum ling. Lat. l. VI. ab eo loco, *Septem stellas Græci, &c.* Cerda.

382 *Gens effrena virum*] Sæva, rectorem recusans. *Servius.*

Gens effrena] *Quæ sibi parendi legem* dici non patiebatur, ut Justin. II. 3. libertatis amans; nam eodem teste, *ipsi perpetuo ab alieno imperio aut intacti aut invicti manserunt.* Curt. VII. 8. nec *servire ulli potuerunt.* Emm.

Rhipæo Euro] Scythico vento. *Rhipæi* autem montes Scythiæ, ut diximus, a perpetuo ventorum flatu nominati. Nam ῥιφὴ, Græce impetus et ὁρμὴ dicitur, ἀπὸ τοῦ ῥίπτειν. *Servius.*

Euro] *Euro* pro vento accipere debemus. *Philarg.*

Rhipæo tunditur euro] Non hic, quod dictum Georg. I. 240. de montibus Rhipæis, recolemus. Eleganter *tunditur.* Sic Horat. Epod. XVII. *Non saxa nudis surdiora navitis Neptunus alto tundit hibernus salo.* Noster Æn. V. 124. *Saxum, &c. quod tumidis submersum tunditur olim Fluctibus.* Catull. Epigr. XI. *Littus Eoa tunditur unda.* Tibull. II. 4. *Stare vel insanis cautes obnoxia ventis Naufraga quam vasti tunderet unda maris.* Sed quid *Rhipæus eurus?* vehementissimum significat flatum. Eodem modo Stat. Theb. l. I. *Telorum aut grandinis instar Rhipææ, flexoque genu vacua ilia tundunt.* Emmeness.

383 *Pecudum fulvis velatur corpora setis*] Rhenonibus. Nam ut Sallustius dicit in Historiis, *Vestes de pellibus Rhenones vocantur.* Servius.

Velatur] In Romano codice, *velatur* numero unitatis habetur: ut, cum eo quadret, quod superius est *tunditur.* In altero etiam pervetusto, *velatur le-*

gnis erat: sed altera inde manu s superaddita. *Pierius.*

Et pecudum fulvis, &c.] Ad arcendum frigus, (utar verbis Melæ II. 1. *totum braccati corpus, et nisi, qua vident, etiam ora vestiti.*) Quod testatur Ovid. trist. III. 10. *Pellibus et sutis arcent male frigora braccis, Oraque de toto corpore sola patent.* Emmen.

384 *Si tibi lanitium curæ*] Et hæc *lana* dicimus, et hoc *lanicium:* sicut *fuga* et *effugium.* Quod autem dicit oves, lanæ caussa, non debere pinguescere, physicum est. Omne enim pingue animal caret pilis: quod hirsutum efficit macies. *Servius.*

Si tibi lanitium] *De cura Lanitii,* hoc est, tam lanæ quam lanati pecoris: id enim est *Lanitium,* auctore Turnebo XV. 21. Arnobius: *Lanitia curent vestra numerosis fœtibus multiplicari.* Plin. VI. 17. *Seres lanitio silvarum nobiles.* De re ipsa vide Colum. VII. 3. *Taubmann.*

Si tibi lanitium curæ, primum aspera silva Lappæque tribulique absint] In Romano codice, *Lanitium* per *t*, *silva* per *i* latinum, et *triboli* per *o* in pene ultima. Neque præterierim illud, quod Laberius *Lanitia Lanitiæ* genere fœminino usus est, *Nihil refert molle, e Lanitia Attica, an pecore ex hircorum, vestitum geras.* Pierius.

385 *Lappæque tribulique*] A quibus rebus lana decerpitur. *Servius.*

Fuge pabula læta] Quia læta pascua, solocem lanam faciant, hoc est, minutam, duram, atque hirsutam. *Philarg.*

Pabula læta] Lucretii modulo l. I. *Inde feræ pecudes persultant pabula læta.* Ab utroque Manil. l. III. *Tum volucrum pecudumque genus per pabula læta.* Cerda.

Fuge pabula læta] Ne oves pinguescant, et lana rarescat: hoc est, ne oves *minæ* fiant, aut *apicæ,* (ἄπεικοι) ut Varro appellat, quæ ventre glabro sunt; aut, ut Plaut. Trucul. III. 1. *perperæ.* Aristoteles κιλέρας vocat. *Taubmann.*

386 *Continuo*] Pro *perpetuo:* semper hoc enim fieri debet. *Servius.*

Villis lege mollibus albos] Lana enim alba pretiosior est, quippe susceptura alium quemlibet colorem. Quod autem hic per transitum tangit, in aliis plenius legitur; maritum pecoris, et cornu, et ungulis, et palato album esse debere. Alioquin licet sit candidus lanis, constat ex eo pullos nigros creari. *Idem.*

Greges villis lege mollibus albos] Duplex nota, candor, et mollities lanarum. Prima vulgaris est. Omitto. De altera Varr. II. 2. *Ovem esse oportet corpore amplo, quæ lana multa sit, et molli.* Auctor Geopon. l. XVIII. ἄριστοί εἰσι ποκάδες, αἱ ἔρια φύουσαι πολλὰ καὶ μαλακά: *optima sunt vellera, quæ densa et mollia.* Et postea celebrat oves, quæ habeant κοιλίαν ὅλην δασεῖαν ἐρίων, πλήθει καὶ μαλακότητι: *alvum totam lanis densam, et copia, et mollicie.* Colum. VII. 2. *Duo genera sunt ovilli pecoris, molle et hirsutum.* Pallad. VIII. 4. *arietes candidissimi eligendi, et admittendi sunt mollibus lanis.* Iterum, *Eligenda est* (ovis) *vasti corporis, et prolixi velleris: ac mollissimi, lanosi, et magni uteri.* Arist. inter ipsas oves discrimen constituit Problem. sect. 10. τὰ γὰρ νέα πρόβατα τῶν παλαιῶν μαλακώτερα ἔχει τὰ ἔρια: *Ovibus in juventute molliora sunt vellera, quam in senectute.* Cerda.

387 *Aries sit candidus ipse*] Bene addidit, *Ipse,* quasi qui aut dominus gregis est; aut qui antea pro damno capitali dari consueverat. Nam apud majores, homicidii pœna, noxius arietis damno luebat: quod in Regum legibus legitur. *Servius.*

Aries ipse] Bene addit, *Ipse:* quasi dominus gregis, ut Serv. annotat. Nam *Ipse,* ut apud Gr. αὐτὸς, et ἐκεῖνος, *dominum* significant, et quasi nominum propriorum loco sunt: ut e Casaubono notavimus ad Plaut. Cas. IV. 2. *Taubmann.*

388 *Nigra subest, &c.*] Doctissime hoc Virgilius, nihil enim celebratius Scriptoribus Rusticis. Arist. Hist.

Anim. VI. 19. λευκὰ δὲ τὰ ἔκγονα, καὶ μέλανα, ἐὰν ὑπὸ τῇ τοῦ κριοῦ γλώττῃ λευκαὶ φλέβες ὦσιν ἢ μέλαιναι· λευκὰ μὲν, ἐὰν λευκαί, μέλανα δὲ, ἐὰν μέλαιναι. Quin addit, varias quoque oves fore, si color linguæ varius: et fulvas, si fulvus. Varro loquens de arietibus: *Animadvertendum quoque lingua, ne nigra, aut varia sit, quod fere, qui ea habent, nigros aut varios procreant agnos.* Colum. VII. 3. *Itaque non solum ea ratio est probandi arietis, si vellere candido vestitur, sed etiamsi palatum, atque lingua concolor lanæ est. Nam cum hæ corporis partes nigræ, aut maculosæ sunt; pulla vel etiam varia nascitur proles.* Palladius quoque ait, considerandam linguam in arietibus, *quæ si maculis fuscabitur, varietatem reddit in sobole.* Isti omnes cum Virgilio: dissidet Auctor Geopon. qui hanc notam constituit in ipsis ovibus, non in arietibus; nam loquens περὶ προβάτου ἐγκύου, *de ove prægnante*, ait, aperiendum illi os, et ad nigram linguam nigrum partum secuturum, ad variam varium. Plin. VIII. 47. 8. utrique dat, mari, et fœminæ, sed mari inprimis, nam ait: *In eo genere arietum maxime spectantur ora, quia cujus coloris sub lingua habuere venas, ejus et lanitium est in fœtu.* Cerda.

Udo palato] Semper humido. Alibi, *Et udæ vocis iter.* Servius.

389 *Rejice*] *Reji:* aut quasi monosyllabum produxit licenter: aut ut supra diximus, quia cum faciat *rejeci*, *I*, pro duplici habetur, et *Reji* efficit longam. Ideo et in aliis modis præsumit sibi productionem. *Idem.*

Rejice] Signatissima vox, nam oves, quæ non probantur, dicuntur Scripribus Rusticis *rejiculæ*. Varro usus est simili verbo, ait enim II. 2. considerandum de ove, *ventrem ut habeat pilosum, itaque quæ id non haberent, majores nostri apicas appellabant, ac rejiciebant.* Ergo ferenda, imo amplectenda lectio vetus ejusdem Varr. c. 1. scribentis: *Præterea scire oportet in grege, quot fœminas habent, quæ parere possunt, quot anniculas, quot utriusque generis vitulos, quot rejiculæ sunt alienandæ.* Scaliger in Notis ad Varron. mutaverat, *quod pulla sint alienanda.* Cerda.

Pullis] Nigris. *Servius.*

Pullis] Unde *pullatus* pro *atratus.* Juvenal. III. 213. *pullati proceres.* Suet. August. c. 40. *pullatorum turba.* Emmeness.

390 *Nascentum*] Nam *paternæ notæ plerumque natis inhærent*, ait Colum. *Taubmann.*

391 *Munere sic niveo lanæ*] Mutat fabulam. Nam non Pan, sed Endymion amasse dicitur Lunam: qui spretus pavit pecora candidissima, et sic eam in suos illexit amplexus: cujus rei mystici volunt quandam secretam esse rationem. *Servius.*

Munere sic, &c.] Cum Pan coire cum Luna cuperet, et illa præmium peteret, jussit Pan e grege quod vellet eligere. Luna album arietem cepit, et delusa fuit: quia ignorabat alia signa. habebat enim ille aries linguam subnigram, qui maculavit postea totum gregem. Servius aliter. Vide et Apollon. l. IV. et Macrob. l. V. c. ult. *Taubmann.*

Si credere dignum est] Tantum de luna sacrilegium. *Servius.*

392 *Fefellit*] Cepit et fefellit. et bene, *si credere dignum est*, quia dicturus erat impia in Deam. Fabula sic est: Pan cum Lunæ amore flagraret, ut illi formosus videretur, niveis velleribus se circumdedit, atque ita eam ad rem veneream illexit. Hujus opinionis auctor est Nicander. nec poterat esse nisi Græcus. *Philarg.*

394 *At cui lactis amor*] Alia porro est ratio pascendarum oviumque caprarumque, e quibus lactis aut casei copiam habere volumus. Has enim pinguiori cibo alimus, et cythisos, lotosque præbemus, et herbas, sale conditas, præsepibus imponimus. *Pontanus.*

Cytisum] Arbor a Cytiso insula, ubi multa nascitur, dicta. *Philarg.*

Cytisum] Plin. XIII. 24. *Non ex alio pabulo lactis major copia, aut melior, quam cytiso.* V. N. Ge. II. 481. *Taubmann.*

Lotosque] *Lotos* arbor pyro similis, utraque pecori bona. *Philarg.*

Lotosque] De triplici loti arbore, itemque herba dulcissima, videatur Plin. XIII. 17. et XXIV. 2. item Theophrast. III. 12. *Taubmann.*

395 *Ipse*] In Romano et in Mediceo codice, *ille manu salsasque ferat*, scilicet cui lactis amor, quamvis ipse majoris esse ponderis, diligentiorisque curæ videatur. *Pierius.*

Salsasque ferat præsep.] Sic Græci *παραβάλλειν τροφὴν τοῖς θρέμμασι*, et *παμφάλῳ* Athen. Item Hom. Il. Ω. *ἧσι κυσὶν μελεῖστὶ ταμὼν προὔθηκεν Ἀχιλλεύς.* Vide Plutarch. in causis Physicis, *διατί παραβάλλουσι τοῖς θρέμμασι ἅλας οἱ νομεῖς.* *Germanus.*

396 *Amant fluvios*] Ut plurimum potantes, reddant multum lactis: et ipsum lac non sit fatuum, sed habeat salis occultum saporem. *Taubmann.*

397 *Salis occultum saporem*] Putat Pimpontius hac circumscriptione *salivam* exprimi, quæ vel a *sale*, vel *saliendo*, pro gustus sensu et genio quodam sæpe usurpatur. Plin. XXIII. 1. *Sua cuique vino saliva innocentissima, &c.* Seneca ep. 79. *Salivam movere*, id est, gustum facere. ita apud Colum. *Salivatum* est, quicquid *ἀναστομοῖ*, hoc est, quicquid gustum reficit, ut exponit Scalig. in Catalectis. Vide et Casaub. ad illud Persii Sat. VI. *turdorum esse salivam.* Idem.

398 *Excretos*] Validiores. *Serv.*

Excretos] Id est, separatos, aut qui excreverint, id est, valde creverint. *Philarg.*

399 *Prima ora*] Primam rictus partem camo vel fiscella *capistrant*, (ut Plin. loquitur) ne lac exsugant. *Taubmann.*

Ferratis capistris] Id est, duris. *Servius.*

Ferratis capistris] Hæc opponuntur *mollibus capistris.* De quibus supra vs. 188. Scefferus I. 13. *ferrata* peculiaria esse, docet, hœdis ablactandis facta, quæ ferro fuerunt aculeata. hos ferreos aculeos metuunt neque adeo capræ, ut repellant hœdos a lacte propter stimulos, quos illi circa nares habent. *Emmeness.*

400 *Quod surgente die*] Varr. Rust. II. 11. *Mulgent vere ad caseum faciendum mane, &c.* cui præcepto omnino hic institit Virg. *Cerda.*

401 *Nocte premunt*] Cogunt in caseos. *Servius.*

402 *Calathis*] Vasis æreis: in quibus lac, vel recens caseus in urbe distrahitur. *Idem.*

Calathis] Hoc genus canistri destinatum ad omnes res rusticas, quod alibi firmo, et in primis ad lactarias Calpur. et Nemes. uterque Ecl. II. prior: *Sume tamen calathos nutanti lacte coactos.* Poster. *Perfeci calathos cogendi lactis in usus.* Ad rem est definitio ista Græcorum de calatho, *ἀγγεῖον ἐν ᾧ ὁ τυρὸς ἐμπήγνυται*: *vas in quo caseus premitur.* Cerda.

Sub lucem exportans calathis] Enallage numerorum hunc locum corrupit: sed una litterula mutata, germanam Virgilii lectionem effeceris, (ut pro *exportant*, lege *exportans*) tollas etiam parenthesin, quæ necessaria non est: *Sub lucem exportans calathis adit oppida pastor.* in Catull. *Scaliger.*

403 *Aut parco sale*] Aut modico sale: aut re vera *parco*, id est, servatore: quia omne, in quod mittitur, servat. Nam et homo frugi, *parcus* vocatur. Aut certe *parco*, dixit pro *parce*, ut sit nomen pro adverbio. *Servius.*

Aut parco sale contingunt] A *tingo*, vel *tinguo*, ut Lucret. l. I. *Carmina musæo contingens cuncta lepore:* et idem eod. *prius oras pocula circum Contingunt mellis dulci flavoque liquore.* Veteres etiam *tangere* pro *tingere* dicebant: ut et Propert. *Seu solvit tangi parca lucerna mero.* Hom. *πάσσε*

ἁλὸς, et προσπάσσειν ἁλῶν. et Græci ἁλιπάστου βοτάνας. *Germanus.*

Parco sale contingunt] Modico sale adspergunt. *Tangere* autem pro *tingere*, imbuere, linere, et aspergere etiam dixisse, Turneb. annotat, xv. 17. Alii *contingere* hic a *tingo* vel *tinguo* formant. *Taubmann.*

Hiemique reponunt] De servando caseo Colum. xii. 13. *Cerda.*

404 *Nec tibi cura canum fuerit*] Liptotes, pro magna tibi cura sit canum. *Servius.*

Nec t. c. canum] De usu *canum*, quorum hic triplex species; *villatica*, *pecuaria*, et *venatica*, Varro ii. 9. et Col. vii. 12. Plin. viii. 40. *Taubmann.*

Postrema] Vilis. *Servius.*

Postrema] Contrarium est *cura prima*. Quemadmodum *postremus* pro *vilis*, sic *primus*, qui in honore est, et pretio maximo habetur. Ter. E. i. 2. 10. *quia sum apud te primus.* non tantum pro abjecto homine, sed comparationem huic superlativo tribuit in eadem notione Apulejus in Apolog. cum *adolescentulis postremissimis*. Gell. xv. 12. *omnium nationum postremissimum*, id est, *vilissimum*. Emmeness.

405 *Velocis Spartæ catulos*] Pro Spartanos. In Laconicis velocitas; in Molossis fortitudo laudatur. Sparta autem Laconiæ est civitas. Molosia civitas Epiri. *Servius.*

Una] Id est, cum pecore. *Idem.*

Spartæ catulos] Spartani aut Laconici canes in magno pretio apud veteres. Hic illos celebrat Virgil. et supra, *Amyclæumque canem:* iterum *Taygetique canes.* Aristænetus epist. i. 18. ὥσπερ αἱ λάκαιναι σκύλακες εὐμεταθεῖς τε, καὶ ἰχνεύεις ὅπῃ δ' ἂν αἴσθοιό τινος τῆς σῆς ἀμέλει θήρας ἀξίου. Nonnus Dionysiac. xvi. ἄξομαι ἐκ σπάρτης ἑτέρους κύνας. Ab Opp. Cyn. i. numerantur canes Lacedæmonii inter ἐξόχους: *præstantes.* Soph. in Ajace: κυνὸς λακαίνης ὥς τις εὔρινος βάσις. Mitto Xenophontem, Claudianum Stilic. iii. Nemesianum, Varronem Rust. ii. 9. Plinium x. 63. Pollucem l. v. Hi omnes, et plures, meminere horum canum, ut qui generosi sint seminii, ut etiam Aristot. Hist. vi. 20. et Ammian. l. xx. Sed quæ ratio, cur isti in pretio? Olfactum elicias ab Arist. l. v. περὶ ζώων γένεσ. c. 2. διὸ ὅσων οἱ μυκτῆρες μακροὶ, οἷον τῶν λακωνικῶν κυνιδίων ὀσφραντικά. Audaciam, et aviditatem ab Seneca in Hipp. *At Spartanus, &c.* Possit quis referre ad seminium, scribente Arist. Hist. viii. 28. ἐξ ἀλώπηκος καὶ κυνὸς οἱ λακωνικοί. *Cerda.*

Acremque Molossum] Sen. in Hip. *Teneant acres lora Molossos.* Videlicet, quia fortissimi, et magno corpore, præsertim pecuarii, nam cum Arist. Hist. Animal. ix. 1. dixerit venaticos Molossos nihil differre ab aliis canibus, de pecuariis Molossis ita subjicit, τὸ δ' ἀκόλουθον τοῖς προβάτοις τῷ μεγέθει, καὶ τῇ ἀνδρίᾳ τῇ πρὸς τὰ θηρία. Deinde hi canes sunt admodum clamosi, quæ res ad terrorem nata. Lucanus clare l. iv. *Aut dum dispositis attollit retia varis Venator, tenet ora levis clamosa Molossi.* Hic tam vastus clamor a magno ore, quo præditi hi canes. Lucr. l. v. *Irritata canum cum primum magna Molossum Mollia ricta tremunt duros nudantia dentes.* Inde leviter Horat. illustro, qui Sat. vi. 6. *simul domus alta Molossis Personuit canibus.* Non enim absque genio videtur hos canes assumsisse præ aliis ad clamandum. Et Claudian. qui de canibus Dianæ in Stil. iii. *immortalesque Molossi Latrantes mediis circum vaga nubibus ibant.* Sed possit quispiam referre hanc acrimoniam ad olfactum, quo præstant Molossi. Nam Claud. Stil. ii. *tenera venantem nare molossi.* Idem.

406 *Pasce sero pingui*] Aqua lactis, quæ pingues efficit canes. *Servius.*

Pasce sero] Dioscor. ii. 80. καὶ ὁ ἐξ αὐτοῦ (τυροῦ) ὀῤῥὸς κυνῶν τροφιμώτατος: *Serum, quod a caseo est reliquum, optimum est ad alendos canes.* Colum. vii.

12. *Omnes sine discrimine canes hordeaceo farina cum sero commode pascit.* Auctor Geopon. l. x. non serum, sed lac nominat, agens de nutritione catulorum. προσενεγκῶμεν φαγεῖν ἄρτους γάλακτι βοείῳ, καὶ τῷ ἀπὸ τῶν ὀστῶν ζωμῷ βρέξαντες. *Panes lacte bubulo, et ossium jusculo madefactos offeremus ad esum.* Varr. Rustic. II. 9. eadem, et cum ratione: ait enim: *Nec non ita panem hordeaceum dandum, ut non potius eum in lacte des intritum, quod eo consueti cibo uti, a pecore non cito desciscunt.* Claudian. l. I. in Eutrop. *sic pastor obesum Lacte canem, ferroque ligat, pascitque revinctum.* Cerda.

Custodibus] Quæpiam canum elogia. Dicuntur ab Opp. Cyn. I. βουκολίων οὖροι, *armentorum custodes.* Ab Artem. loco adducto, οἰκουροὶ, *custodes domus.* a Varr. II. 9. *Defensores.* Ab Homer. Il. x. Vigilantes Græci comparantur cum canibus, ὡς δὲ κύνες, &c. Et Odys. xx. cum cane prudentissimus Ulysses, ὡς δὲ κύων, &c. Ab Demosthene (ut est apud Isidor. l. I.) oratores, et viri eloquentes comparantur cum canibus. Canum fidelitas, vigilantia, cura comparatur ab Ovid. Fast. v. cum Diis ipsis laribus. Propero ad elogia. Ab Ælian. Histor. Animal. VII. 13. dicitur canis, *custos incorruptus,* a Tullio Nat. II. *canum fida custodia.* a Plin. VIII. 40. *fidissima auxilia.* a Lucret. l. VI. *fida canum vis,* a Claud. in Eutrop. I. *vigili latratu.* Ab Ovid. Fast. IV. *vigiles canes.* A Papin. Achil. II. *cura canum.* Ideo Nazianzen. orat. XI. κυνῶν νυκτερινῶν, quia noctu vigilant. Et Liv. l. v. *Sollicitum animal ad nocturnos strepitus.* Theocritus ita graviter erumpit in illorum laudes: Ὦ πόποι, οἷον τοῦτο θεοὶ ποίησαν ἄνακτες θηρίον ἀνθρώποισι μετέμμεναι, ὡς ἐπιμηθές. Xenophon in Œconom. καὶ τῇ τε ἐρημίᾳ τὴν ἀσφάλειαν συμπαρέχουσαι. Philo περὶ δέκα λογίων: κύνες οἴκου προασπίζουσι, καὶ προαποθνήσκουσι τῶν δεσποτῶν. *Idem.*

407 *Nocturnum furem*] Noctis opportunitatem captantem. *Fur* autem a *furvo* dictus est, id est, nigro. Nam noctis utitur tempore. Horatius, *Quam pene vidimus furvæ regna Proserpinæ.* Aut certe a Græco venit. nam *fur* φὼρ vocatur. *Servius.*

408 *Hiberos*] Abactores. fere enim Hispani omnes acerrimi abactores sunt. *Idem.*

Hiberos] *Hiberi* gens in Ponto. sed magis de Hispanis intelligendum, quorum in latrociniis fama præponderat. *Philarg.*

Inpacatos Hiberos] Virgilii forma Claudianus Ruff. II. *impacatis Alanis.* et in Eutrop. II. *impacatis odiis.* et de IV. cons. Hon. *impacatus Araxes.* Papin. Theb. I. *impacatis somnis.* Huc pertinet etymologia latronum, quæ passim obvia: et quæ ex Plauto omnes indicant. Et verba ista Interpretis Demosthenis in Olynth. II. ἔμφασιν ἔχει τινὰ ἰσχύος τὸ τῶν λῃστῶν, εἴγε λῃστεύουσι τοὺς πολεμίους: *Latronum vocabulum habet quandam notam fortitudinis, siquidem hostes spoliant.* Demum qui locum istum velit illustrare, conferat, quæ ego late Æn. IX. ad illud, *semperque recentes Convectare juvat prædas, et vivere rapto.* Quæ verba sibi laudis loco attribuit Italus Remulus, tantum abest, ut ponat in contumelia. Ergo Hispani, qui bellicosissimi et fortissimi habiti, prædonum nomine honestati sunt a Plinio, ut qui non vitam segnem agerent, sed omnia bello, et rapinis turbarent. Ideo de illis Justinus elogii loco l. XLIV. *fœminæ res domesticas, agrorumque culturas administrant, ipsi armis et rapinis serviunt.* Huic enim errori subjecti fuerunt gentiles, ut quo generosiores et fortiores essent, eo magis converterentur ad furta, latrocinia, rapinas. Qua de re signatus est locus apud Platonem Leg. VIII. Quin, quod mirere, gens quædam Scotorum rem hanc pietatis esse plenam putant etiam nunc. Ita enim l. I. rerum

Dicitur vipera *tactu* esse *mala* propter vim noxiam et venenatam: atque adeo in hunc locum quadrant quæ dico Æn. II. ad illud: *mala gramina pastus*. Cerda.

417 *Cœlumque exterrita fugit*] Gaudet tectis, ut sunt ἀγαθοὶ δαίμονες, quos Latini *genios* vocant. *Servius*.

420 *Fovit humum*] Amplexa terram est, in qua possit latere. *Idem*.

Fovit humum] In codicibus aliquot manu scriptis *fodit* legitur: sed *fovit* Servius agnoscit, et vetera sic habent exemplaria. *Pierius*.

421 *Tollentemque minas, et sibil. &c.*] Lucret. l. III. de serpente: *Quin etiam tibi si lingua vibrante minantem Serpentem, &c*. Germanus.

Tollentemque, &c.] Scaliger hanc de Serpentibus tractationem splendidissimam, numerosissimam, rotundissimam, et Apollineis non inferiorem prædicat, Poët. v. 14. *Taubmann*.

422 *Dejice; jamque fuga*] Convenit huic loco comparatio infra Æn. v. de Serpente: *Qualis sæpe viæ deprensus in aggere serpens, Ærea quem obliquum rota transiit, aut gravis ictu Seminecem saxo liquit lacerumque viator, Nequicquam longos fugiens dat corpore tortus*. Addantur et huic loco elegantes de dracone Apollonii versus l. IV. ὥς τε δράκων σκολιὴν εἰλιγμένος ἔρχεται οἶμον, εὖτέ μιν ὀξύτατον θάλπει σέλας ἠελίοιο, ῥοίζῳ δ' ἔνθα καὶ ἔνθα κάρη στρέφει, ἐν δέ οἱ ὄσσε σπινθαρίγεσσι πυρὸς ἐναλίγκια μαιμώοντε λαμπετᾷ, ὄφρα μυχόνδε διὰ ῥωχμοῖο δύηται. *Germanus*.

Timidum caput abdidit alte] Cui timet. Nam ut dicit Plinius, *Serpentis caput, etiam si cum duobus evaserit digitis, nihilominus vivit*. Servius.

Timidum c.] Cui in primis timet. Nam, capite salvo, partes dissectæ facile iterum coalescunt. Vide Ælian. II. 23. *Taubmann*.

Dejice] Feræ in venatione profligatæ *dejici* dicuntur. Phædr. II. 2. *Super juvencum stabat dejectum leo*. ad quem locum vide Scefferum. *Emmen*.

423 *Agmina caudæ*] Motus. Et hoc dicit, Cæde serpentem, donec caudæ volubilitas conquiescat. *Servius*.

Extremæque agmina caudæ Solvuntur] Est fere hoc, quod Papin. dixit l. v. *tractuque soluto Immanem sese vehit, ac post terga relinquit*. Quod Homer. Il. XIII. ἐπὶ γαίῃ κεῖτο ταθείς: *jacuit in terra extensus*. Datur *agmen* serpenti, agenti sese in omnem partem, ac torquenti. *Cerda*.

Extremæ agmina caudæ] Tortus et spiræ, sive (ut Servius expon.) motus in extremo caudæ. *Hoc dicit:* dejice et cæde serpentem, donec caudæ volubilitas conquiescat. *Taubmann*.

424 *Orbis*] Volumina. ita Æn. II. *sinuatque immensa volumine terga*. Taubmann.

425 *Est etiam ille malus Calabris, &c.*] Ordo: Ille etiam est malus anguis, et convolvere solitus. Hæc autem signa sunt, quibus intelligatur, qualis sit hic anguis. *Philarg*.

Est etiam] *Chersydrum*, qui Calabriæ peculiaris est, describit fere e Nicandro: quod notat Turn. XXI. 10. Similia habet et in *Culice*. Solinus c. 8. *Calabria Chersydris frequentissima est, et boam gignit*. Taubmann.

426 *Squamea convolvens sublato pectore terga*] Id est, erectus: quod ad expressionem generis serpentis posuit: Alii enim repunt toto corpore. Alii eriguntur corporis parte. Lucanus, *Et contentus iter cauda sulcare parias*. Servius.

Sublato pectore] Hæc nota magna est ferocientis anguis. De hydro in Culice: *Attollit nitidis pectus fulgoribus, et se Sublimi cervice rapit*. Anguibus etiam in Æn. II. dat *arrecta pectora inter undas*. Pap. Theb. v. *liquidum nunc aëra lambit Ore supinato*. Cerda.

427 *Notis longam maculosus grandibus alvum*] Duplex nota, grandis alvus, maculositas. De prima Nicand. loquens de aspide: ἕρπει ἀτραπὸν ὀλκαίην δολιχῷ μηρύγματι γαστρός: *Serpit humi*

caudam, ac longi gestamina ventris. De altera Noster in Calice: *Immanis vario maculatus corpore serpens.* Et Silius l. II. *Cœruleus maculis auro squallentibus anguis.* Idem.

428 *Rumpuntur*] Ut supra, *implentur*, aut pro *erumpunt.* Philarg.

Rumpuntur] Pro, *erumpunt:* aut, *Rumpuntur*, pro *implentur:* ut, *ruperunt horrea messes.* Serv. et Philarg. Pomponius de aqua pluvia arcenda: *Si in meo fundo aqua rumpat, quæ ex tuo fundo venas habeat.* Taubmann.

429 *Vere madent udo*] Alibi, *Cum ruit imbriferum ver.* Servius.

Ac pluvialibus] In Rom. codice, *et pluvialibus.* Pierius.

430 *Stagna colit*] De Chersydro Nicander, ἐπὶ βροχώδεϊ λίμνῃ Ἄσπειστον βατράχοισι φέρει κότον: *in cava palude Ingentem affert calamitatem ranis.* Similia de serpente suo Pap. Theb. v. *Sæpe super fluvios geminæ jacet aggere ripæ Continuus, squammisque invisus adæstuat amnis.* Iterum, *Stagna per, arentesque lacus, fontesque repressos Volvitur, et vacuis fluviorum in vallibus errat.* Eadem ferme de Dryina Nicander, cui serpenti dat pro cibo μολούριδας, ἢ βατραχίδας: *moluridas, aut ranas.* Cerda.

431 *Inprobus*] Insatiabilis. *Servius.*

Inprobus] Hic avidus. *Philarg.*

Ingluviem] Ventris capacitatem. *Servius.*

Ingluviem] Varro ad Ciceronem in l. XXIII. *Ingluvies*, inquit, *sunt tori circa gulam, qui propter pinguedinem fiunt, atque interjectas habent rugas.* Sed nunc pro *gula* positum. *Philarg.*

Ingluviem] Plinius nominat *sinum gutturis.* Albertus Magnus barbare *pappam.* Vulgus *pappum.* Græcis est πρόλοβος, πρηγορεών, γαργαρεών. Definit ita Aristot. Hist. II. 17. ἔστι δ' ὁ πρόλοβος δέρμα κοῖλον, καὶ μέγα, ἐν ᾧ ἡ τροφὴ πρώτη εἰσιοῦσα, ἄπεπτός ἐστιν: *est ingluvies, cutis in amplum sinuata, qua primum cibus ingestus continetur incoctus.* Silius l. VI. *serpens centum porrectus in ulnas Lethalem ripam, et lucos habitabat: Avernos Immensi ingluviem ventris, gravidamque venenis Alvum deprensi satiabant fonte leones.* Emmen.

Ranis loquacibus]. Clamosis. *Loquacibus* ideo, quia ex hominibus factæ sunt, ut dicit Ovidius. *Servius.*

Ranisque loquacibus] Πολυφώνοις, πολυφήμοις, Hom. Batrach. Atque ideo *loquaces*, quia ex hominibus sunt factæ, ut dixit Ovid. *Taubmann.*

Explet] Plures ex antiquioribus codicibus *implet* legunt. Sed plus est *explet* dicere. *Pierius.*

Explet] Sic rectius leg. et pro *saturare* usitatum Horat. Epist. I. 14. *strictis frondibus exples.* Noster Æn. III. 630. *nam simul expletus dapibus.* Emmeness.

432 *Exusta*] In Romano codice, in Oblongo, in Longobardico, et aliquot aliis non indecenter legitur *exusta.* Sed enim *Exhausta* proprie dictum videtur: et ita erat in Mediceo, nunc *a* littera inde abrasa est. Sunt quibus magis placeat, *Exusta*, ardore quippe desiccata; quam sententiam continuat, dum subjungit, *Terræque ardore dehiscunt.* Paludes porro exhauriri etiam possunt, absque calore aëris, aut exustione terræ. *Pierius.*

Exusta] Aliquot cod. habent *exhausta*, sed *exusta* legendum vel ex uno Phædr. loco I. 7. evincas: *quædam tum stagni incola, Nunc, inquit, omnes unus exurit lacus.* Sed cum fabulatorem elegantem adeo, hoc jam observatum a Sceffero video. *Emmeness.*

433 *Exsilit*] In codice Longobardico, atque etiam in Mediceo, *Exiit* habetur: sed id nimis segniter. Concitatius vero mihi videtur *Exsilit.* Pierius.

Flammantia lumina torquens] De aspide Nicander in Ther. τὸ δ' ἔνερθεν ὑπαιφοίνισσεται ὄμμα: *rubescunt superne oculi.* et de vipera, ἐνωπῆς γλήνια φοινίσσει τεθοωμένος: *oculorum pupillas iracundus rubefacit.* De eodem in Culice: *Aspectuque micant flammantia lumina*

torvo. Sed et in omnibus serpentibus nota oculorum ardentium maxima fuit semper ad iracundiam. Ita Æn. II. *Ardentesque oculos suffecti sanguine et igni.* Ovid. Met. II. *Igne micant oculi.* Senec. in Furente: *igneos serpentium oculos.* Silius l. II. de serpente: *Ignea sanguinea radiabant lumina flamma.* Pap. v. describens serpentem immanissimum, hanc notam non omisit: *Livida fax oculis.* Cerda.

434 *Asperque siti*] Sallust. *Quod genus, siti magis quam alia re accenditur.* Servius.

Asperque siti] Serpentes siti esse sæviores, satis late Lucanus indicat, et omnes Scriptores, cum incidunt in sermonem Africæ, quæ venenis et serpentibus præ nimio æstu exuberat. Nicand. etiam θέρεος βλαβερὸν δάκος. *Cerda.*

Exterritus] Ne abeat in observatum, in nonnullis legi *exercitus*, vividiore (ut apparet) sententia. *Idem.*

435 *Mihi*] Cuicunque. ut, *Non illa quisquam me nocte per altum Ire..* Servius.

Ne mihi tum mollis] Tali exclamatione et ibi usus est Poëta: *Ne tibi tam prudens quisquam persuadeat auctor:* et supra l. I. *Non illa quisquam me nocte per altum Ire, nec a terra moneat convellere funem:* Et pari ἐνεργείᾳ Callim. et eruptione in hymno Cereris usurpat τὸ μὴ, postquam excandescentiam Cereris in Erysichthona descripsit: μὴ τῆνος ἐμὶν φίλος, ὃς τοι ἀπεχθὴς εἴη, μὴ δ' ὁμότοιχος, ἐμοὶ κακογείτονες ἐχθροί. et idem εἰς Ἄρτεμιν, postquam illud præmisit ἡνίκα δ' αἱ νύμφαι σε χορῷ ἔνι κυκλώσονται...μὴ νειὸν τημοῦτος ἐμαὶ βόες εἵνεκα μισθοῦ τετράγυον τέμνοιεν ὑπ' ἀλλοτρίῳ ἀροτῆρι. Indoles autem geniusque hujus loci manarunt ab illo Nicandri θηριακ. Cum autem Maro dixit, *aut catulos tectis, aut ova relinquens,* nondum videtur habuisse exploratum, an chelydrus, de quo agit, ᾠοτοκῇ, an ζωοτοκῇ. *Germanus.*

Ne mihi, &c.] Succlamatio. Scalig. l. III. 27. *Taubmann.*

Sub dio] Sic legendum docet Ascon. Pedian. in Verr. de prat. urb. p. 83. *Cœlum Græci τὸν δία dicunt.* Utrumque probat Dausq. in Orthograph. *dius* et *divus.* pro quo et vetus lapis *deus.* Horat. od. I. 1. *sub Jove frigido.* Emmeness.

437 *Cum positis novus*] Plinius VIII. 27. *Anguis hiberno situ membrana corporis obducta, fœniculi succo impedimentum illud exuit, nitidusque vernat.* addo Tibulli querimoniam El. I. 4. *Crudeles Divi! Serpens novus exuit annos.* Ovid. de art. a. III. 77. *Anguibus exuitur tenui cum pelle vetustas.* Idem affirmat Nicander in Theriac. *Emmeness.*

Nitidusque juventa] Pelle enim deposita, redit ad ætatem priorem. *Servius.*

438 *Catulos*] Abusive dixit. Nam *catuli* proprie sunt canum. *Idem.*

Aut catulos, &c.] Videtur Poëta ambigere, utrum chelydrus ᾠοτόκος sit, an ζωοτόκος: ut notat Pimpont. Vide Aristot. Hist. Animal. VI. ult. et Plin. X. 62. *Taubmann.*

439 *Trisulcis*] Pari metaphora de hydra Lernæ. Val. Flac. Arg. II. *atque ordine curva trisulco Fulmineus quatit ora fragor.* Ovid. Met. III. ita extulit: *Tresque micant linguæ, triplici stant ordine dentes.* Alcimus Avitus l. II. ita: *trifidam dispergunt guttura linguam.* Sedul. l. I. *linguis trisulcis Squamea colla tumens.* Plin. XI. 37. *tenuissima serpentibus, et trisulca vibrans, atri coloris.* Referenda sententia ad volubilitatem, qua rotatur serpentium lingua, ita celeriter, ut triplex appareat: non ad naturam, nam Arist. de Part. Anim. II. 17. tantum bifidam agnoscit. ὄφεις καὶ οἱ σαῦροι μακρὰν καὶ δικρόαν γλῶτταν ἔχουσι: *Serpentes, et lacerti linguam habent longam, et bifidam.* Idipsum dixerat etiam Hist. Anim. II. 17. Et de vipera Nican. Ther. δικρῇ γλώσσῃ: *lingua bifida.* Cerda.

440 *Morborum quoque te caussas, et signa docebo*] Tria dicit, signa morborum, caussas, et remedia: sed non servat legitimum ordinem. Nam post remedia morborum, signa commemorat. *Servius.*

Morborum] *De pecorum morbis, eorumque remediis et signis* Cato cap. 96. Varro II. 1. Colum. VII. 5. *Taubmann.*

441 *Turpis scabies*] Quæ asperum et turpe efficit corpus. *Servius.*

Tentat scabies] In Romano codice, *Temptat scabies cum frigidus imber Altius ad vivum.* Ex his non rejecerim *cum*, licet *ubi* non displiceat. Nam sequitur, *Vel cum tonsis inlotus adhæsit Sudor:* addam illud, in Romano codice, *illutus* legi. In aliquot plerisque codicibus, *adlutus*, quod non probatur. In aliis dictio est magis corrupta. *Pierius.*

Frigidus imber] Caussa hæc scabiei in Catone est c. 5. Rust. *Scabiem pecori, et jumentis caveto. Id ex fame; et, si impluit, fieri solet.* Omnes vero caussas, quas Virgilius infert, ex illo adducit Columella VIII. 5. Lege illum. *Cerda.*

442 *Altius ad vivum persedit*] Medullas et ossa penetravit. *Servius.*

Altius ad vivum persedit] Sic Apulejus l. VII. *medullaris dolor*, qui altius penetravit. Hos versus attingit Columell. VII. 5. quo in loco et rectissimam sequentium interpretationem offendas. improprie Plautus Bacch. II. 3. 8. *tondebo auro usque ad vivam cutem.* Cic. de amicit. cap. 5. *ad vivum reseco.* Emmeness.

Horrida Bruma] Proprium hiemis epitheton. vide Nobiliss. Heins. Fast. I. 495. *Nec fera tempestas, toto tamen horret in anno.* Emmeness.

443 *Inlotus adhæsit Sudor*] *Lotus* vel *lautus* dicimus. inde est et *lautum eo.* Nam illud ab Horatio satis licenter dictum est, *Ast ubi me fessum Sol acrior ire lavatum Admonuit.* Servius.

444 *Vepres*] *Vepres* in masculino genere. At Lucretius fœminino dixit: ut, *Illorum spoliis vepres volitantibus auctas.* Philarg.

Hirsuti secuerunt corpora vepres] Colum. *Si tonsum gregem patiaris silvestribus rubis ac spinis sauciari.* Cerda.

Vepres] Ambigua prior in *vepres* hic producta: apud Horat. Epist. I. 16. *Cornia vepres et pruna ferant.* Emmeness.

445 *Dulcibus fluviis*] Salsa enim aqua magis pruriginem creat. *Servius.*

446 *Perfundunt*] De hoc remedio Varr. Rust. II. 3. *Curatio autem, cum hic est morbus, hæc. Perfunditur aqua, et perungitur oleo, et vino tepefacto, &c.* Cerda.

Udisque aries in gurgite villis Mersatur] Musimonem dicit ducem gregis, quem ita et Varro commemorat. huic autem partem aliquam lanæ pastores solent relinquere. unde ait *udis villis.* Nam semper oves tonsæ lavantur. *Servius.*

Villis] Ita vocat propendentes pilos arietis. Ita etiam Ovid. de aureo ariete Art. III. *Dictaque Varroni fulvis insignia villis Vellera, Germanæ Phryxe querenda tuæ.* Cerda.

447 *Mersatur*] Colum. IV. 7. distincte hoc: *Atque ubi per triduum delibuto tergore medicamina* (ovis) *perbiberit, quarto die, si est vicina maris, ad littus deducta mersatur: si minus est, cœlestis aqua, sub dio salibus in hunc usum durata, paulum decoquitur, eaque grex perluitur. Hoc modo curatum pecus anno scabrum fieri non posse, Celsus affirmat.* Dissidet ab hoc Vates, qui hanc mersationem aquis dulcibus fieri præcipit. *Idem.*

Secundo amni] Defluenti, cum aqua scilicet. *Servius.*

448 *Tristi amurca*] Amaris olei sordibus. Hoc autem remedium est contra sordes, scabiem, et contra læsum vepribus corpus. *Idem.*

Aut tonsum tristi contingunt corpus amurca] Innuit Poëta, amurca utendum ad ea ulcera, quæ contingunt ex tonsura. Ad hanc mentem ita Col.

VII. 4. *Verum ea* (ovis) *quandocunque detonsa fuerit, ungi debet tali medicamine. Succus excocti lupini; veterisque vini fæx, et amurca pari mensura miscentur, eoque liquamine tonsa ovis imbuitur.* Et signatissime Calpurn. Ecl. v. *Cerda.*

Amurca] De amurca contra scabiem late Doctores Rustici. Colum. VII. 5. *Eidem* (scabiei) *remedio est amurca duabus partibus decocta, &c.* Plin. XV. 8. ait amurcam esse utilem *morbis quadrupedum.* Ita alii. Sed cur amurca tristis? Possis referre ad amaritiem, ex his, quæ ego alibi late. Auctori Geop. l. XVIII. ἀμόργη ἄναλος dicitur: *amurca insulsa.* Certe quicquid est insulsum, amarum quoque dici potest, et fatuum, ut quod careat illecebra salis. *Idem.*

449 *Vivaque sulfura*] Dactylicus versus, quod in fine dactylum habeat. *Servius.*

Et spumas miscent argenti vivaque sulfura] In Romano codice scriptum est, *Argenti et sulpura viva.* *Sulpura* quidem, quia Græcam esse dictionem arbitrati sunt, et in similibus non adsueverint adspirationem admittere. ut *triumpus, Pilippus, et Hypsipyle.* Quod vero pertinet ad numerum, in Mediceo, atque etiam in Longobardico codice legitur, *et sulfura viva.* Sed membrana abrasa. ita tamen, ut duos illos Dactylos *vivaque sulfura* prius fuisse conjectes. In Longobardico, Librarius quid faceret ambiguus fuisse videtur, et utramque miscuit. videtur tamen Adonium recepisse, et *ac* non *et* adscripsit. *Argenti ac sulfura viva.* Sed enim acquieverim ego Servio, et aliis quibusdam Grammaticis antiquis, Dactylicum esse versum asserentibus. *Pierius.*

Spumas argenti] Ita et Plinius appellat, XXXIII. 6. item, *lithargyrium:* cujus tria facit genera: quem vide. Silberschaum, Glett. *Taubmann.*

Et spumas miscent argenti] Lithargyra vulgo. Nam quod Plin. spumæ argenti tribuit, id lithargyro Dioscorides. Verum hodie auri lithargyrum in officinis, sed apud veteres χρυσῖτις vocabatur, cui est color flavus. At cui albus, lithargyrum argenti, vulgo rectius ἀργυρῖτις nominatur. *Willich.*

Vivaque sulfura] Auctor Geop. l. XVIII. οἱ δὲ θεῖον καταχρίουσι. Iterum: τὴν δὲ ψώραν τῶν προβάτων θεραπεύσεις, σὺρφ πλύνων, καὶ θεῖον μετ' ἐλαίου ἀλείφων. Ovid. Fast. IV. *Tactaque fumanti sulfure balet ovis.* Scribit Galen. de Simp. Medicament. Facultat. lib. IX. se ad sanandam adhibuisse sulfur, sicuti etiam ad lepram. Adhibet rationem, quia ita extergit hanc pestem, ut non intro repellat. Hoc remedium, et plura ad imitationem Virgilii repræsentat Calpurnius Ecl. v. Videndus etiam Colum. VII. 5. Homerus Il. XVI. sulfur adhibet ad purgationem, et etiam Odys. XXII. Sed cum sit apud Diosc. v. 124. duplex sulfur, alterum ἄπυρον, id est, *vivum:* alterum πεπυρωμένον, hoc est *igne incoctum.* Sed cur ἄπυρον, redditur Latine *vivum?* Nam si sine igne, certe non vivum? Audi. Dicitur ἄπυρον, non quia sine igne, imo ignem habet, et ideo vivum: sed quia non coctione ignis paretur, ut alterum. Ita plane Celsus v. 18. De orthographia non negligenda Brissonii Nota in Parergo. Quod vulgo *sulphur*, in Pandectis Pisanis, *sulpur.* Et in Leg. *Sulpuaria*, sunt fodinæ sulpuris. Victorius quoque ait, reperisse se *sulpur*, in veteri codice Catonis. *Cerda.*

Vivaque sulfura] Hanc germanam lectionem esse; non, *et sulfura viva;* docuit Erythræus, et probat Scaliger Poët. II. 31. Notatur autem *sulfur* ἄπυρον, *et ignes non expertum*, ut Celsus vocat. Apulejo *metallum vivax* est. Est enim et *factitium* sive *mortuum.* Vide Plin. XXXV. 5. *Taubmann.*

Vivaque sulfura] Ὑπερκαταλήκτικον vocat Macrobius Saturn. v. 14. *Emm.*

450 *Idæasque pices*] Liquidas, quæ in Ida, Phrygiæ monte, nascuntur. *Servius.*

Pices] Auctor Geop. lib. XVIII. τὰ δὲ ἐν τῷ κείρεσθαι συμβάντα τραύματα χριστέον ὑγρᾷ πίσσῃ: *Vulnera, quæ accidunt in tonsura, pice liquida illinuntur.* Colum. *Deinde figularibus tritis, et picis liquidæ, et fricti salis singulos sextarios infundunt.* Cerda.

Et pinguis unguine ceras] Qui plus stomacho quam consilio dant, offendet terminatio, quæ hac in editione occurrit millies, accusativi pluralis in *is* pro *eis*. Memini me monere Ecl. I. 8. *finis*. In gratiam tamen eorum, qui recondita literarum perscrutari, stat sententia, commendatum volumus Dausquium in Orthograph. p. 109, qui non tantum hunc locum, sed et plura ex Virgilio, imo permultis aliis auctoribus, citat testimonia, quibus liquidum, male *eis* rectius *is* desinere hunc casum. *Emmeness.*

Unguine] Omnis succus, quo ungi potest, *unguen* dicitur. *Philarg.*

451 *Scillamque elleborosque*] Genera herbarum sunt. *Servius.*

Scillamque] Genus herbæ, quod in limitibus agrorum ponitur in Africa. *Philarg.*

Scillamque elleborosque gravis, nigrumque bitumen] *Scilla* quæ Dioscoridi, Varroni *Squilla*, Hippocrati *Scella*, radix sit, an bulbus, an cyma, sive fructus, dubitat Theophrastus. Sed et *Pancration* Scilla pusilla nominatur. Tu lege præfatos auctores, et ad hos Barbari Corollarium, c. 406. et 407. Scillam per *i* Latinum Græci codices Aristotelis præferunt. Columella, in Hortis, simplici *l* notat, prima correpta: *Et Scila, hirsuto sæpes nunc horrida rusco.* Legitur tamen apud eundem superius, *Et qua Scilla legit Gætulis obruta glebis.* ubi de Sila intelligit, cujus genera tria, de quibus ibi dicemus. Scilla, de qua hic, Varronis etiam vocabulo a Medicis hodie *squilla* agnoscitur. Populariter, nec inepte, *Cepola canina.* Erythræus.

Elleborosque] Herba quæ et *radicla* dicitur, quæ animalibus prodest. *Philarg.*

Elleborosque] Cum adspiratione scribi vult etymon παρὰ τοῦ ἑλεῖν τῇ βορᾷ, quod *esu* perimat, sed tamen multoties sine spiritu aspero inveniri docet solidis argumentis Dausq. in Orthogr. quem legas, operæ est. De Elleboro et nigro et candido, deque utriusque vi et natura Theophrast. x. 11. de veratro albo seu περὶ ἐλλεβόρου λευκοῦ Dioscorides IV. 145. et cap. seq. de nigro Elleboro remedium esse contra scabiem aperit: θεραπεύει καὶ ψώρας, &c. a quo non abit Plin. XXV. 5. *Emmeness.*

Nigrumque bitumen] Inde Horat. Epod. V. *bitumen atris ignibus.* Idem.

452 *Præsens fortuna*] Efficax, utilis, profutura. Et dicit incidendum esse vulnus, si medicaminibus emolliri minime potuerit. *Servius.*

Magis præsens fortuna laborum est] *Fortuna* apud classicos Poëtas sæpe εὐτυχία est. Propert. lib. I. *Nullane placatæ veniet fortuna procellæ:* et μηχανὴ, et ἄκος, remedium: in quam partem et Lucret. *Germanus.*

453 *Rescindere*] Est hic *aperire, ac viam ferro facere*, ex Nota Gifanii, idque ad imitationem Lucretii lib. II. *Propterea que solere vias rescindere nostris Sensibus.* Ita Æn. X. *viam scindens.* Alibi, *Ille viam secat.* Ita Græci τομεῖν ad iter. Ceterum cum præcepto Virgilii confine Aristot. Hist. VIII. 21. ubi de morbo quodam suis: ἰῶνται δὲ οἱ ὑοβοσκοὶ, ὅταν αἴσθωνται μικρὸν ὄν, ἄλλον μὲν οὐδένα τρόπον, ἀποτέμνουσι δὲ ὅλον. Et Ovid. Met. I. *sed immedicabile vulnus Ense recidendum est, ne pars sincera trahatur.* Cerda.

Summum Ulceris os] Ergo tunc secandum est, cum os habuerit. *Serv.*

454 *Vivitque tegendo*] Passive ut supra, *urit videndo fæmina.* Eadem autem pene hujus loci est sententia, quæ superiori libro: *Nam sæpe incautis pastoribus excidit ignis, Qui furtim pingui primum sub cortice tectus, Robora*

νον κάτωθεν ἄνω, καταιγὶς δὲ τῶν βιαίων πνευμάτων πνεῦμα ἄνωθεν τύπτον ἐξαίφνης. *Germanus.*

472 *Tota æstiva*] Loca posuit pro animalibus. *Æstiva* autem sunt loca umbrosa, in quibus per æstatem pecora vitant Solis calorem. Statius, *Et umbrosi patuere æstiva Lycæi.* Servius.

Æstiva] Voces istæ *Æstiva*, *Hiberna*, capiuntur, etiam nihil addito, de pascuis pecorum, quæ in æstate, quæ in hieme pascuntur. Probat hoc ex Varrone Turnebus XII. 14. Lege illum. Ceterum de origine Æstivorum, atque Hibernorum in militia lege Lazium IV. 4. *Cerda.*

473 *Spemque gregemque simul*] Agnos cum matribus. *Servius.*

474 *Tunc sciat, aërias Alpis et Norica si quis*] Sensus hic est: Si quis est qui sciat ista loca, qualia tunc fuerunt, cum pecoribus erant referta; nunc quoque ea vacantia videat: licet plurimum a pestilentia fluxerit tempus. *Servius.*

Aërias Alpis] Id est, Galliam. Et dicendo *aërias*, verbum expressit ex verbo. Nam Gallorum lingua alti montes *Alpes* vocantur. *Idem.*

Aërias] Morbo cæli, quia corruptus aër morbi causa est: ut ipse, *corrupto cæli tractu.* Philarg.

Tum sciat, &c.] Q. d. Hoc ita se habere, e re præsenti, atque hoc exemplo quivis potest noscere. Aggreditur enim nunc descriptionem *Pestilentiæ*, quam in Gallia, Illuria, et Venetia, sic grassatam esse ait, ut qui illa loca viderit, olim refertissima gregibus, nunc deserta experiatur, licet tempus satis longum a pestilentia effluxerit. Expressa autem deinceps omnia sunt e Lucretii lib. VI. et Thucyd. lib. II. *De pestilentia Atheniensium:* quam et Manilius lib. I. sub finem perstringit. Vide mihi omnino J. C. Scaligerum, Poët. v. 10. ubi docet, hæc Poëtæ nostri carmina, omnium mortalium vel laudem, vel obtrectationem vicisse. Addit insuper, signa morbi et mortis, ac remedia in armentis, divinitus explicari, tum castissime, tum lucalentissime. Illa vero ait etiam Apolline digna, vs. 515. *Ecce autem, &c.* Tum illa cælo ipso delapsa, vs. 520. *Non umbræ, &c.* Et cum hæc satis (inquit) erant ad deterrendum animos sapientum etiam ab imitatione: tamen ea his addidit, quæ etiam obtererent audaciam; *Quid labor, &c.* Quæ equidem (porro ait) malim a me excogitata atque confecta, quam vel Crœsum, vel Cyrum ipsum dicto habere audientem. Verum quæ sequuntur (v. 554. *Balatu pecor.*) non solum narrationi, sed etiam cuivis exspectationi finem imponere poterant. Hæc Scaliger incomparabilis: quæ ideo adduxi, ut judicio tanti viri juventus discat, qui Poëta sit Virgilius. *Taubmann.*

Aërias Alpis] Omnes altiores montes dictos Gallica lingua *Alpes* non tantum hoc loco Servius, sed etiam l. X. vs. 13. idem disputat Cluver. Antiq. Germ. p. 9. et 57. nec non agit illic de origine nominis. proprie tamen sic montes appellati, Italiam a Gallia sejungentes, de quibus Corn. Nepos v. XXIII. c. 3. antea *saltus Grajus* appellatus, ab Hercule, qui primus juga illa celsissima cum exercitu transiit; unde Petronius, in venusto carmine de mutatione reipubl. Romanæ: *Alpibus aëriis, ubi Grajo nomine vulsæ Descendunt rupes, nec se patiuntur adiri, Est locus Herculeis aris sacer, &c. Alpia, Albia, Albionia* Strabo lib. IV. plura illic de eorum finibus, altitudine, &c. et Mela II. 4. *Emmeness.*

Norica si quis] *Noricum* pars est Illyrici. *Servius.*

Norica] De Norica regione, veteris Illyrici parte, ex professo Cluver. Ant. Germ. p. 719. nec non geographorum facile princeps Strabo lib. IV. Nonnulli *Bavariam*, alii *Austriam* appellant. *Emmeness.*

475 *Et Iapidis arva Timavi*] Id est,

Venetiam. Nam Iapidia pars est Venetiæ, dicta ab Iapido oppido. Sallustius, *Primam modo Iapidiam ingressus.* Hujus est fluvius Timavus. Unde male quidam *Iapigis* legunt, cum Iapigia sit Apulia. *Servius.*

Iapidis] Non negarim *Iapidis* legendum, et *Iapidiam* Venetiæ proximam regionem appellatam: quo vocabulo etiam Sallustius sit usus. Non tamen rejiciendum est, quod in Romano codice, atque etiam in Mediceo legitur, *Iapygis*, quamvis improbetur a Servio, qui *Iapygiam* ab *Iapidia* scriptione distinguit. Nam Hecatæus duas ponit Iapygias, quarum una sit in Apulia, altera in Illyrico, a quarum utraque *Iapix*, et *Iapygius* derivetur. *Pierius.*

Iapidis] Sic legendum, non *Iapygis*. Nam Strabo Ἰαπυδία. Et Tibul. lib. IV. in m. s. *Fortis Iapidiæ miles.* non, *Iapygiæ*. Observavit Scaliger. *Cerda.*

Iapidis] Hanc lectionem firmat Salmas. Plin. exercit. p. 59. teste tamen Antonino Liberal. fab. XXXI. τὸ δὲ σύμπαν ἔθνος ὠνόμασαν Ἰαπύγων. pro quo Græcarum litterarum scientissimus Berkelius legit Ἰάπυγας. *Emm.*

476 *Regna*] Plato Leg. IV. αἰγῶν ἄρχοντας, dixit: *principes caprarum.* Itaque verba imperandi, regnandi, dominandi creberrima in re pastorali. Plato statim δεσπόζομεν de eadem re. Sed hoc satis a me illustratum Ecl. I. Revoca. Et in hoc libro supra. *Cerda.*

477 *Et longe saltus lateque vacantis*] Huic enormi vastitati affinia multa Auctorum loca, qui post suarum pestium descriptiones similes locorum solitudines inferunt. Primo loco do Egesippum, qui Excid. Hieros. v. 25. *Omne illud pomærium, in quo ante nemora viridantia, horti inhalantes floribus, diversa pomaria, suburbana prædia gratam sui speciem dabant, si quis postea vidit hospes ingemuit, incola non recognovit, et ad genitalem regressus locum, cum præsens adesset, patriam quærebat.* De re alia Lucan. lib. I. *Saxa jacent, nulloque domus custode tenentur, Rarus et antiquis habitator in urbibus errat.* De peste Oros. VII. 15. *Secuta est lues plurimis infusa provinciis: totamque Italiam pestilentia tanta vastavit, ut passim villæ, agri, atque oppida, sine cultore atque habitatore deserta, in ruinas silvasque concesserint.* Par sententia Claud. in deformando Ruffino lib. II. *Squallet inops pecudum, nullis habitata colonis.* tu reliqua. *Idem.*

478 *Hic quondam morbo cæli miseranda coorta est*] Describit pestilentiam Venetiæ, Galliæ, Illyrici. nam quodam tempore cum Nilus plus æquo excrevisset, et diu permansisset in campis; ex aqua fluminis et calore provinciæ, diversa et plurima in limo animalia sunt creata; quæ recedente in alveos suos Nilo, et integra, et quæ semiplena fuerant, putrefacta sunt: exinde, corrupto aëre, nata pestilentia est; quam Auster flans primo ex Ægypto ad Atticam provinciam pepulit. Mox inde in tractum Venetiæ et Illyrici, usque quaque universa vastavit. Hanc autem pestilentiam ordine, quo diximus, plenissime Lucretius est executus. *Servius.*

Hic quondam morbo, &c.] Pestem Lucret. l. VI. ex Thucydide versibus elegantissimis describit: *Mortifer æstus Finibu' Cecropiis funestos reddidit agros, Vastavitque vias: exhausit civibus urbem:* Ovid. item Metam. VII. ex Homeri imitatione Il. A. *German.*

Morbo cæli] Aëris corrupti vitio. Ovid. Fast. I. *Nec vitio cæli palleat ægra seges.* Propert. II. 19. *crimina cæli* vocat. *Taubmann.*

Miseranda Tempestas] Pessima, ferens rem dignam miseratione. *Serv.*

479 *Tempestas*] *Pestilentia,* sive *pestilitas. Pestis* autem pro exitio fere ponitur. nam qui hac voce pro morbo, quem veteres constanter *Pestilentiam* vocant, utuntur, barbarissant, auctore Gifanio. ita Lucr. l. VI. *flammæ tempestas.* Taubmann.

Totoque autumni incanduit æstu] Exarsit prima autumni parte, quæ semper gravem efficit pestilentiam. Ut autem autumnus abundet morbis, facit confinium frigoris et caloris; quod licet etiam vernum tempus habeat, caret morbo: quia tunc corpora præcedenti durata sunt frigore; quæ autumnus corrumpit, laxiora inveniens post æstatis calorem. *Servius.*

Toto autumni incend.] Exarsit prima parte auctumni, quæ semper gravem facit pestilentiam. Sic Juvenal. Sat. IV. *Letifer auctumnus.* Horat. od. II. 14. *Frustra per auctumnum nocentem Corporibus metuemus austrum.* Taubm.

480 *Neci dedit*] Sic *letho dedit* Phædr. I. 23. *Emmeness.*

481 *Corrupitque lacus, infecit pabula tabo*] Ordinem secutus est, quem et Lucretius tenuit et Sallustius: primo aërem, inde aquam, post pabula esse corrupta. *Servius.*

Corrupitque] In Romano, in Mediceo, et antiquis aliis codic. *corrupit* habetur. non negari potest in quibusdam edit. *Corripuit* legi. *Pierius.*

Tabo] Abutitur pro pestilentia. *Philarg.*

482 *Nec via mortis erat simplex*] Nec moriebantur ex usu, id est, secundum naturalem ordinem; non tantum fuga animæ, sed etiam corporis resolutione. Est autem Sallustii, qui ait, *Ne simplici quidem morte moriebantur*. Servius.

Ignea venis Omnibus acta sitis] Fervidus calor: ab eo, quod præcedit, id quod sequitur. *Idem.*

Ubi ignea venis Omnibus acta sitis] Magnarum pestium comes semper sitis, atque ardor. Thucyd. τῇ δίψῃ ἀπαύστῳ συνεχόμενοι: *Inexhausta siti premebantur.* Lucret. *Intima pars hominum vero flagrabat adesa, Flagrabat stomacho flamma ut fornacibus intus.* et postea, *insedabiliter sitis arida.* et, *Multa siti prostrata viam per, proque voluta Corpora silanos ad aquarum strata jacebant, Interclusa anima, nimia ab dulcedine aquai.* Extremum hoc sumsit ex Thucydide Ovidius: *Viscera torrentur primo, flammaeque latentis Indicium rubor est, et ductus anhelitus igni.* Iterum, *Fontibus, et fluviis, puteisque capacibus hærent.* Seneca: *Anhela flammis corda.* Cerda.

483 *Adduxerunt*] Pro contraxerunt. *Philarg.*

484 *Rursus*] Hic *Rursus* positum pro contra, ut supra: *Rursus cura patrum cadere, et succedere matrum Incipit.* Idem.

Fluidus liquor] Humor sordidus. *Servius.*

Fluidus liquor] Humor sordidus et pestilens. Indicatur putrefactio humorum, quam mortuum efficit obstructio. *Taubmann.*

485 *Ossa*] Etiam ossa. Et per Hyperbolem, totum hominem significat. *Servius.*

Ossa minutatim morbo collapsa] Exprimitur tabes, colliquatio, ac resolutio quædam corporum, qua cadunt peste infecti. Manil. l. I. *et lenta corpora tabe Corripit exustis lethalis flamma medullis.* Lucan. l. VI. *Corpora tum solvit tabes, et digerit artus.* Locutionem sumsit a Lucret. qui l. II. *Inde minutatim vires, et robur adultum Frangit.* Cerda.

In se trahebat] Convulsionem, sive σπασμὸν innuit ἐκ κενώσεως, qui rarissime curatur. *Taubmann.*

486 *In honore deum medio*] In sacrificiis: ut, *Haud equidem tali me dignor honore.* Servius.

Sæpe in honore deum, &c.] Hanc peculiarem conquestionem sumsit a Nostro Ovidius, *Admoti quoties templis, dum vota sacerdos Concipit, et fundit purum inter cornua vinum, Haud exspectato ceciderunt vulnere tauri.* Quod iterum repetit more suo, lascivit enim interdum hic Poëta, veluti non cogitans, quid præmiserit, quo

vitio nullum majus. Ergo: *mugitus victima diros Edidit, et subito collapsa sine ictibus ullis.* Cerda.

Sisms hostia ad aram] Ductum hoc verbum ex ritu sacrorum, admonuit Brisson. II. Form. Hostia enim dicebatur *stare*, interim dum vota conciperentur, eique vinum, ac mola inspergeretur. Huic enim verbo quodam placidæ quietis nota inest. Vide, ut ille multis firmat. *Idem.*

487 *Lanea*] Id est, infula. Nam non stat versus si *lanea vitta* dixeris. Servius.

Lanea] In Med. in Longob. et quibusdam aliis antiquis cod. *lanea* legitur, quod agnoscit Servius. alii *linea.* Pierius.

Lanea infula] Fuit in sacris omnibus apud Gentiles magnus usus fili lanei. Hanc rem satis indicant verba ista Pausan. l. VIII. loquentis de templo, quod Agamedes, et Trophonius erexerunt: *Aditu autem homines prohibuisse, non obicis ullius oppositu, sed laneum duntaxat funiculum obtendisse. sive, quod vigente tunc religione, satis sacrosanctum esse Deum metu locum putarint: sive quod ei funiculo occulta inesset ad homines arcendos vis.* Cerda.

Infula] Gentiles, mactandas hostias velabant infulis. Lucret. l. I. *Cui simul infula virgineos circumdata comtus Ex utraque pari malarum parte profusa est.* Livius l. II. *Claris insignibus velut infulis velatos ad mortem destinari.* Ovid. de Pont. III. 2. *Sparsit aqua captos lustrali Graia sacerdos, Ambiat ut fulvas infula longa comas.* Sueton. in Calig. cap. 27. *cunctantem pueris tradidit verberatum infulatumque.* Infula fuit insigne dedititiorum, et miserorum. Hoc me Livius docet l. XLV. *Idem.*

Infula] Ex Choulio adjunxi victimam, infulis vittisque depictam. *infula* est n. 1. capiti inposita, *vittæ* autem n. 2. quæ dependent. Hæc tamen nomina non raro confunduntur. *Emmeness.*



488 *Cunctantis*] Dubitantes sacerdotes, animal, quod ad sacrificium ducebatur. *Philarg.*

Ministros] In Romano codice, *Magistros* legitur. De Sacerdote enim loquitur, qui ferire cunctaretur. *Pierius.*

Ministros] Non dubium popas intelligi, qui ministri sacrificiorum. Sueton. Calig. cap. 32. *Admota altaribus victima, succinctus poparum habitu, elato alte malleo, cultrarium mactavit.* Propertius l. IV. *Illa dies hornis cædem denuntiat agnis, Succinctique calent ad nova lucra popæ.* Dionys. Hal. l. VII. ὑπηρέτας, vocat. Ex testimoniis datis vides, uti succinctio propria fuerit poparum. Certe ab Ovid. Fast. IV. et Lucan. l. I. ministri dicuntur *succincti.* Quid si hunc habitum voluit Virgil. exprimere attributo cunctationis? Nam quis neget moram inesse in succinctione? *Cerda.*

489 *Mactaverat ante sacerdos*] Ejus scilicet mortem præveniens. *Servius.*

490 *Inpositis*] Cor negatur cremari posse in iis qui veneno interempti sunt, Plin. XI. 37. an eadem ratione peste infecta cremari non possint, considerato. Lucretius certe, in Attica pestilentia ait peste extinctos, non humatos, sed crematos esse. *Ramus.*

Inpositis] Verbum *inponere* in sacris proprium esse satis multis exemplis demonstrat Briss. de form. l. I. Græce ἐπὶ τοὺς βωμοὺς ἐπιτίθεσθαι. *Emmeness.*

Ardent altaria fibris] Quia, ut dicit Plinius Secundus, *Morbosa caro non*

coquitur. Inde ab hac causa, quia morbus universa confuderit. *Servius*.

491 *Nec responsa potest consultus reddere vates*] Colligi enim, nisi ex sana victima, futura non possunt. *Idem*.

Nec responsa potest, &c.] Arripuit sententiam hanc Ovid. in sua peste: *Fibra quoque ægra notas veri, monitusque Deorum Perdiderat*. Ideo vero hoc quia integra, et illæsa offerenda sunt Diis: et morbidis non litabatur. *Cerda*.

Vates] Ὑποφήτης, *extispex, aruspex*: ἱεροσκόπος, ἱερόπτης. *Taubmann*.

492 *Suppositi tinguuntur sanguine cultri*] Sic et in sexto Æn. *Supponunt alii cultros*, id est, jugulant hostias. Dicendo autem *Suppositi* feriendi genus ostendit. Nam interdum ab inferiori parte, interdum desuper feriebantur. *Servius*.


Ac vix suppositi tinguuntur sanguine cultri] Culter sacrorum fuit. Tertull. Apolog. *volentibus initiari moris est, opinor, prius Patrem illum sacrorum adire, quæ præparanda sint describere. tamen ille infans tibi necessarius adhuc tener, qui nesciat mortem, qui sub cultro tuo rideat*. Juvenalis Sat. x. *Et ruit ante aram summi Jovis, ut vetulus bos, Qui domini cultris, tenue et miserabile collum Præbet ab ingrato jam fastiditus aratro*. Apud Apulejum libro tertio capilli, qui debeant magiæ inservire, cultro dicuntur secari. Fuit et culter gladius venatorius, quod ex Suetonio et Martiali observat Lipsius II. Saturn. capite tertio. Lege. Redeo ad sacra. Invenies inter instrumenta sacra loco cultri bipennem, securim, malleum, clavam, machæram. Bipennem Silius exhibet l. VI. *Victimaque admotæ stabat subjecta bipenni*. Securim Noster Æn. II. *Taurus et incertam excussit cervice securim*. Malleum (præter Suetonium, quem jam dedi) Ovid. Met. II. *haud aliter, quam cum spectante juvenca Lactentis vituli dextra libratus ab aure Tempora discussit claro cava malleus ictu*. ῥόπαλον, id est, clavam ab Apoll. illatam. Arg. I. observat Briss. Et Dion. VII. Hal. dixit, θύματος κροτάφους σκυτάλῃ ἔπαιον: *Hostiæ tempora percusserunt clava*. De machæra locus est in Herodoto l. II. ubi ait, carnem immolati bovis incidi ἑλληνικῇ μαχαίρῃ. *Cerda*.

Cultri] Pendentem e cingulo vaginam, quam videas fig. 1. habuerunt popæ, sive victimarii, in qua cultri fuerunt aliquot, et jugulandis, et secandis victimis, inservientes. Quo autem jugulabant percussam securi hostiam, talem depictum habes fig. 2. ex Choulio in libr. *de la religion des anciens Romains*. p. 289. nec non *secespitam* fig. 3. et 4. a *secando* dictam p. 297. 298. 299. cujus meminit Suet. in Tib. c. XXV. *pro secespita plumbeum cultrum subjiciendum curavit*. Accuratam secespitæ descriptionem memoriæ prodit Festus, qui hoc μαχαιρίδιον θυτικὸν, *dolabram pontificalem et scenam*, appellat Pollux I. 1. ubi agit περὶ τῶν κατὰ τὰς θυσίας ὀργάνων, hos cultros σφαγίδας vocat. ne quid desideret antiquitatis venerator, numismata adjeci duo, ubi cultrum et quæ usui fuerunt in vet. sacrificiis, expressa vides. De *cultris suppositis* dicam Æn. VI. 248. *Emmeness*.


1




2



3



4







493 *Summaque jejuna sanie infuscatur arena*] Signatis usus est verbis, nimiumque libratis. *Servius.*

Jejuna sanie] Sicca et exigua. *Phil.*

Infuscatur] Ita et Plin. *sepiam aqua atramento infuscata abscondi dixit.* Germanus.

494 *Volgo*] Ubique, passim et catervatim. *Servius.*

Lætis in herbis] Ideo, ne eos fame perisse putaremus. *Idem.*

495 *Animas reddunt*] Ab Nostro Propertius, et Tacitus. Prior: *Me sine hanc animam extremæ reddere nequitiæ.* Posterior l. XIV. de cæde Agrippinæ: *Post hanc vocem cum supremo mistam gemitu, animam tandem post fera tristem vulnera reddidit.* Cerda.

496 *Hinc canibus blandis*] Canibus rabies ex pestilentia nascitur. *Serv.*

Hinc canibus blandis rabies venit] Hæc lues canes ideo primum invadit, quia odoris vi cetera animantia superantes fœtorem, vel quicquid pestilens sidus adflaverit, naribus percipiunt. Homer. Il. II. 50. ἐπῴχετο κύνας ἀργούς. quem imitatus est Ovid. Metam. VII. 536. *Strage canum prima, &c.* de rabie canum, quæ iis quasi propria est, sic noster Æn. VII. 479. *Hic subitam canibus rabiem Cocytia virgo Objicit.* et vs. 493. *rabidæ canes.* Horat. Epist. II. 2. *Hac rabiosa fugit canis.* vide Aristot. Hist. animal. VIII. 22. περὶ νοσημάτων τῶν κυνῶν. *Emmeness.*

Quatit ægros Tussis anhela sues] Proprie. nam tussis commovet corpora. *Servius.*

Et quatit agros Tussis anhela sues] Tussim comitem esse pestium, satis liquet ex Galen. Method. v. 12. et ex Nicand. in 'Alexiph. Silius in sua peste: *Aspera pulmonem tussis quatit, et per anhela Igneus efflatur sitientum spiritus ora.* Ante omnes Thucyd. καὶ ἐν οὐ πολλῷ χρόνῳ κατέβαινεν ἐς τὰ στήθη ὁ πόνος μετὰ βηχὸς ἰσχυροῦ, καὶ ὁπότε ἐς τὴν καρδίαν στηρίξαι, ἀναστρέφεταί αὐτήν: *Nec diu post labor in pectus cum vehementi tussi descendebat, et cum ad præcordia hæserat, illa vexabat.* Lucretius etiam tussis meminit. nam de sputis: *per fauces raucas vix edita tussi.* Hic et aliis locis hujus pestis, volo observes, Virgilium transtulisse ad feras, quæ in Thucydide et Lucretio repererat de hominibus. Phrasin videtur vates mutuatus a Catullo, qui: *Hic me gravedo frigida, et frequens tussis.* Cerda.

497 *Ac faucibus angit obesis*] Tumentibus. *Angit* autem, bene ait. Nam angina dicitur porcorum morbus, qui occupat fauces. Plautus, *Vellem me in anginam verti, ut huic aniculæ fauces præoccuparem.* Servius.

Ac faucibus angit obesis] Omnino anginam indicat, quæ propria suum, inde ὑάγχη dicta. Lucretius de hoc malo: *ulceribus vocis via septa coibat.* Iterum: *fauces raucas.* Silesius: *descendere fauces Abnuerant siccæ jussorum alimenta ciborum.* Ceterum morbus hic in suibus βράγχος dicitur Aristoteli Hist. VIII. 21. *Cerda.*

498 *Labitur infelix*] Lusere in suis pestibus ad imitationem Virgilii, Ovid. Lucan. Seneca: hi tres loquuntur de equo. Versus dabo, quos lector conferat cum Virgilio. Primus: *Acer equus quondam, magnæque in pulvere famæ Degenerat, palmæ veterumque oblitus honorum, Ad præsepe gemit morbo moriturus inerti.* Secundus: *Belliger attonsis sonipes defessus in arvis, Advectos cum plena ferant præsepia culmos, Ore novas poscens moribundus labitur herbas, Et tremulo medios abrumpit poplite gyros.* Tertius: *Segnior cursu sonipes in ipso Concidit gyro, dominumque prono Perdidit armo.* Luxuriarunt isti, Virgilius presse, graviter, demum cum magna doloris nota: *Labitur infelix studiorum, atque immemor herbæ Victor equus.* Idem.

Herbæ] Pro herbarum, ut ipse: *Immemor herbarum, quas est mirata juvenca.* et rursum: *Carpit enim vires paulatim, uritque videndo Femina, nec nemorum patitur meminisse, nec herbæ.* ergo hic, vel amore, vel miraculo carminis oblivionem herbæ factam dicit; ita illi occupatione morbi. quidam volunt ideo dictum, *studiorum atque immemor herbæ*, quod antiqui in pratis certamina exhibere consueverunt. Reliqua Grammatici legunt. *Philarg.*

Herbæ] Aliqui explicant, *victoriæ.* Possunt. nam *herbam dare*, apud Romanos, fuit, *victoriam præbere, et fateri se victum.* Ita Symmach. III. 44. *Sed quid ego de hoc plura, cum sim tibi dicto audiens, atque herbam dederim voluntati tuæ.* Plin. loquens de elephantis VIII. 5. *mirus namque pudor est, victusque vocem fugit victoris: terram, ac verbenas porrigit.* Vide eundem Plin. XXII. 4. et Festum, qui morem hunc e pastoribus ducit. Sed mihi visum de pabulo Poëtam capere: tum quia ipse vates de vero pabulo Ecl. VIII. *immemor herbarum juvenca*; tum, quia venustior sententia de equo, aversante et pabulum et potum. Ad cujus imitationem Severus Rhetor: *Hic fontis renuens, graminis immemor.* Describit videlicet pestem boum. Demum ita intelligit Brodæus vir magni judicii. *Cerda.*

499 *Fontis avertitur*] Id est, aversatur. ita Æn. I. *fuga prævertitur Hebrum*: active. *Taubmann.*

500 *Crebra ferit*] Crebro: nomen pro adverbio. *Servius.*

Crebra] In Longobardico, *Crebro ferit.* Neque timendum syllabæ, quum

Carisius *tertio* adverbium pro Dactylo agnoscat, et *sero* Trochæi dimensione sit apud Statium. *Pierius.*

Crebra ferit] Lucret. II. *et crebra revisit Ad stabulum:* et Epigr. l. VII. δωπιδεὶς ἔνθ᾽ ἐρέσσῃ πουλὰ μεθαλλόμενος· et apud Sophocl. δεινὰ βρυχηθεὶς· et Virg. *sera comantem Narcissum:* item supra, *Asper, acerba sonans:* et Lucret. l. v. *acerba tuens immani corpore serpens.* Germanus.

Demissæ aures] Eadem nota est in Colum. VI. 30. de equis laborantibus: *capitis dolorem indicant lacrymæ, quæ profluunt: auresque flaccidæ, et cervix cum capite aggravata, et in terram submissa.* Et in Aristot. Hist. VIII. 24. ubi de equis, rabie laborantibus ait: σημεῖον δὲ τούτου, τὰ ὦτα καταβάλλει πρὸς τὴν χαίτην: *Hujus indicium est demissio auricularum ad jubam.* Eandem notam dedit cap. præcedenti laborantibus bobus, σημεῖον δὲ τῆς ἀῤῥωστίας, τὰ ὦτα καταβάλλουσι: *indicant ægritudinem demissione aurium.* Multa sunt loca in Theriacis, et Alexipharmacis Nicandri, ubi remissio et languor corporis, mortis signa sunt. *Cerda.*

Demissæ aures] Flaccidæ. Vegetius I. 1. Mulomedicinæ. *Taubmann.*

Incertus ibidem Sudor] Irrationabilis, sine labore, cujus caussa non apparet. *Servius.*

501 *Sudor*] Lucret. in sua peste. *Sudorisque madens per collum splendidus humor.* In sua Silius, *gelidus per viscera sudor Corpore manabat tremulo.* Sophoc. de peste, quæ invasit Herculem, indutum veste missa a conjuge, ita in Trachin, ἱδρὼς ἀνίει χρωτί: *fluxit sudor per corpus.* Nicander in Alexiph. ἀμφὶ δ᾽ ὀδμήεις καμάτῳ περιλείβεται ἱδρώς: *Sudor olidus circumfluit vexatis morbo.* Virgilius et Silius signate *frigidus sudor,* qui in acutis morbis, teste Hippocrate, lethalis est, Verba hujus Aph. IV. 37. hæc sunt, οἱ ψυχροὶ ἱδρῶτες ξὺν μὲν ὀξεῖ πυρετῷ γιγνόμενοι θάνατον σημαίνουσιν. Nicander de morsis lethaliter a vipera, Πολλάκι δ᾽ ἐξ ὀνύχων ἴσχει κρύος, &c. Et post pauca, Ψυχρότερος νιφετοῖο βολῆς περιχεύεται ἱδρώς. *Cerda.*

Incertus Sudor] Cujus caussa non apparet. Hippocrati sunt ἱδρῶτες ἄκαιροι, et οὐ κρίσιμοι. *Taubmann.*

Morituris frigidus] Frigidus sudor, mortis futuræ signum est, et moriturus frigore plenus est. *Servius.*

Aret Pellis, et ad tactum tractanti dura resistit] Lucret. pariter: *frigida pellis, Duraque.* Lucanus, *Jam riget atra cutis.* Egesipp. in peste Hierosolymit. v. 21 *Arida cutis siccis hærebat ossibus.* Aristot. Meteor. IV. ita, ἔστι δὲ σκληρὸν μὲν, τὸ μὴ ὑπεῖκον εἰς αὑτὸ κατὰ τὸ ἐπίπεδον. *Cerda.*

502 *Et ad tactum*] In Romano, *at,* ut solet. in Longobardico, *et ad tractum.* Pierius.

Tractanti dura resistit] Frigida est, nec cohæret digitis. *Servius.*

Tractanti dura resistit] Τὸ σκληρὸν δέρμα τῇ ἁφῇ ἀντιτυπεῖ· inde nimirum, quod aliis corporibus non cedit: unde Lucretio *aqua mollis: mollis aquæ fertur natura repente Flumine abundanti.* et Æn. IX. *mollibus extulit undis.* Videtur autem hic Virg. ex doctrina Arist. Meteor. IV. *durum* definivisse: sic enim ille: ἔστι δὲ σκληρὸν μὲν, τὸ μὴ ὑπεῖκον εἰς αὑτὸ κατὰ τὸ ἐπίπεδον. et idem eodem: σκληρὸν καὶ τὸ μαλακὸν ἁπλῶς πρὸς τὴν ἁφὴν ὡρίκαμεν. Vide illud Æn. IX. *mollibus extulit undis.* Germanus.

504 *Cœpit crudescere morbus*] Validior fieri; ut, *Devicta crudescit pugna Camilla:* et jam dat signa morbi validioris. *Servius.*

Cœpit crudescere morbus] Ter. Hec. III. 2. 2. utitur *aggravescere,* et quidem de morbo, qui gravior fit. Noster VII. 788. *effuso crudescunt sanguine pugnæ.* Tacit. Hist. III. 10. *ubi crudescere seditio, &c.* Stat. Thebaid. II. 679. *nec jam amplius iræ crudescunt.* Emmeness.

505 *Ardentes oculi*] Nulla major nota illorum, qui tenentur acri peste.

Thucyd. inter signa, ὀφθαλμῶν ἐρυθήματα, καὶ φλόγωσις: *oculorum rubores, et inflammatio.* Lucret. *Et duplices oculos, suffusa luce rubentes.* Lucan. *strident oculis ardentibus ignes.* Seneca: *Multoque genas sanguine tingit.* Galen. de Præsag. ex puls. III. 4. *etiam oculi eorum sunt accurate inspiciendi: nam inter lavandum manifeste redduntur calidi, et flammei quidam postea tales permanent, quos plane sciemus teneri peste.* Cerda.

Attractus ab alto Spiritus] Thucyd. καὶ πνεῦμα ἄτοπον, καὶ δυσῶδες ἠφίει: *Spiritus arcte, et cum graveolentia meabat.* Lucretius tantum expressit δυσῶδες Thucydidis: *Spiritus ore foras tetrum volvebat odorem, Rancida quo perolent projecta cadavera ritu.* Illud *ab alto*, ita extulit Horat. Epod. XI. *latere petitus imo spiritus.* Cerda.

506 *Gemitu gravis*] Sophoc. in sua peste Œdip. Tyr. de fœminis ἱκτῆρες ἐπιστενάχουσι, *suspirant supplices.* Agathias de duce hostium, peste correpto, οἰμωγὰς ἀφίει βαρείας, *edidit graves gemitus.* Livius l. XXV. inter reliquas pestis complorationes, *Quotidianaque funera, et mors ob omnium oculos esset, et undique dies noctesque ploratus audirentur.* Lucret. *Intolerabilibusque malis erat anxius angor. Assidue comes, et gemitu commista querela.* Seneca: *Intima creber viscera quassat Gemitus stridens.* Idem.

Imaque longo Ilia singultu tendunt] Thucyd. λύγξ τε τοῖς πλείοσιν ἐνέπιπτε κενὴ σπασμὸν ἐνδιδοῦσα ἰσχυρόν: *Plerisque inanis incidebat singultus acrem ciens spasmum.* Lucret. *Singultusque frequens noctem persæpe diemque Corripere assidue nervos, et membra coarctans Dissolvebat eos defessos ante, fatigans.* Integram sententiam, qua ait de ægrotante equo, *Ilia tendi longo singultu*, recte illustrat Turn. XVII. 9. a quo transcripsit Germ. Est enim quod Lucan. dixit l. IV. *Pectora rauca gemunt, quæ creber anhelitus urget, Et defecta gravis longe trahit ilia pulsus.* Quod Statius Theb. VI. *nec jam integer illis Impetus, et longi suspendunt ilia flatus.* Quod Plin. XXVI. 6. loquens de verbasco, *ut jumentis etiam non tussientibus modo, sed ilia quoque trahentibus auxilietur potu.* Quod Horat. epist. I. 1. de equo deficiente: *Peccet ad extremum ridendus, et ilia ducat.* Plautus ante Horatium in Asin. *ex cursura anlitum ducere*, id est, anhelitum. Ceterum *ilia* dicta ab *ima* quæ pars chartæ est tenuissima, unde et *exilia* dictæ sunt, ex Festo adducit Ludovic. Carr. Lect. antiq. I. 7. Festumque emendat, apud quem pro *ima*, scriptum *via* nullo sensu. *Idem.*

507 *Tendunt*] Pro tenduntur: aut tendunt se, aut equi tendunt. *Philarg.*

Tendunt] Scil. *se*, aut dictum ut illud, *venti ponunt:* aut *equi tendunt.* Taubmann.

508 *Obsessas fauces*] Id est, clausas. *Servius.*

Obsessas fauces] Inflammatione clausas. Petronius: *Faucibus obsessis vitalis semita cessit.* Taubmann.

Aspera lingua] Scilicet nimia siccitate. *Servius.*

Aspera l.] Ex nimia siccitate. Ovidius: *Aspera lingua tumet, tepidisque arentia ventis Ora patent.* Taubmann.

509 *Profuit inserto latices infundere cornu*] Non semper, sed aliquando. nam hoc solum est, quod morbo liberat, aut commovet in furorem. *Serv.*

Latices Lenæos] Hanc partem Germ. illustrat ex Homer. Il. VIII. apud quem Andromache defessis equis Hectoris vinum propinat, οἶνόν τ' ἐγκεράσασα πιεῖν. Columell. VI. 30. de equorum curatione, *Lassitudini quies remedio est, ita ut in fauces oleum, vel adeps vino mista infundatur.* Facit nonnihil, vinum per nares infusum adhiberi, ab Aristotele ad medelam suam ægrotantium l. VIII. Historiar. c. 21. Vinum etiam adhibet ægrotanti elephanto c. 26. Atque etiam contra venena eidem vina dat c. 29. ut omnibus Nicander in Alexiphar-

macis. Instrumentum hoc, *infundibulum* vocat Columella. *Cerda.*

510 *Ea visa salus morientibus una. Mox erat hoc ipsum exitio*] Sic Aristoph. in Nubibus I. 1. ὅλην τὴν νύκτα φροντίζων ὁδοῦ μίαν εὗρον ἀτραπὸν δαιμονίως ὑπερφυᾶ. Ælianus apud Suidam μίαν εἶναι σωτηρίας ὁδόν. sic apud Euripid. in Helena μί᾽ ἐστὶν ἐλπὶς ᾗ μόνῃ σωθεῖμεν ἄν. Apulejus Metam. v. *monstrabimus viam, quæ sola deducit iter ad salutem.* Hoc vult Poëta, ea, quæ saluti sunt, crebro exitium ferre. de his disputat fusius Pricæus ad Apulejum p. 479. et Cerda ad vs. 549. *quæsitæque nocent artes.* Emmeness.

511 *Mox erat hoc ipsum exitio*] Quod saluti esse putabatur. Et hoc est quod paulo post dictum est, *Quæsitæque nocent artes.* Servius.

Mox erat hoc ipsum exitio] Simile quiddam Lucret. *Hoc aliis erat exitio, lethumque parabat.* Quod sumsit ex Thucyd. *Cerda.*

Furiisque refecti] Quia languentia corpora in vires quodammodo excitat furor, et facit ea in exitium convalescere. *Servius.*

513 *Dii meliora piis*] Per parenthesin in execrationem hostium, hanc torquet insaniam. *Idem.*

Dii meliora piis] Subaudiri debet *duint*, faciant. et *Di melius* inter abominandi formulas enarrat Brisson. de form. l. I. Duas etiam Græcis loquendi formulas in usu fuisse constat, εἰς τὸ λῷον ἐκδραμεῖν τεύξειε, vel εἰς τὸ ἀγαθόν μοι. qua utebantur, infausta amolientes; et εἰς κεφαλήν σοι. cum aliis imprecarentur mala. De utraque erudite Meurs. ad Lycophronis Cassandr. p. 345. *Emmeness.*

Erroremque] Hic pro *furore* posuit. *Philarg.*

Erroremque] In Romano *ardorem.* Nam de morbi genere dictum est, *Ardebant.* Pierius.

Erroremque] Id est, furorem, qui mentem perturbatam sequitur. Ita Bucol. VIII. *ut me malus abstulit error.* Et monet Pimpontius, Lucretium etiam *Errorem* sæpicule pro noxa, et infortunio accipere: ut Græcos πλάνην, et ἁμάρτημα. Lucilius: *Dii monerint meliora, atque amentiam averruncassint tuam!* Taubmann.

Erroremque hostibus] Infortunia a se averruncantes plerumque in inimica capita rejectabant. Noster Æn. VIII. 484. *Dii capiti ipsius generique reservent.* Horat. od. III. 27. *Hostium uxores puerique cæcos Sentiant motus orientis Hædi, et Æquoris nigri fremitum, et trementes Verbere ripas.* Plura desideranti suppeditat exempla Lambin. ad hunc locum. *Emmeness.*

514 *Nudis*] Ut fœditatem exprimeret, adjecit *nudis.* Philarg.

515 *Fumans sub vomere taurus*] Per hoc ostendit etiam fortes tauros, repente morbo concidere. Nemo enim pestilentem ad aratra ducit juvencum. *Servius.*

517 *Extremosque ciet gemitus*] Ultimum gemuit. *Idem.*

Ciet] Modo *dat* significat; sicut in tertio de Andromache, *Lachrymasque ciebat.* cum *ciere* proprie sit alteri aliquid commovere. *Idem.*

Extremosque ciet gemitus] Ut frequenter, sic hoc loco imitatur Marorem Phædrus I. 19. *flebiles gemitus ciens.* IV. 22. *gemitus immanes ciens.* et Noster III. 344. *longosque ciebat Incassum fletus.* et Ge. IV. 64. *Tinnitusque cie.* Emmeness.

Tristis arator] Morte juvenci *tristem* dixit agricolam. *Philarg.*

518 *Abjungens*] Idem quod *solvens;* quo verbo noster utitur Ecl. IV. et Ge. II. in fine. ut *jungere* sic *abjungere* Propert. Eleg. II. 18. *quam prius abjunctos sedula lavit equos.* Pro ea Non. Marc. l. II. *abjugare* dicit. Græce ἀπολύειν, ἀποζευγνύναι. De his videndus Sceffer. de R. veh. I. 12. *interjungere* autem est, jumenta tam diu solvere, usque dum ad evitandam lassitudinem cibo reficiant vires. Male Martial. Epigr. II. 6. *iter jungere* pro

interjungere quæris ad camenas. Nostratibus est pleysteren. *Emmeness.*

Fraterna morte juvencum] Consortis interitu. Et ex affectu dictum est rustici. *Servius.*

519 *Opere in medio*] Hesiod. sic extulit ἔργ. II. ἔργον ἐτώσιον λίποιεν: *opus frustratum relinquant.* Homer. Il. IV. ἀτελευτήτῳ ἐπὶ ἔργῳ: *in opere imperfecto.* Germanus.

520 *Non umbræ altorum*] Congruit locus ille Lucretii l. II. *Non teneræ salices, atque herbæ rore vigentes, Fluminaque ulla queunt summis labentia ripis Oblectare animum, subitamque avertere curam.* Idem.

Non mollia possunt Prata movere animum] Legendum ex veteribus omnibus codicibus, *Non mollia possunt Prata movere animum:* quæ lectio maxime probatur ab eruditis omnibus. Legitur etiam, *Non gramina possunt Grata movere animum.* Pierius.

Movere animum] In suum desiderium illicere. *Servius.*

522 *Purior electro campum petit amnis*] Nam sicut electrum defæcatius est metallis omnibus: ita et currens aqua cæteris purior. *Idem.*

Electro] Quod a nobis *succinum* appellatur, *electrum* vocant Græci. *Philarg.*

Electro] Ὑγροφαὴς amnis limpidissimi. *Electrum* autem alii *metallum* intelligunt, quæ est auri argentique mixtura: de quo Æn. VIII. 402. Alii *succinum*, quod resina est arborum odoratarum: de quo Ecl. VIII. *Pinguia corticibus sudent electra myricæ.* Vide Hadr. Junium in *Succinum.* Taubmann.

523 *Oculos stupor*] Veget. Mulomed. I. 1. *stupentibus oculis, auribus flaccidis, erecto pilo, exhausta sunt ilia, &c.* Idem.

Urget inertes] Id est, urget, et inertes facit. *Philarg.*

524 *Ad terramque fluit*] Lucanus. *Fessumque caput se ferre recusat.* Serv.

Ad terramque fluit] Hunc gestum mœroris signum Homerus in Xantho, Achillis equo, mortem domino prædicente, observavit Il. T. sub finem, ἄφαρ δ᾽ ἤμυσε καρήατι, πᾶσα δὲ χαίτη Ζεύγλης ἐξεριποῦσα παρὰ ζυγὸν οὖδας ἵκανεν. Item Il. Ψ. τὸν τώγ᾽ ἑσταότες πενθείετον, οὔδει δέ σφιν Χαῖται ἐρηρέδαται, τὼ δ᾽ ἕστατον ἀχνυμένω κῆρ. *Germ.*

525 *Quid labor, aut benefacta juvant*] Si neutrum mortem repellit; nec corporis exercitium, nec mentis religio. Nam si generalis est sententia, secundum Epicureos, contra religionem est: si autem tantum ad bovem refertur, hoc dicit: Quid ei prodest labore suo aluisse mortales? *Servius.*

526 *Atqui non Massica Bacchi Munera*] Vina pretiosa a Massico monte Campaniæ. Et per transitum tangit illa quæ dicunt physici; morbos venire ex cibi et potus nimietate; vel mutatione, ex nimiis vigiliis et multa sollicitudine. Dicuntque etiam sine his nasci ægritudinem. nam in animalibus cum nihil horum sit, tamen ægritudines cernimus. *Idem.*

527 *Epulæ repostæ*] Aut abundantes, aut variæ. *Idem.*

Non illis epulæ nocuere repostæ] Docet Poëta corpora omnia composita non posse non corrumpi tandem et deficere; nec sola, ut humana intemperantia dissolvi, sed suapte natura fatiscere. *Simplicem* autem *herbam* opposuisse videtur τῇ ποικίλῃ τροφῇ, in quam, caussam intemperantiæ et morborum confert. *Germanus.*

528 *Victu*] In Longobardico, *victum.* non ineleganter. *Pierius.*

Simplicis herbæ] Propter varietates epularum dixit *simplicis herbæ.* Serv.

Simplicis herbæ] Hoc opponit τῇ ποικίλῃ τροφῇ, et *cœnæ dubiæ*, ut Terent. loquitur. *Taubmann.*

529 *Pocula, &c.*] Ait Macrob. ductum hunc versum ex illo Lucret. *Ad sedare sitim fluvii fontesque vocabant.* Cerda.

Exercita cursu Flumina] Id est, agi-

tuta. sic Horat. od. IV. 14. *Exercet auster Pleiadum choro Scindente nubeis.* Emmeness.

530 *Nec somnos abrumpit cura salubres*] Ex cura enim nimia, vigiliæ procreantur. *Servius.*

Somnos abrumpit] Pro quo Horat. Epist. I. 10. *Est ubi depellat somnos minus invida cura.* sunt qui legere amant *divellat.* vide Lambin. *Emmeness.*

532 *Quæsitas ad sacra boves*] Manifestum est a Cydippe, Argivæ Junonis sacerdote, hoc tractum. quæ, cum boves deessent, filios suos Cleobin et Bitonem plaustro subjunxit, et sic ad templum deducta est, quod fas non erat illam venire sine plaustro. Nam apparet ad sacra Junonis boves in illis regionibus, defuisse, in quibus pestilentiam fuisse demonstrat. *Philarg.*

Et uris Inparibus ductos alta] Bobus agrestibus, et ipsis inæqualibus. Nam *uri, agrestes boves* sunt, ut diximus supra. Et hoc poëtice dicit. Cæterum veritas hæc est: Quum mos esset sacerdotem Argivam junctis bobus ire ad templa Junonis, et solenni die boves non invenirentur (pestilentia enim, quæ per Atticam transierat, universa consumpserat) duo sacerdotis filii Cleobis et Bito, matrem, subeuntes jugo, ad templa duxere. Tum Juno probans eorum religionem, obtulit matri, ut quod vellet, posceret filiis: illa pia responsione ait, ut quod sciret dea utile mortalibus, ipsa præstaret. Altero itaque die sacerdotis filii juvenes reperti sunt mortui. Ex quo probatum est, nihil esse morte præstantius. quod Herodotus apud Græcos plenissime commemorat in prima historia. *Servius.*

Uris Inparibus] *Uris imparibus*, secundum Servium, sibi inæqualibus: nimirum quod penuria et pecoris internecione illud seculum non modo non cicuribus et mansuetis bobus, sed feris, agrestibus, iisque imparibus, et obviis ad vecturas uti cogeretur. Veteres quippe, ut et nostræ ætatis homines, non solum in opere rustico faciendo, ex armento veterina paria delectu conjungebant et comparabant; sed inter urbanas delitias, in carpentis, vectabulis, triumphantiumque curribus ad venustatem idem quoque observabant: ut et Jurisconsultus jugum, parque mulorum ex æqualitate commendat, et altero jugalium sublato, aut oblæso, propter imparitatem depretiati jugi damnum, mulctamque majoris æstimavit. Supra; *Junge pares et coge gradum conferre juvencos.* Germanus.

Uris Inparibus] Et bobus agrestibus, et ipsis etiam inæqualibus. scil. ob penuriam. Nam Sacerdos Argiva junctis bobus ad templa Junonis vehi solebat. Putant respexisse Poëtam ad factum Cleobis et Bitonis, apud Herodot. et Cicer. Tuscul. I. *Taub.*

533 *Inparibus*] *Imparibus* autem non simile jugum ferentibus, cum alter major esset, alter minor. *Philarg.*

Donaria] *Donaria* proprie loca sunt, in quibus dona reponuntur deorum. Abusive templa. Nam ita et *pulvinaria* pro templis ponimus; quum sint proprie lectuli, qui sterni in templis, supervenientibus plerisque consuerunt. *Servius.*

Donaria] Apul. l. IX. *Ibi donarium deæ perquam opulentum: plurima auri et argenti ratio in lancibus: speculis, poculis, &c.* Valla hic *dona* interpretatur, κάλλη ἱερῶν. *Taubmann.*

534 *Ægre*] Difficulter. *Servius.*

Rimantur] In rimas agunt. *Idem.*

Ipsis Unguibus] Hyperbolicῶs: id est, manibus. *Idem.*

536 *Contenta cervice*] Συντόνως. ἀμπρεύειν, συναμπρεύειν. *Cerda.*

Trahunt] Hoc verbum in R. vehic. II. 7. exponit Sceff. *Emmeness.*

537 *Non lupus*] Paria Ovid. *Non aper irasci meminit, nec fidere cursu Cerva, nec armentis incurrere fortibus ursi. Omnia languor habet.* Paria

Seneca: *Non lupos cervi metuunt rapaces: Cessat irati fremitus leonis: Nulla villosis feritas in ursis.* Non dubium, quin uterque repræsentet Virgilium. *Cerda.*

538 *Nocturnus obambulat*] Insidiatur. Quod autem ait *nocturnus*, figurate rem temporis, ad personam transtulit. *Servius.*

Nocturnus] Græci νύκτιος, νυκτερινὸς, νύχιος, νύκτερος. *Germanus.*

Nocturnus] Pro nocturno tempore. Simile illud est Horatii Epod. XVI. *Nec vespertinus circumgemit ursus ovile.* et Sat. II. 4. *Si vespertinus subito te oppresserit hospes.* Sic Noster Æn. VIII. 465. *Æneas se matutinus agebat.* Emmeness.

Obambulat] Observat Jul. Scal. Poët. IV. 16. dictum hic humili verbo, *obambulat*, ut in re agresti: quod in re belli gravius multo, *circumerrant acies*, ab eodem hoc Vate. *Cerda.*

539 *Cura domat*] Id est, pestilentiæ. *Servius.*

Cura domat] Ita Æschyl. Prom. μήδεσι δαμεῖσα: *domita curis.* Et Nicand. ἄλγεα φῶτα δαμάζει: *labores domant hominem.* Germ. Paulinus Natali Felic. IV. ab Nostro: *acrior illum Cura sui gregis urit, et adficit.* Cerda.

Timidi damæ] Mutavit genus, ut vitaret ὁμοιοτέλευτον. Horatius, *Et superjecto pavidæ natarunt æquore damæ.* Dicendo damas et cervos errare cum canibus; duo ostendit, et hos timoris, et illos ferocitatis esse oblitos. *Servius.*

541 *Immensi*] Arnobius l. II. simpliciter *immensum* pro mari posuit: *Nec mare continuo dulce est, si mitioris aquæ guttas alicujus adjeceris, atque immiseris humori: consumitur enim minuties ista immenso.* Cerda.

Natantum] Hanc locutionem ab Nostro, credo, hausit Oppian. qui ita etiam pisces circumscribit Hal. l. III. πλῶτες ἁλὸς θύνουσιν: *natatores maris currunt*, id est, pisces. et l. I. ἴχνη γὰρ ἀείδελα νηχομένοισιν: *Vestigia enim obscura natantibus.* id est, piscibus. Et l. II. πλώτεσσιν ὑγροπόροισιν, *natatoribus humidis.* Nisi uterque (tam, inquam, Noster, quam Oppianus) ab Aristotele de Generat. Animal. IV. 4. qui hac voce pisces discriminat ab aliis feriis, οὐ μόνον δὲ ἐν τοῖς πεζοῖς, ἀλλὰ δὲ ἐν τοῖς πτηνοῖς, καὶ ἐν τοῖς πλωτοῖς: *Non solum in pedestribus, sed etiam in volatilibus, et natantibus.* Lucretius quoque l. II. *mutæque natantes Squammigerum pecudes.* Ab omnibus Fracast. Syph. l. I. *turbamque natantum.* Sed præclare profecto Oppian. flexu alio pisces vocat. Hal. II. διερὸν στρατόν. et διερὰς γόνας: *Exercitum humidum, humidam sobolem.* Idem.

543 *Fugiunt in flumina phocæ*] Quasi timentes marinam pestilentiam. *Servius.*

In flumina] In Longobardico legitur, *ad flumina.* Sed si *in flumina*, intelligimus eas immergi, neque audere in siccum prodire. Si *ad flumina*, subaudiendum, a quibus auxilium petere viderentur. *Pierius.*

Insolitæ, &c.] Præter solitum. Plinius IX. 7. *Et vituli marini, quos vocant phocas, spirant ac dormiunt in terra.* Utrum autem pisces morbus pestilens infestet, disputat Aristot. Hist. Animal. VIII. 19. *Taubmann.*

544 *Interit et curvis*] Ab Nostro Seneca in excursu suæ pestis: *Perbibit pestem, latebrosa serpens Aret, et sicco moritur veneno.* Cerda.

Curvis latebris] Græci φωλέους χελείας appellant, teste Nicandro. Occurrit prius vocabulum apud Matthæum VIII. 20. ἀλώπεκες φωλέους ἔχουσι. *Emmeness.*

545 *Squamis adstantibus*] Horrore erectis. *Taubmann.*

546 *Ipsis avibus*] Suis quodammodo, quæ alarum velocitate supergredi poterant aërem pestilentem. *Serv.*

547 *Vitam sub nube relinquunt*] Ita Æn. V. de Columba: *Decidit exanimis, vitamque reliquit in astris.* Cerda.

548 *Mutari pabula*] Lucr. *cæli mu-*

tenuis amictum. Taubmann.

Refert] Prodest. *Servius.*

549 *Quæsitæque nocent artes, &c.*] Hanc conquestionem multi excitarunt in suis pestibus describendis. Est enim potentissimum ad movendos affectus, medelam omnem converti in perniciem. Thucyd. οὔτε γὰρ ἰατροὶ ἤρκουν τό: *neque medici pares erant.* Lucret. pulcre: *mussabat tacito medicina timore.* Ovid. *Exitium superabat opes, victæque jacebant.* Et postea: *inque ipsos sæva medentes Erumpit clades, obsuntque auctoribus artes.* Silius: *Succumbit medicina malis.* Manilius: *Nec locus artis erat medicæ, nec vota valebant.* Seneca: *Non vota, non ars ulla corruptos levant: Cadunt medentes.* Livius l. xxv. *Curatio ipsa, et contactus ægrorum vulgabat morbos.* Sophoc. Οὐδ' ἔνι φροντίδος ἔγχος, ᾧ τις ἀλέξεται: *Nullum est curarum propugnaculum, nullum levamen.* Cerda.

550 *Phillyrides Chiron*] Medicinæ inventor, Saturni et Phillyræ filius. *Servius.*

Chiron] Moraliter. Quoniam mali homines aut ad medicos aut ad divinos confugiunt, ut aut ope humana aut divina adjuventur: ideo *Chironem* pro medico, *Melampodem* pro divino posuit. Alii hunc expiationes scientem dicunt. Chiron autem Saturni et Philyræ filius fuit, adeo medicinæ peritus, ut etiam Æsculapium docuisse dicatur. *Philarg.*

Phillyrides Chiron] Q. d. præstantissimi medici, quales illi olim erant, hic defecere. Fuit autem *Chiron Centaurus* Philyræ et Saturni F. Achillis præceptor, notitia herbarum nobilis. Ita *Melampus* Amythaonis F. καθαρτὴς appellatus est, et *Purgator*: qui lustrationibus ægros ad mentis sanitatem reduceret. Porro censent quidam, tres Medicinæ θεραπευτικῆς partes hic innui, διαιτητικὴν, χειρουργικὴν, et φαρμακευτικὴν: vel tres Medicorum Sectas, *Empiricam*, *Methodicam*, et *Rationalem* sive *Dogmaticam*: atque eas omnes hic frustra fuisse. *Taubm.*

Amythaoniusque Melampus] Amythaonis filius καθαρτὴς, id est, purgator. Nam Prœtidas ipse purgavit lustrationibus, quas invenerat. Hoc dicit, convalescente morbo, nec medicinam prodesse, nec religionem. *Servius.*

551 *Sævit et in lucem Stygiis, &c.*] Pertinet hoc ad amplificationem pestis. Ita Silius: *tum serpere labes Tartarea, atque haustis populari castra manipli.* Iterum: *Et patulam Cyanem, latæque palustribus undis Stagnantem Stygio cocyti implevit odore.* Seneca: *Rupere Erebi claustra profundi Turba sororum face tartarea.* Lucan. *tali spiramine Nessus Emittit Stygium nebulosis aëra saxis, Antraque lethiferi rabiem Typhonis anhelant.* Claudian. quoque in Ruff. *Stygiam pestem* dixit. *Cerda.*

552 *Pallida Tisiphone*] *Tisiphonem* hic, non unam Furiarum debemus accipere, sed pestilentiam, cui eleganter Poëta hoc nomen dedit. *Philarg.*

Agit ante] Id est, ante se. *Idem.*

453 *Caput altius effert*] Prudent. in Symm. II. *Seque altius effert Sideribus.* Cerda.

554 *Balatu pecorum*] Ita et Lucretius conquestionem excitat: *Consimili ratione venit bubus quoque sæpe Pestilitas, etiam pecubus balantibus ægror.* Ovid. *Lanigeris gregibus balatus dantibus ægros.* Idem.

Mugitibus amnes] Hom. Il. II. dixit, κῦμα βρέμεται: *fluctus fremit, mugit*, Silius lib. VIII. *fundoque imo mugivit anhelans Aufidus.* Papin. Theb. l. VII. *mugire refractis Corniger Hebrus aquis.* Nonnus Dionys. l. XXIII. loquens de Oceano, ὑδατόεν μύκημα χέων: *aquosum mugitum fundens.* Idem.

555 *Arentesque sonant ripæ*] Vult pestilentiam etiam elementa sentire. sic in tertio, *Arebant herbæ, et victum seges ægra negabat.* Nam *segetem* pro *terra* posuit. *Servius.*

Arentesque] In Romano codice, *horrentesque*, ob tetros scilicet mugitus

animalium. si, *Arentes*, erit, ut illud: *Aridus altis montibus audiri fragor.* Pierius.

Collesque supini] Græcorum more, qui πεδίον ὕπτιον. *Cerda.*

556 *Jamque catervatim*] Hom. Il. XII. ὁμιλαδόν. Ibidem, acervatim cadentes vocat, ἐπασσυτέρους. et XV. rem explicat per vocem φαλαγγηδόν: *turmatim*, loquens de his, qui in bello funderentur. Et l. XVII. ita, ἀγχιστῖνοι ἔπιπτον: *densi cadebant.* Val. Arg. III. ita: *exsangues confertæ cædis acervos.* Certe omnes, qui pestes describunt, mire sibi plaudunt in exhibenda ante oculos multitudine cadentium. Virgilius præclare explicuit his vocibus, *dat stragem catervatim, aggerat cadavera in stabulis.* Primum ab Lucretio sumsit, alterum ipse addidit. Libeat audire, qui alii rem expresserint. Lucret. *Inde catervatim morbo, mortique dabantur.* Iterum præclare: *Confertos ita acervatim mors accumulabat.* Ubi audis confertionem, acervos, cumulos. Para tibi lector copiam. Thucyd. ita expressit: ὁ φθόρος ἐγίνετο οὐδενὶ κόσμῳ, ἀλλὰ καὶ νεκροὶ ἐπ' ἀλλήλοις ἀποθνήσκοντες ἔκειντο: *exspirabant nulla honestate, nam jacebant supra alios alii.* Et postea ait, omnes vias, et templa referta fuisse cadaveribus. Quod et Lucret. quoque arripuit: *Multaque per populi passim loca promta viasque Languida semianimo tum corpore membra videres.* Agathias l. v. loquens de peste Constantinopolitana, mortuos exhibet ἀνὰ λεωφόρους, *per plateas.* Et Justin. l. II. *Tantaque fœditas morientium fuit, ut viæ cadaveribus complerentur.* Pari indole Ovid. *silvis agrisque viisque Corpora fœda jacent.* Silius ab Lucretio et Nostro: *cumulantur acervi Labentum, et magno cineres sese aggere tollunt.* Idem.

557 *Dilapsa c. tabo*] Diffluentia sanie. supra, *morbo collapsa.* Lucanus: *Corpora tum solvit tabes, et digerit artus.* Taubmann.

558 *Donec humo tegere*] Indicat Virg. in hac sua peste primum cœpta humari cadavera ferarum, quod nunquam prius in usu. Verba, quibus Noster locutionem variat, sunt ista: *condere, mandare, infodere, referre, concedere, onerare terræ aggere.* Cerda.

Foveis] In antiquissimo quidem codice *fossis* legere est, sed ad Valla et Muros pertinent Fossæ. Hoc tamen loco non toleranda tantum, verum etiam decoris et dignitatis plurimum habere videtur improprietas hujusmodi, ad cadaverum multitudinem, quæ magno numero congregabantur, indicandam: quibus condendis capaciore opus esset loco. Nemo vero ignorat Fossas amplioribus spatiis produci solere, cum Fovea quid angustius significet, ut puta Scrobem, vel Luporum decipulas, vel quid hujusmodi ad modicos usus. *Pierius.*

559 *Nam neque erat coriis usus*] Quippe morbo putrefactis. *Serv.*

Nec viscera quisquam Aut undis abolere potest] Nec lavari, nec coqui poterant. Caro enim corrupta morbo, quendam habet mucorem, qui non ablui potest: quoniam omne possidet corpus. Item igni superposita, aut putrefit, aut durescit: nam non coquitur. *Idem.*

562 *Telas putris*] Ipsa vellera putrida: κατ' ἐναλλαγήν. *Taubmann.*

563 *Verum etiam invisos*] In Romano codice legitur, *quin etiam invisos.* Pierius.

Si quis tentarat] Si quis eos attrectaverat vel induerat, continuo ἐκζέσματα, et fervidæ eruptiones, sive *carbunculi;* atque etiam φθειρίασις, et *morbus pedicularis* (ut Serv. et Erythr. *immundum sudorem* hic exponunt) ipsum invadebat. *Taubmann.*

564 *Ardentes papulæ*] Id est, carbunculi. *Servius.*

Immundus sudor] Morbus pedicularis, qui est φθειρίασις. *Idem.*

566 *Contactos artus*] Vulgata quædam exemplaria legunt, *contractos ar-*

tus. Sed in Romano legitur, mutato etiam numero, *contactos sacer artus.* Ac quantum ad *contactum* pertinet, quod de contagiosa vi pestilentiæ dicitur, apud Livium etiam in codicibus antiquis legas, *Vulgatique contactu in homines morbi.* Quod in impressis, *Attactu*, non ita proprie habetur. *Pierius.*

Sacer ignis] Quem Græci ἱερὸν νόσον vocant. *Servius.*

Sacer ignis] Lucret. *Exurit sacer ignis, et urit corpora serpens Quamcunque arripuit partem, repitque per artus.* Seneca: *et sacer ignis Pascitur artus.* Male vero Servius per *sacrum ignem* intelligit ἱερὸν νόσον: *sacrum morbum.* Nam *morbus sacer* est, *morbus caducus*, sive *Herculeus*, sive *comitialis*, sive *Epilepsia*, de quo morbo Plato loquitur in Timæo Leg. l. XI. Et Heliodorus Histor. Æthiop. l. VII. aliique. At vero *ignis sacer* est ex Nota Hieronym. Mercur. l. IV. Var. Lectio. c. 9. qui apud Arabas dicitur *Formica*, apud Græcos *Herpes*, apud Scribonium *Zona*, apud Plinium *Zoster* et *circinus.* Vulgus nominat *ignem Sancti Antonii*, Silentiar. in Epigrammat. vocat γυιοβόρον πῦρ. alii γυιοτόρον, et γυιοκόρον, ex Nota Germani. Interpres Philonis hunc ignem vocat *serpiginem*, ita enim reddit, quoties in Græco occurrit, ἕρπης. Ut cum in Politic. ait: *Fertur nunquam ante sic laboratum malo communi universis gentibus, quale medici vocant serpiginem, quod omnes partes corporis inundans ignis more depascitur.* In gregibus dicitur *pusula*, quod ex Columell. facile elicies VII. 5. *Est etiam insanabilis sacer ignis, quam pusulam vocant pastores.* Inde Barbarus, *pusulosa* corpora explicat, quæ laborant sacro igne. Errant etiam, qui confundunt *ignem sacrum* cum *erysipelate*, quod facit Cornarius, et Isidorus de Medicina l. IV. Lege Mercurialem dicto loco. Est enim Erysipelas idem, quod Erythropelas, et Hippocrati πῦρ ἄγριον. *Cerda.*

Edebat] Eadem metaphora usi Æschylus, et Euripides ex Nota Delrii loquentis de phagedæna. Prior, φαγέδαινα ἥ μου σάρκας ἐσθίει ποδός: *Phagedæna mihi carnes edit pedis.* Paria posterior, tantum pro ἐσθίει, adhibet θοίνατο. Q. etiam Serenus: *Sive calens febris jactatos exedit artus.* Homerus eleganter ad animum transtulit: Ὁμοῦ καμάτῳ τε, καὶ ἄλγεσι θυμὸν ἔδοντες: *Labore simul, et mærore cor edentes.* Odys. IX. et libr. sequenti, θυμὸν ἔδων: *animum exedens.* Idem.

GEORGICON

LIBER IV.

1. *Protinus*] Quemadmodum in libris prioribus cæteros Rei Rusticæ Scriptores superasse omnes Poëta noster judicatus est; ita in hoc se ipsum. ut non injuria magnus Scaliger pronunciarit, *Hunc librum quartum omnem humanam diligentiam superasse.* Dicturus igitur de *Apibus*, hoc est, rebus minimis, Rhetorice magna promittit: ut et levem materiam sublevet, et attentum faciat auditorem. Jo. Sarisberiensis in Policratico VI. 21. *Scripserunt* (inquit) *de Repub. etsi diverso modo, Cicero et Plato: cum alter,*

qualis esse debeat, discreverit: alter, qualis fuerit a majoribus instituta. Hanc tamen uterque et institutæ et instituendæ præscripsit formulam, ut vitæ civilis Naturam, id est, optimam vivendi ducem, imitetur. Quæ ut autem Naturæ institutio, ipsa rationis experientia monstrare sufficiat. Præterea doctissimus Morus, ad quem Plutarchus suum destinat Trajanum, ut civilem vitam ab Apibus mutuetur, Admiranda canit levium spectacula, &c. Reipublicæ (porro addit,) *omnes auctores percurre: rerumpublicarum revolve historias: Vita Civilis tibi rectius et elegantius nunquam occurrit. Emeritque procul dubio beata civitates, si hanc sibi vivendi præscriberent formam.* Hæc ille. *Taubmann.*

Protinus aërii mellis cœlestia dona Exequar] Rhetorice dicturus de minoribus rebus, magna promittit; ut et levem materiam sublevet; et attentum faciat auditorem. Sane perite, quoniam scit breve esse opus hoc de apibus, et intra paucos versus posse consumi: unde est translationibus ad dilatandam materiam; dicens, apes habere *reges*, *prætoria*, *urbes*, et *populos*. Sane sciendum, ut supra diximus, ultimam partem hujus libri esse mutatam. nam laudes Galli habuit locus ille, qui nunc Orphei continet fabulam. quæ inserta est, postquam irato Augusto Gallus occisus est. *Servius.*

Protinus] Deinceps, exinde. Florum agrum *exequar*, sicut suum celeris exercitus. *Idem.*

Aërii mellis] Nam mel ex rore colligitur, qui utique ex aëre defluit. *Idem.*

Aërii mellis] Græcis etiam mel quodtam dicitur ἀερόμελι. quod Plinius Physice, an Poëtice, *siderum esse*, *saliva*, *purgantis se aëris* appellat. Ex aëre enim ros defluit, unde mel fit. Sed cum de eo nihil in hoc quidem libro traditur, nec ἀέριον mel intelligamus præsentaneum: quale et Antiphilus in Epigram. l. αἰθέριον νέκταρ dixit: et de quo C. Celsus, *Apes, inquit, ex floribus ceras faciunt: ex rore matutino mel.* Taubmann.

Cœlestia dona] Id est, munus deorum. Ante enim mel inveniebatur in foliis. ut, *Melleque decussit foliis.* Servius.

Cœlestia dona] Sive quod Juppiter melle nutritus sit in insula Creta, sive quod in aëre concipiatur. Nam, ut ait Cornelius Celsus, apes ex floribus ceras faciunt: ex rore matutino mel. *Philarg.*

Cœlestia dona] Id est, munus deorum. Legantur, quæ de melle admiranda scripserunt Plinius XI. 14. item Galenus et Dioscorides; apparebit laus hæc mellis, non poëtica aut hyperbolica, sed physica et mera veritas. *Taubmann.*

Aërii mellis cœlestia dona] Quamvis ex superioribus liquido appareat, in dubium posse vocari, an apes mel ex rore colligant, an faciant; verbo tamen monstrare liceat locum Salmasii emendantem locum Aristotelis, Plin. exercit. p. 1038. et citantem Senecæ testimonium Epist. LXXXV. *Quibusdam placet non faciendi mellis apibus scientiam esse, sed colligendi.* Emmen.

2 *Hanc etiam*] Sicut superiores. *Servius.*

3 *Admiranda tibi levium spectacula rerum*] Audies ex levibus rebus digna stupore esse in apibus, proceres et tanta certamina. *Idem.*

Admiranda] Huic sententiæ annecte verba ista Plinii l. 5. *Sed inter omnia ea* [illegible] *principatus apibus, et jure præcipua admiratio, solis ex eo genere hominum causa genitis.* Cerda.

4 *Magnanimosque duces*] Ait Aristot. Hist. Anim. l. 1. apes esse ὑφ' ἡγεμόνα, sub duce; et opponit formicas, quæ dicuntur esse animalia ἄναρχα, sine ulla duce aut imperio. et Dubrunus loquens de apibus, μόνον δὲ τούτῳ τῷ ζώῳ ζητεῖ ἡγεμόνα, τῶν ἀναρχουμένων τῶν ἄλλων: *Hoc solum inter.*

reliqua animal ducem quærit, qui omnium curam gerat. Idem.

Totiusque ordine] In Romano codice, atque etiam in Mediceo, legitur absque *ex* præpositiva particula, *totiusque ordine.* In aliis antiquis codicibus, *ex*, habetur: in quo animadvertendum, esse Synizesin ex duabus ultimis syllabis, in *totius*, si lectio ea *totiusque ex ordine gentis*, admittatur. Verum ego crediderim *ex* insertum ex Paraphrasi, recteque legi, *Dicam ordine.* Pierius.

Gentis] Græce γένος μελιττῶν. pro quo Ælian. I. 3. χρῆμα ἦν γένος βατράχων, ubi γένος suspectum. Columell. IX. 3. *Gens universa totius alvei consumitur.* Emmeness.

5 *Mores*] Quia castæ sunt; ut, *Illum adeo placuisse apibus mirabere morem.* Servius.

Mores] Columell. IX. 3. commendat apes *moribus placidis.* Emmen.

Et studia] Ut, *Tantus amor florum et generandi gloria mellis.* Servius.

Mores, et studia] Aristot. Histor. I. 1. apes numerat inter ζῶα πολιτικά. Plutarchus in libr. An seni regenda sit Respubl. apibus attribuit πολιτικόν. Ab hac civilitate dat illis Vates *mores, studia, populos.* Hoc inprimis admiratur Plinius: *Illæ ad usus vitæ laborem tolerant, opera conficiunt, Rempublicam habent, consilia privatim, ac duces gregatim: et quod maxime mirum sit, mores habent.* Macrobius VI. 6. cum multa Virgilii admiretur, tum hoc præcipue, quod apibus dederit *mores, studia, populos, prælia.* Didymus apud Geopon. ἡ μέλιττα πάντων τῶν λοιπῶν ζώων ἐστὶ σοφωτάτη. Et infra, ἡ πολιτεία τούτου τοῦ ζώου προσέοικε ταῖς μάλιστα εὐνεμουμέναις τῶν πόλεων: *politia hujus animalis similis est reipublicæ bene institutarum urbium.* Iterum: τὸ δὲ φιλότεκνον αὐτῆς, καὶ ἐγγὺς λογικῆς διανοίας μάλιστα θεωρεῖται: *artificium ejus prope ad humanam intelligentiam accedit.* Lege, quæ de apum sapientia, et moribus scribit ex Aristotele Ælianus v. 11. ad finem. *Cerda.*

Et populos] Ut, *binæ regum facies; Ita corpora plebis.* Servius.

Et populos] De apibus Ambros. Hex. v. 21. *Ipsæ sibi Regem ordinant, ipsæ populos creant.* et Plin. XI. 17. *cum populus in labore est.* et cap. 10. *duo examina concordibus populis dissimiles habuere ritus.* et cap. 13. *duo populi conjungi debent, qui possint adhuc integras ceras explere.* Affinis vox *caterva.* quæ data apibus a Papin. Achil. I. *Melle novo gravidas mitis videt Hybla catervas.* Cerda.

Et populos] Sic Apulejus, *nudæ populorum.* de formicis et in Proverb. Salomonis XXX. 25. *Populus formicarum infirmus est.* et paullo post: *Populus cuniculorum.* Emmen.

Et prælia dicam] Ut, *Erumpunt portis, concurritur æthere in alto.* Servius.

Prælia] Petron. in Fragm. *Sic sine concubitu textis apis excita ceris Fervet, et audaci milite castra replet.* Cerda.

Mores, et studia, et populos, et prælia dicam] In Romano, *prælia* per *æ*, et in antiquissimo alio codice uno minus *et* legitur, quam in vulgatis habeatur exemplaribus: in hunc modum, *mores et studia, populos et prælia dicam.* Voluerunt enim studia suspendere, et absque *et* conjunctivæ particulæ interjectu, sententiæ reliquum subjungere. Sed enim particula illa ter iterata me nihil offendit: et præter id, quod numerosiorem versum facit, figuram etiam non inelegantem adstruit. *Pierius.*

Mores, et studia, et populos, et prælia dicam] Medicei codicis fidem sequi me facit indubitata originis ratio, quam tradit Dausquius in Orthogr. veteres enim scriptitarunt *proilium*, quasi πρὸ τῆς ἴλης, *ante aciem.* Sic in fragmentis Capitolinis:

IN PROILIO OCCISVS EST.

Testatur Muretus variar. lect. VI. 4. Plautinos codices antiquos in Me-

nechm. I. 3. 3. hanc lectionem agnoscere per *ei.* polysyndeton pondus singulis adfert, quare *et studia et populos* probaverim cum Pierio. De apibus et quomodo Virgilius poëticis floribus illuminaverit, memoriæ prodidit Columell. IX. 2. *Emmeness.*

6 *In tenui labor: at tenuis non gloria*] Comparatio est laboris, quod magnam dat gloriam, si fuerit materia exilis ornata. *Servius.*

In tenui lab.] Q. d. Materia quidem exilis: sed compensatio laboris magna est gloria, si quis poterit *angustis addere rebus honorem*, ut Ge. III. loquitur. Manilius l. II. *Perspice nunc tenuem visu rem, pondere magnam.* Taubmann.

7 *Numina læva*] Prospera: ut alibi, *Intonuit lævum.* Servius.

Læva] *Læva* hic in bono posuit. ut, *intonuit lævum.* alibi autem in malo ponit, cum dicit: *Sæpe malum hoc nobis, si mens non læva fuisset, De cælo tactas memini prædicere quercus.* Phil.

Numina læva] Erythr. hic *prospera* intelligit, ex disciplina augurum, quibus læva auguria erant secunda. Melius Turneb. qui *adversa* accipit: nam sicut dictum est a Papin. Syl. IV. *Castore dextro*, pro, propitio, et fausto: sic etiam *læva Numina* sunt infelicia. Deinde Poëta respicit Græcorum doctrinam, qui (ut notat German.) κακοὺς et λαιοὺς θεοὺς agnoscunt *malos* et *sinistros Deos*, sicuti ἀγαθοὺς, *bonos.* Lege Agell. v. 12. ubi ait, Virgilium singulari doctrina innuere Deos illos, quibus potestas est in lædendo, non juvando. *Cerda.*

Auditque vocatus Apollo] Aut quasi Poëtam Apollinem invocat: aut quasi deum pastoralem. Nam Apollo *Nomius* dicitur. *Servius.*

Vocatus] Pro *invocatus.* vel quia Poëtæ in tutela ejus sunt: vel quia pater est Aristæi, qui primus invenit, unde apes fieri possent. *Philarg.*

Auditque vocatus Apollo] Fluxit hoc ab illo Homerico ἔκλυε φοῖβος Ἀπόλλων. ita Pap. Stat. Achil. II. *Audiit Arcitenens.* Cerda.

8 *Principio sedes*] Dicit, ubi alvearia ponenda sint: in qua re satis perite, et ea quæ abesse debent, ne noceant apibus; et ea quæ adesse, ut possint prodesse, commemorat. Sane quoniam supra ait, *Magnanimosque duces:* ideo intulit modo, *Sedes, statioque.* quam translationem diligenter reservat. *Servius.*

Principio] Scaliger Poët. IV. 8. *Plenum est dicendi genus omne, cum nihil desit quod desideres; nihil redundet, quod sit exultans. Illud de Apibus* (Principio sedes, &c.) *valde plenum.* Taubmann.

Principio, &c.] De loco *Alveariis*, sive *Mellariis* idoneo vide Colum. IX. 5. et Pallad. I. 37. item Varr. III. 16. *Idem.*

Sedes] Κατὰ τὸ αὐτὸ *sedes statione petenda*, intelligendum etiam, si aliud a *sedendo*, aliud a *stando* dicitur. *Philarg.*

Statio] Respectum in voce ad rem militarem; nam statio militum est. ita Plin. XI. 10. *interdiu statio ad portas more castrorum, noctu quies in matutinum, donec una excitet gemino aut triplici bombo, ut buccino aliquo.* Cerda.

9 *Quo neque sit ventis aditus*] Hoc præceptum ita libat Varr. Re Rust. III. 16. *Alvearium procerum esse oportet aëre temperato.* Colum. IX. 4. jubet esse pabulationes apum *aprico, et minime procelloso cæli statu.* Auctor Geop. l. XV. ait, locum apum debere esse versus exortum Solis, quærens nimirum locorum temperiem. Plinius XXI. 14. eodem studio: *Alvearia orientem æquinoctialem spectare convenit; Aquilonem evitent.* Idem.

10 *Neque oves*] Colum. IX. 5. *sedes apibus collocanda est procul a tumultu, et cœtu hominum, ac pecudum.* et c. 4. pabulationes apum sint secretissimæ, *viduæ pecudibus.* Plin. XI. 18. de hostibus apum: *inimicæ et oves, difficile*

se a lanis earum explicantibus. Idem.

Hædique petulci] Lascivi, exultantes. Et petulci dicti ab *appetendo.* unde et *meretrices petulcas* dicimus. *Servius.*

Hædi petulci] Habet epithetum insignem notam hujus pecudis. nam hœdi mire lasciviunt ex ingenio. Isid. XII. 1. de hœdo jam grandi, id est, hirco: *lascivum animal, et petulcum.* Ex eadem Seneca in Furen. *Errat cursu levis incerto Molli petulans hædus in herba.* Manil. l. v. *Conveniunt, levibus gaudent, lasciraque signant Pectora, et in luxus agiles, agilemque vigorem Desudant. Vario ducunt in amore juventam.* Est vero *petulcus* ea forma ductum ab peto, qua ab *hio hiulcus.* ut vero Virg. *hædique petulci,* ita Lucret. l. II. *agnique petulci.* Cerda.

Hædique petulci] Qui ab αἰδὼς derivatum volunt præferunt *æ.* Dausquius tamen contra Pierium sentit, scriptitandum docens per *œ,* cui adstipulatur usus. Adspirationem necessariam putat Terentius Scaurus in Orthogr. quod apud antiquos *fœdus* sit dictus, qui *f* posuerunt ubi nos *h* collocamus. Recte *petulci,* id est, lascivientes, petulantes. Sic appellantur, teste Festo, *qui protervo impetu et crebro petunt lædendi gratia.* quo in loco hunc Maronis locum attingit. *Emmeness.*

11 *Floribus insultent*] Græci dicunt, ἄνθεσιν ἐπιθρώσκειν, σκιρτᾷν, ἀποδυσπετέειν, ἐξυβρίζειν. Lucret. l. I. *Inde feræ pecudes persultant pabula læta.* Cerda.

Floribus insultent] Hic lasciviam ludibundi pecoris expressit, quod σκιρτᾷν Græcis dicuntur. interdum nimio luxu ἐξυβρίζειν. Forsan autem et ideo abesse jubentur, quod capræ quidem halitu suo flores inficiant: ab ovium autem lanis se apes difficile explicent, ut Plin. XI. 18. *Germanus.*

12 *Decutiat*] Ab hoc Plin. XVII. 22. de oculis, id est, gemmis vitium: *decuti enim oculos, tractuque intrantium deteri.* Cerda.

Surgentis] Transfer in hunc locum, quæ ad illud Ge. I. *Surgere messes.* et adjice Claud. qui Rap. I. *surgentes fruges.* Idem.

Atterat] Ita Vopiscus in Aureliano: *segetem deterat,* et de vitula Claudian. Rap. I. *proterit arva,* et de serpente Papin. Th. v. *robora atterit.* Idem.

13 *Picti terga*] *Picta terga* habentes. *Servius.*

Picti squalentia terga lacerti] Locutio Græca, quod sæpe monui. Lacertos inter hostes apum numerant Auctor Geop. Colum. et Palladius: rubetas, Arist. et Plinius: Virgilius infra stellionem. Demum nulla est serpentium, quæ non adrepat ad dulcem escam. Ex omnibus signata sunt verba Colum. IX. 7. qui ait lacertum stare pro foribus, veluti custodem vestibuli, ut prodeuntibus apibus exitium afferat. *Cerda.*

14 *Pinguibus a stabulis*] Plenis: sicut inanes res, *tenues* nominamus e contrario. *Servius.*

Meropesque aliæque volucres] Dicendo, *Aliæque volucres,* ostendit etiam aves esse meropes. Sunt autem virides, et vocantur apiastræ: quia apes comedunt. *Idem.*

Meropesque aliæque] In Mediceo codice, non est geminata particula *Que,* sed *meropes aliæque* legitur, magis tamen placet geminari, ut in aliis codicibus habetur. *Pierius*

Meropes] Avis ista ab aliis *apiaria,* ab aliis *riparia,* a Gaza *apiaster* dicitur. Adepta est hæc nomina ab insigni odio in apes. Dicitur etiam *mellisphago,* quasi apum gurges. Cum autem hic tam merops, quam hirundo dicantur hostes apum, credibile est traductum locum Arist. Hist. IX. 40: ἀδικοῦσι δὲ αὐτὰς μάλιστα αἵτε σφῆκες, καὶ οἱ αἰγίθαλοι καλούμενοι, τὰ ὄρνια, ἔτι δὲ χελιδὼν, καὶ μέροψ: *inferunt injuriam apibus, maxime vespæ, et avi-*

culæ, quas paros vocant, item hirundo, et merops. Inde mox ait de his, qui curant alvearia, καὶ τὰς σφῆκας, καὶ τὰς χελιδόνας τὰς πλησίον τῶν σμηνῶν ἐξαίρουσι, καὶ τὰς τῶν μερόπων νεοττίας: *vesparum latibula, et hirundinum, ac meropum nidos propinquos alveis tollunt.* Plin. XI. 18. nihil de merope, tantum: *populantur* (apiculas) *hirundines, et quædam aliæ aves.* Ab Arist. sumsit Auctor Geop. a quo numerantur isti hostes apum, σφῆκες, αἰγίθαλοι, μέροπες, χελιδόνες, κροκόδειλοι, σαῦραι: *Vespæ, pari, meropes, hirundines, crocodili, lacerti.* et Ælian. V. 11. *Nocent rubetæ, et ranæ lutariæ, meropes, hirundines, et vespæ.* Eadem fere scribit, I. 60. *Cerda.*

Meropesque] *Meropes* rustici barbaros appellant, et *aliæ*, id est, ceteræ. Vide Plin. X. 33. et Aristot. Hist. IX. 40. *Philarg.*

15 *Et manibus Procne pectus signata cruentis*] Nomen posuit pro nomine. Nam Philomela in hirundinem versa est: pro qua Prognem, vel quasi sororem posuit; vel quasi eam, quæ fuerat illius sceleris caussa. Nam ipsa Tereum miserat ad ducendam sororem. *Servius.*

Procne] In Romano codice, et aliquot aliis antiquissimis, *Procne* scriptum est, non *Progne*, veluti Græci faciunt πρόκνη. Quos et Romani sequuti sunt, ut ex antiquis inscriptionibus, quas Romæ observavimus, videre licet. In Quirinali enim hæc ita habentur,

P. VALERIVS BASSVS PRAEFECTVS FABRVM ET CAECILIA PROCNE DIANAE VALERIANAE. D.D.

Quod Epigramma ideo libuit adnotare, quia memineram Jovianum Pontanum literatissimum priori ætate Virum, solicitum super hac dictione fuisse: quia *Prochne* per ch in Apulia scriptum reperisset. Quod vero malunt nunc *Progne* per *g* septimam litteram scribi, non difficulter admiserim, quia c cognationem habere cum *g*, et sæpe eas invicem succedere, alibi demonstratum est. *Pierius.*

Procne] Id est, hirundo. *Progne* enim cum filium suum conjugi pro epulis apposuisset, in *hirundinem* mutata est: et signa occisi filii maculas in pectore etiamnum habet cruentas. Fabulam tractavit Ovid. Met. VI. sect. 7. et seqq. Alii aliter. *Taubm.*

Procne] Fabulam hanc confundi sæpius docet Lactant. ad Statium p. 291. et longe aliam tradit Antonin. Liberal. fab. XI. *Emmeness.*

16 *Ipsasque volantis Ore ferunt*] Attingit naturam hirundinis, de qua Plin. X. 24. *Eadem demum sola avium non nisi in volatu pascitur*, sed videndum an *sola?* Nam Virg. hic de multis loquitur; non de sola hirundine. Cautior Isid. XII. 7. qui rem a Plinio accipiens, adimit illud *sola*. Nam tantum ait: *Hirundo dicta, quod cibos non sumat residens, sed in aëre capiat escas, et edat.* Quod Isidor. attingit de etymo, negligo. Redeo ad Vatem, ut hic *ferunt*, ita Græci dicunt aves φέρειν, προφέρειν, προσφέρειν, τροφὴν νεοττοῖς. Primum est in Oppiano Hal. III. alterum in Arist. de hist. Anim. tertium in Plutarch. l. quomodo quis sentiat profectus suos in virtute paranda. Aristot. variat per verba θηρεύουσι, ἁρπάζουσι: *venantur, rapiunt.* Extremum sæpe usurpat Plin. Pertinent vero ad sententiam Poëtæ versus Oppiani et Germani Nota hic, et Scaligeri Poëticæ v. Habentur illi Hal. III. Ὡς δ' ὁπότ' ἀντήρεσσι φέρει βόσιν ὀρταλίχοισι Μήτηρ εἰαρινὴ ζεφύρου προτάγγελος: *Ut autem quandoque plumibus fert pabulum pullis Mater, verna zephyri prima nuntia avis.* Loquitur de hirundine. *Cerda.*

17 *Dulcem nidis immitibus escam*] Id est, crudelibus pullis, qui apum morte nutriuntur. *Servius.*

Immitibus] *Immitibus nidis* temporale epitheton est. ideo enim immitibus, quia apibus vescantur. *Philarg.*

Nidis immitibus] Hunc locum citat Non. Marc. c. 15. *Non solum domicilia avium, sed etiam earum fætus sic dicere possumus.* Eodem fere modo de ibide loquitur Solinus c. 32. *Gratissimamque ex his escam nidis suis defert:* id est, pullis. *Emmeness.*

Dulcem escam] Ita Opp. Cyn. l. IV. apes ἀγανάς: *dulces.* Varr. r. r. II. 5. *dulcissimas apes mellis matres.* Cerda.

18 *At liquidi fontes*] Præceptum hoc de aquis prope alvearia ita attigit Aristot. Hist. IX. 40. πίνουσι δ' ἂν μὲν ᾖ ποταμὸς πλησίον ἄλλοθεν, ἢ ἐντεῦθεν: *Bibunt, si fluvius sit propinquus, non aliunde, quam ex eo.* Mox quæpiam subjicit Auctor Geopon. ὕδωρ δὲ κράτιστον σμήνεσι, τὸ διὰ τραχείας ῥέον ψηφῖδος, ἀδιάφθορόν τε, καὶ ἀθόλωτον. ὑγείαστεε γὰρ, καὶ καθαροῦ μέλιτος ποιητικόν: *Aqua optima est apum examinibus, quæ per asperos calculos defluit, ut ita incorrupta sit, ac non turbida: ita et sanitati conducit, et mellis puritati.* Varr. lib. III. *Cibi pars quod potio, et ea iis aqua liquida, unde bibant, esse oportet, eamque propinquam, quæ præterfluat.* Columell. IX. 5. *Tum perennis aqua, si est facultas, inducatur: vel exstructo canali manu detur: sine qua neque favi, neque mella, nec pulli denique figurari queunt.* Idem.

Stagna virentia musco] Est muscus lanugo arboris, μνίον, βρύον, σφάγνον. Inde Columella, *emuscare arborem,* dixit, pro *musco purgare.* Est etiam muscus, qui adnascitur ad fontes in saxis. Inde, *Flumina muscus ubi, et viridissima gramine ripa.* Et Lucr. V. *Humida saxa super viridi stillantia musco.* Idem.

19 *Adsint*] Præsentes sint. *Phil.*

Et tenuis fugiens per gramina rivus] Suspendendum est *Tenuis,* ne incipiant esse duo epitheta; quod apud Latinos constat esse vitiosum. *Serv.*

Fugiens rivus] Huic locutioni affinis illa, qua *pes* undis datur. Vide Æn. IX. ad illud: *revocatque pedem Tiberinus ab alto.* Vide uti Homerus describat decurrentes rivos in horto Alcinoi, nequaquam cum nostro hic conferendus. Nam σκίδναται, et ἵησι, *dispergitur, vadit:* quid ad tenuem rivum, fugientem per gramina? *Cerda.*

Tenuis rivus] Non valde profundus, ut etiam, qui leniter fluat. quod autem Servius admoneat, suspendendum esse, τὸ *tenuis,* ne incipiant esse duo epitheta, quod apud Latinos constat esse vitiosum, dijudicent docti, qui norunt, vitio carere apud Græcos, duo scilicet Epitheta uni substantivo jungere. *Cerutus.*

Tenuis fugiens rivus] Si enim ingenti cum murmure descendit, impetus aquæ decurrentis disturbat et necat apes. Quid hic aliud *fugiens,* quam recurrens? Hor. Sat. I. 1. *Tantalus a labris sitiens fugientia captat Flumina.* Emmeness.

20 *Palmaque vestibulum aut ingens oleaster inumbret*] Hom. Αὐτὰρ ἐπὶ κρατὸς λιμένος τανύφυλλος ἐλαίη. Oleastrum autem ἀγριέλαιον, et ἀγριελαίαν Græci dicunt, et κότινον, et αἰθιοπικὴν ἐλαίαν. *Germanus.*

Vestibulum] Proprie videtur locutus Poëta, ut apparet ex Colum. IX. 15. qui spatium illud, in quo sunt alvearia, vocat *vestibulum.* Si quis aliunde vocem traducat, possit. *Cerda.*

Inumbret] In Romano codice, et in quibusdam aliis pervetustis codicibus, *inumbret* legitur, sed plures *obumbret* habent. *Pierius.*

Inumbret] Sic Columell. l. x. *Mollemque sinum Staphilinus inumbret.* Emmeness.

21 *Ut cum prima*] *Prima* hic, pro primum: nomen, pro adverbio. *Phil.*

Ut cum prima novi ducent examina Reges] Dictum ex disciplina, et regimine apum, quarum Rex nunquam se effert ex alvearibus, nisi totis castris, toto exercitu comitante. Arist. Hist. IX. 40. οἱ δὲ βασιλεῖς οὐ πέτονται ἔξω, ἐὰν μὴ μετὰ ὅλου τοῦ ἑσμοῦ. Iterum: οἱ δὲ βασιλεῖς, αὐτοὶ μὲν οὐχ' ὁρῶνται ἔξω ἄλλως, ἢ μετὰ ἀφέσεως. ἐν

δὲ ταῖς ἀφέσεσιν αἱ λοιπαὶ περὶ τοῦτον συνεσπαρμέναι φαίνονται. Sumsit ab hoc Plinius verba ista: *Circa eum satellites quidam, lictoresque, assidui custodes auctoritatis. Procedit foras nonnisi migraturo examine.* Supra dixerat: *Cum procedit, una est totum examen, circaque eum conglobatur, cingit, protegit, cerni non patitur.* Cerda.

22 *Vere suo*] Sibi grato et aptissimo. *Servius.*

Vere suo] Apes quiescunt et latent a Vergiliarum occasu, nec ante fabas florentes exeunt ad opera et labores. Aristot. Hist. VIII. 14. et Plin. XI. 6. *Ramus.*

Vere suo] Quo tempore apprime delectantur, et sibi quasi proprio gaudent vehementer. Noster vs. 66. *more suo.* Flor. II. 8. *Suo ebore fulgentibus aciem utrinque vallaverat.* Sed hæc a me dicta memini, plura tamen exempla invenies in indice Freinshemii ad Florum. *Emmeness.*

Emissa] Ita Plato in Politico, loquens de apibus, ἐκπέμπειν. Verba sunt: ἀποικίας, οἷον σμήνη μελιττῶν, ἐκπέμποντες: *Colonias veluti examina apum emittentes.* Debes Germ. sed in quod testimonium nos quoque incidimus. Virgil. infra de iisdem: *emissum agmen.* Cerda.

23 *Decedere ripa calori*] Ut æstus possint aquarum vicinitate vitare. *Servius.*

Decedere] In Romano codice, *discedere* est. Sed *decedere* magis probatur, et signatissime positum est. *Pierius.*

Decedere calori] Græce ὑπεκχωρεῖν. Quemadmodum Ge. III. 467. *seræ decedere nocti.* pro declinare. frequenter meliori locum dare. Horat. Epist. II. 2. 213. *Vivere si recte nescis, decede peritis.* sic od. II. 6. *non Hymetto mella decedunt,* id est, non inferiora sunt. *Emmeness.*

25 *In medium*] Ordo est, in medium transversas salices, et grandia conjice saxa. *Servius.*

In medium] *In medium,* non ad humorem retulit, sed absolute dixit. et *inertem* hic pro odioso posuit, ut in Bucolicis, *Libertas quæ sera tamen respexit inertem.* quæ vox ponitur et pro ignavo: *Spumantemque dari pecora inter inertia votis Optat aprum,* et pro eo quod sine arte fit: ut apud Lucilium in XIII. *ut perhibetur iners, ars in quo non est ulla.* Philarg.

Seu stabit] Sive stagnans fuerit, sive profluens aqua. *Taubmann.*

26 *Transversas salices*] De hoc præcepto ita Varr. l. III. *In qua aqua jaceant testæ, aut lapilli, ita ut exstent paulum, ubi assidere et bibere possint.* Maluit Poëta saxa grandia, salices, quam testas, quam lapillos. Auctor Geopon. χρὴ δὲ ἐνιστάναι σπιλάδας, πέτρας καὶ ξύλα, μικρὸν ὑπερέχοντα τοῦ ὕδατος, ἵνα ὑφιζάνουσαι πίνωσιν ἀμογητί: *Petrarum saxa, itemque ligna collocare oportet, quæ aquam superent, quibus insidentes bibant absque labore.* Colum. 'Sive igitur, ut dixi, præterfluens unda, vel putealis, canalibus immissa fuerit, virgis ac lapidibus aggeretur apum caussa.' Ceterum ea forma, qua Noster, 'transversas salices:' dixit Valer. IV. 1. 'mentes impotenti temeritatis incursu transversas.' et V. 1. 'prava cupiditas transversum rapit.' *Cerda.*

27 *Pontibus ut crebris*] Veluti pontibus: nam non sunt pontes. *Serv.*

28 *Pandere*] De origine hujus verbi, ut sit *pandere,* quasi panem dare; deque Dea Panda, id est, Cerere, vide ex Varrone Nonium, et ex utroque Ludovicum Carr. Antiq. Lect. I. 3. *Cerda.*

Si forte morantis] Tarde remeantes ex pascuis. *Servius.*

29 *Neptuno immerserit*] Deum pro aquis posuit. *Idem.*

30 *Hæc circum*] Poëtæ satis fuit aliquas herbas adducere, quæ esse debent juxta alvearia; nam ad omnes, non illi otium. Tu lege Aristot. Hist. IX. 40. Varron. III. 16. Co-

lumell. IX. 4. et 5. Plinium XXI. 12. *Cerda.*

Casiæ] Casia Poëtarum est herba coronaria, quam vulgus Hispaniæ vocat *espliego:* Italicum *spigo*, aut *spico:* Latini *lavendulam*, aut *lavandulam.* Non caret ista sententia assertoribus. Rembertus Dodonæus Pemptade II. 4. 5. aperte Virgilium capit de lavandula: sicut et generalis historia Rovillii VIII. 20. Ad hæc Dalecampius in XXI. 12. Plinii, accipit vel lavandulam, vel rosmarinum. Ubi enim Plinius docet, serendam esse casiam juxta alvearia, sic ille notat: 'cneorum utrumque: album, sive lavendulam ac spicam nostram: et nigrum, sive rosmarinum, coronariam.' Ruellius quoque III. 149. ait, Latinorum casiam esse illam, quam Græci vocant *chamelæam*, et *thymelæam*, Theophrastus *cneoron.* Tu lege Matthiolum in Diosc. et Servium Ecl. II. ubi ait, casiam Virgilii esse herbam coronariam. optime: nam in eo versu, 'Tum casia, atque aliis intexens suavibus herbis.' *Cerda.*

31 *Serpulla*] In Romano codice, *serpulla:* de qua scriptione plura diximus in Alexi, pro quo aliqui legunt *serpilla.* Pierius.

Serpulla] De his dictum Ecl. II. Numerant hanc herbam scriptores inter eas, quæ proficuæ apibus, præsertim Arist. Hist. IX. et Varro r. r. III. Prior: φυτεύειν δὲ συμφέρει περὶ τὰ σμήνη ἕρπυλλον, &c. *oportet serere juxta alvearia serpyllum.* Posterior: 'Si pabulum naturale non est, ea oportet dominum serere, quæ maxime sequuntur apes: ea sunt, rosa, serpyllum,' &c. Ratio peti potest ex Theophr. Hist. VI. 7. ubi ait: ἕρπυλλος δ' ἐνίοις καὶ παντελῶς θυμώδης: *Serpyllum multis omnino olet thymum:* Quis autem nescit, thymum præcipuam esse apum messem. *Cerda.*

Serpulla] Hæc herba *ab eo dicta quod serpit.* Varro de re rust. I. 35. Ad locum Maronis facit id, quod Columell. habet XI. 3. 'Thymum et transmarina cunila et serpullum magis alvearia curantibus, quam olitoribus studiose conseruntur.' vide quæ dicta sunt Ecl. II. 11. *Emm.*

Graviter spirantis copia thymbræ] Genus est herbæ abundantis in Phrygia. *Servius.*

Graviter] Modo bene, et multum significat: alias male: ut, *Aut ubi odor gravis.* Item, *Grave olentis Averni.* Idem.

Thymbræ] An thymbra eadem sit cum satureia, ut multi volunt; an ab ea distinguatur, ut indicat Columella versu isto, 'Satureia thymi referens, thymbræque saporem,' et ex illo sentit Rember. Dod. Pempt. II. 4. 19. alterius est: sicuti, an thymbra sit eadem, quæ Latinis cunila, ut vult Fuchsius de hist. plant. c. 113. et indicat Plin. XXI. 12. numerans inter herbas apiarias cunilam, non relicturus thymbram, nisi eadem esset cum cunila. An cunila sit eadem cum satureia, ac perinde distinguatur a thymbra, ut ex Columella colligit Ruellius III. 32. Hæc (inquam) omnia aliorum sunt: meum tantum est, indicare thymbram esse apibus commodam. Auctor Geop. καὶ θυμβρὰ, καὶ κίτυσον, ἥδισται μελισσῶν τροφαί: *Thymbra et cytisus apibus jucundissimæ sunt.* Colum. IX. 4. 'Eademque regio fœcunda sit fruticis exigui, et maxime thymi, aut origani, tum etiam thymbræ,' &c. Quin Ruellius III. 32. scribit, apes delectari thymbra, non aliter ac thymo. *Cerda.*

32 *Inriguumque*] Qui irrigat, alias qui irrigatur. *Philarg.*

Inriguumque] Vide, quæ dicta sunt II. 485. ubi male πυτίζειν pro ποτίζειν. de quo verbo et simul de hoc Maronis loco agit Salmas. Plin. exercit. p. 617. *Emmeness.*

Bibant] Ex hoc loco Claud. Rap. III. 'Sparsosque bibunt violaria succos.' Verbum *bibo* hoc loco ad irrigationem pertinet, ut etiam Ecl. III.

'sat prata biberunt.' ubi congesta mihi aliquot exempla: contra, *irrigo*, sumtum est, pro *bibo*: declaratore Athen. lib. I. cujus hæc sunt, *εἴρηται δὲ τὸ βρέχειν καὶ ὑπὸ τοῦ πίνειν. Ἀντιφάνης· δεῖ γὰρ φαγόντας δαψιλῶς βρέχειν*: *Irrigare dicitur pro bibere. Antiphanes: oportet edentes splendide irrigari.* Ad id ipsum advocat Eubulum, qui *βεβρεγμένον*, *irrigatum*, posuit pro poto: itaque herbæ bibunt, rigantur homines potu. *Cerda.*

Violaria] Loca in quibus nascuntur violæ. *Servius.*

Violaria] Meminit hujus vocis Columell. l. x. 'et conniventes oculos violaria solvunt.' Nisi commodum et lucrum, quod ex apibus, sive earum melle proficiscitur, suadeat Varr. de re rust. I. 35. auctor est, ne violaria in fundo fiant. Quod irrigationibus indigeant, ibidem discas. *Emmeness.*

33 *Corticibus*] De alveorum materia (hic Virgil. duplicem probat ex cortice suberis, ex vimine) loquuntur Varro, Columella, Plinius, Auctor Geopon. Adducam verba singulorum. Primus de r. r. III. 16. 'Alii faciunt ex viminibus (*alvos*) rotundas, alii e ligno ac corticibus, alii ex arbore cava, alii fictiles, alii etiam ex ferulis.' Alter IX. 16. 'Alvearia fabricanda sunt pro conditione regionis: sive illa ferax est suberis, haud dubitanter utilissimas alvos facimus ex corticibus, quia neque hieme rigent, nec candent æstate: sive ferulis exuberat, his quoque cum sint naturæ corticis similes, e quibus commode vasa texuntur. Si neutrum aderit, opere textorio salicibus connectuntur: vel si nec hæc suppetent, ligno cavatæ arboris, aut in tabulas desectæ fabricabuntur.' Tertius XXI. 14. 'Alvearia optima e cortice, secunda ferula, tertia vimine.' Quartus ab his omnibus abit, nam probat ἀγγεῖα σανίδων δξυΐνων, ἢ συκίνων· πεύκινα γὰρ ἄριστα, ὁμοίως καὶ τὰ ἐκ πιτυΐνων, ἢ φηγίνων: *Vasa ex tabulis acinein, aut ficulneis, quæ optima: similiter ex pineis, aut fagineis.* Ex verbis Columellæ vidisti rationem, cur cortex præferendus, quam noster siluit. *Cerda.*

34 *Alvearia*] Quamvis *alvearia* quinque syllabarum numero per Synizesin dictione integra scribendum esse nonnullorum codicum consensu, et Capri grammatici observatione monemur: pleraque tamen exemplaria vetera *alvaria* legunt, quam lectionem Flavius Sosipater agnoscit, ubi dicit *alvaria neutraliter dicuntur.* Virgilius, *Seu lento fuerint Alvaria vimine texta.* quamvis Cicero dixerit, *Apes in Alvearium concesserant* in œconomico, singulariter. Advertendum vero, nunquid apud Sosipatrum codex mendosus sit ea dictione *neutraliter dicuntur*, pro *pluraliter*, ut respondeat ad illud quod Cicero singulariter protulit. In antiquo sane codice Carisii neutraliter legi, et *Alvaria* quadrisyllabum. *Pierius.*

35 *Angustos habeant aditus*] De hoc præcepto ita Arist. hist. IX. 40. loquens de ipsis apibus: *καὶ τὰς εἰσόδους δὲ παροικοδομοῦσιν, ἐὰν εὐρεῖαι ὦσι*: *Ita aditus ædificant, ut arctent.* Auctor Geop. *στενὰς ποιεῖ τὰς εἰς τὸν αὐτῆς οἶκον εἰσόδους*: *Facit angustos aditus suam ad domum.* Colum. IX. 7. 'foramina quibus exitus aut introitus datur, angustissima esse debent.' Varro: 'Media alvo, in qua introeant apes, faciunt foramina parva.' Oppian. Hal. III. loquens de re alia, ita extulit, *στεινοῖσι πόροισι. Cerda.*

Nam frigore, &c.] Frigus et calorem, utrumque apum hostem, scriptores alii rei rusticæ attigerunt. Varr. 'Providendum vehementer, ne propter æstum aut propter frigus dispereant.' Ideo ait, alvearium debere esse in loco aëre temperato, 'neque æstate fervido, neque hieme non aprico.' Eodem pertinet ratio illorum, qui improbant alvos fictiles. Varro idem: 'Optimæ fiunt corticeæ,

deterrimæ fictiles, quod et frigore hieme, et æstate calore vehementissime hic commoventur.' Colum. c. 6. 'Deterrima est conditio fictilium, quæ et accenduntur æstatis temporibus, et gelantur hiemis frigoribus.' Ac propter frigus quidem Herodotus l. v. apes vocat ζῶα δύσριγα, quia obnoxiæ huic malo. *Idem.*

37 *Utraque vis apibus pariter metuenda*] Tam caloris, quam frigoris. Quod licet utrumque æquali modo metuendum sit, tamen dissimiliter nocet. Nam calore liquefacta defluunt mella; quæ si fuerint frigore condurata, constrictas apes interimunt. *Servius.*

38 *Certatim*] Græci εἰς ἅμιλλαν pari significatione dicunt. Eurip. in Troad. ὧν γ' οὔτε μέτρον, οὔτ' ἀριθμός ἐστί μοι, Κακὸν γὰρ εἰς κακῶν ἅμιλλαν ἔρχεται, in concursum. *Germanus.*

Tenuia] Sic Ge. I. 399. 'tenuia vellera.' et II. 121. 'Velleraque ut foliis depectant tenuia Seres.' De dimensione a proceleusmatico agit fusius Erythræus in Indice, ubi citat Ge. II. 180. 'tenuis ubi argilla.' Nonnulla dicturus ad v. 432. his supersedeo. *Emmeness.*

39 *Spiramenta*] Exitus: alibi, 'Sævi spiracula Ditis.' *Servius.*

Linunt] Varro III. 16. 'Extra ostium alvei obturata omnia, qua venit inter favos spiritus, quam ἐριθάκην appellant Græci.' Plinius XI. 6. 'Alveum ipsum intus totum, ceu quodam tectorio illinunt.' Aliis μίτυς est, aliis κόμμωσις. *Taubmannus.*

Fucoque] Genus est herbæ, unde tinguntur vestes. Fucum autem et flores pro cera posuit, quam ex his colligunt rebus. *Servius.*

Fucoque] *Fucus* est genus ceræ, qua pro glutine abutuntur. Græci propolim vocant. Alii sic: *fuco* pro medicamento posuit. Plautus in Penulo: 'Vitia corporis fuco occulunt.' Sed vide, ne de galbano dicat, quod separatim solent præparare, propter remedia, quibus adversus animalia utuntur, sibi infesta. Unde ipse alibi adversus colubros hoc dicit adhiberi. *Philarg.*

Fucoque] *Fucus* (φῦκος sive φυκίον) herba est lactucæ similis, quæ *alga maris* Plinio dicitur, XXXII. 6. Hic autem πρόπολις sive *protectum* (ut Varro appellat) indicatur, quo vestibula et *oras* sive rimas obstruunt illinuntque, ut aëris et bestiolarum injurias prohibeant. *Taubmann.*

Oras] *Oras* autem alveariorum. *Philarg.*

40 *Collectumque, &c.*] Aristot. Hist. IX. 40. οἰκοδομοῦσι τὰ κηρία φέρουσαι, τῶν τε ἄλλων ἀνθέων, καὶ ἀπὸ τῶν δένδρων τὰ δάκρυα, ἰτέας, καὶ πτελέας, καὶ ἄλλων κολλωδεστάτων. τούτῳ δὲ καὶ τὸ ἔδαφος διαχρίουσι τῶν ἄλλων θηρίων ἕνεκεν: *Construunt favos deferentes ex floribus, atque etiam arborum lachrymis, salicis, et ulmi, et reliquarum, quæ glutinum pariunt: hoc pavimentum quoque illinunt, ne bestiolæ nocuæ subeant.* Didym. in Geopon. ἀπὸ δὲ τῶν ἀνθέων, καὶ τῶν δένδρων τὰ κολλωδέστερα τῶν δακρύων φέρουσαι· τούτοις ὥσπερ ἀλοιφῇ τὸ ἔδαφος χρίουσι, καὶ τὰς εἰσόδους: *E floribus atque arboribus lachrymas glutinosissimas ferentes, ex his velut unguine quopiam illinunt pavimentum, itemque ingressus.* Cerda.

Hæc ipsa ad munera] Ad officia coangustandarum cavernarum. *Servius.*

Munera] *Munera*, utrum officia, an quod illis munera conferas, et alveos earum communias. *Philarg.*

Collectumque gluten] Notatur πισσόκηρος, id est, humor tenax, sive (ut Gaza vertit in Aristot. Hist. IX. 40.) *picatus cereus;* qui fit a lacrimis arborum, salicis, ulmi, et si quæ aliæ glutinum pariunt. V. N. infra vs. 161. *Taubmann.*

Gluten] Hic *gluten.* Sallustius autem, *hic glutino adolescebat.* Philarg.

Gluten] Observat Carisius *gluten* a Virgilio dictum, quod alii *glutinum* dixere: ut apud Scaurum legere est,

Dædalum invenisse glutinum, et apud Sallustium *quasi glutino adolescebant*. Pierius.

41 *Et visco et Phrygiæ servant pice lentius Idæ*] Ordo est, Servant gluten, quod est lentius, et visco, et Phrygiæ Idæ pice. *Servius.*

Phrygiæ] Pix, quæ provenit in pinetis Idæ montis Phrygiæ, laudatissima est. Ejus multis meminit Theoph. Hist. IX. 2. Plin. XIV. 20. 'Asia picem Idæam maxime probat.' *Cerda.*

Servant] Mire ait: nam pilas quasdam in alvearibus faciunt, de quibus postea cerea tecta componunt. *Servius.*

Lentius] Tenacius. *Philarg.*

Pice lentius Idæ] *Lentius*, tenacius, magis viscosum, ut supra: 'interque manus lentescit habendo.' *Germanus.*

42 *Si vera est fama*] Si credendum est apes posse terras effodere. *Servius.*

Si vera] Arist. Hist. v. 22. 'Sunt etiam apes quæ favos sub terra triplici ordine faciant: in quibus mel est, vermis nullus.' Idem Plin. XI. 18. *Taubmann.*

43 *Sub terra fovere larem*] Sunt codices in quibus *sub terram* sit. In Mediceo, *sub terras*. Atque etiam *fovere larem*, pro fodere, quod satis videbatur superiore versu, ac eodem membro dictum, *Effossis latebris*. Pierius.

Sub terra fovere larem] Studium istud in occultandis favis celebrat Aristot. Hist. v. 22. εἰσὶ δὲ καὶ μέλιτται αἳ ποιοῦσαι τριπλᾶ κηρία ἐν τῇ γῇ: *Sunt apes, quæ favos sub terra triplici ordine fecerint.* et supra locum signat: αἱ δὲ ἐν Θεμισκύρᾳ περὶ τὸν Θερμώδοντα ποταμὸν ἐν τῇ γῇ, καὶ ἐν τοῖς σμήνεσι ποιοῦνται κηρία: *Apud Themiscyram circa fluvium Thermodoontem apes favos faciunt tam in terra, quam in alveis.* Plin. XI. 18. ab Aristot. sumens: 'Circa Thermodoontem autem fluvium duo genera, aliarum, quæ in arboribus mellificant, aliarum, quæ sub terra, triplici cerarum ordine uberrimi proventus.' Allusit forte ad hanc rem Hom. Il. II. cum pro alveo apum nominat petram, μελισσάων — Πέτρης ἐκ γλαφυρῆς αἰεὶ νέον ἐρχομενάων: *Apum saxo ex concavo semper recens euntium.* et Apollon. Arg. II. qui de apibus: λιγνυόεντι Καπνῷ τυφόμεναι πέτρης ἐκὰς ἀΐσσουσιν: *fuliginoso Fumo infestatæ ex petra longe avolant.* Cerd.

Larem] Deum præsidem domus pro domo posuit, et venuste transtulit ad apiculas. Præsides isti Lares sunt, ideo *Præstites* dicti. Ovid. Fast. v. rationem dat: *Quod præstant oculis omnia tuta suis.* Idem.

44 *Pumicibusque cavis*] Nempe et σιμβλήϊς πέτρη Apollonio. Et Nicand. de apibus: κοίλοιο κατὰ δρυὸς ἐκτίσσαντο Πρῶτόν που θαλάμοις συνομήρεες. *Germanus.*

Pumicibusque cavis] Manil. I. v. 'Pumicibusque cavis horrentia membra polire.' *Cerda.*

Pumicibusque cavis] Æn. v. 'latebroso in pumice.' Intelligit quemvis lapidem cavernosum. *Taubmann.*

Arboris antro] In codicibus nonnullis manuscriptis legere est, *arboris alvo*. Sed *antro* per hyperbolem longe melius videtur, ac figuratius. *Pierius.*

Exesæque arboris antro] Aristot. in adducto loco: 'Ad Amisum urbem convehitur a locis superioribus mel candidum, crassumque majorem in modum, quod apes faciunt in arboribus sine favo, quale etiam fieri in Ponto cognitum est.' ὃ ποιοῦσιν αἱ μέλιτται ἄνευ κηρίων πρὸς τοῖς δένδρεσι. Plinium jam adduxi. Huc pertinet illud Hesiod. ἔργ. I. qui de quercu: Ἄκρη μέν τε φέρει βαλάνους, μέσση τε μελίσσας: *Summa fert glandes, mediaque apes.* Quæ verba etiam sunt in Plat. Polit. II. ex Hesiod. Demum opinio Poëtarum, qui e quercubus nata mella prædicant in ævo aureo. Ita Claud. Rap. II. 'Ilex plena favis.' Sed de hac re jam Ecl. IV. *Cerda.*

45 *E levi rimosa cubilia limo*] Alii *Et levi* legunt. Unus tamen sensus est. Nam hoc dicit: Quod illæ nimio labore perficiunt, tu e levi unge rimosa cubilia circumfovens limo, etiam raras frondes superinjice. Quod ideo fit, ne vel limus crepet, vel cavernæ aut Sole penetrentur, aut frigore. *Servius.*

Limo] Bubulo fortasse, nam Varr. *utiles* (alvos) *fimo bubulo oblinunt intus et extra.* Auctor quoque Geopon. βόλβιτον advocat ad hanc rem: et Plin. XXI. 14. 'Circumlini alveos fimo bubulo utilissimum.' Et Colum. c. 14. 'Quicquid deinde rimarum est, aut foraminum, luto, et fimo bubulo mistis illinemus extrinsecus: nec, nisi aditus, quibus commeent, relinquemus.' Sed cur fimus bubulus in tanto pretio ad rem apum? Rationem aperit idem Colum. loquens enim de fumo, quo internecantur aranei, et alii hostes apum, ita ait: 'Fumus immittatur factus incenso bubulo fimo, hic enim quasi quadam cognatione generis maxime est apibus aptus.' Ex eadem credo cognatione natum, ut stercus bubulum optimum sit curandis morsibus et puncturis apum. Vide Galen. l. x. de simplic. Medic. *Cerda.*

46 *Superinjice frondis*] Colum. c. 14. 'Et quamvis porticu protecta vasa, nihilominus congestu culmorum et frondium supertegemus: quantumcunque res patietur, a frigore et tempestatibus muniemus.' *Idem.*

47 *Propius*] Ut, 'propius stabulis armenta tenerent.' et alibi: 'Vota metu duplicant matres, propiusque periclo It timor.' *Philarg.*

Taxum sine] Venenatam arborem. Ipse in Bucolicis, 'Sic tua Cyrneas fugiant examina taxos.' Mel enim pessimum exinde gignitur. *Servius.*

Neu propius tectis taxum sine] In Oblongo codice Vaticano legere est, *neu propius taxum tectis sine.* Propter sibilum vero duorum ss crediderim ea transposita. *Pierius.*

Taxum] Colum. IX. 4. loquens de apibus: 'taxi repudiantur.' Huc advoca, quæ dixi Ecl. IX. ad illud: 'Sic tua Cyrneas fugiant examina taxos.' Et Ge. II. ad illud: 'taxique nocentes.' Et adjunge in contumeliam hujus arboris appellari a Nicandro in Alex. κακήν, et θανάτοιο πολυκλαύστοιο δότειραν, *Lacrymosæ mortis datricem:* a Plin. XVI. 10. *Tristem diram:* a Poëtis *pestiferam, lethiferam, mortiferam, lethalem, feralem, noxiam, funestam, metuendam.* Cerda.

Rubentis cancros] Odore enim ipso pereunt. Rubentes autem cum uruntur: non quia per naturam sint hujus coloris. *Servius.*

Neve rubentis Ure foco cancros] Colum. c. 5. 'Gravis et tetri odoris non solum virentia, sed et quælibet res prohibeantur, sicuti cancri nidor, cum est ignibus adustus.' Vocem *rubentis* cum uruntur explicat Serv. non quia ejus sint coloris. *Cerda.*

48 *Cancros*] Plinius XI. 18. 'Cancrorum etiam odore, si quis juxta coquat, apes exanimantur.' *Taubmann.*

Altæ neu crede paludi] Nec facile mergantur. *Servius.*

49 *Aut ubi odor cœni gravis*] Ordo est: odor gravis, quia et levis dicitur, ut Sallustius: *Apud Corduenos amomum, et alii leves odores gignuntur.* Philarg.

Aut ubi odor cœni gravis] Profusissimi sunt auctores in declaranda apum mundicia, quo imprimis elogio aviculas istas afficiunt. Arist. Hist. IX. 40. ait: ἀλλὰ δὲ καθαριώτατόν ἐστι τὸ ζῶον: *Est hoc animal omnium mundissimum.* Adducit vero in argumentum hujus elogii, apem reddere excrementa in secessu, ne favi male oleant: quod et Plinius scripsit XI. 10, et Ælian. V. 11. et IV. 8. ἡ μέλιττα πρὸς οὐδὲν προτρέχει σαπρὸν, ἀλλὰ πρὸς γλυκέα: *Advolat apis ad nihil putidum, sed dulce.* et VIII. 11. ἡ δὲ μέλιττα μόνον πρὸς οὐδὲν προσίζει σαπρόν: *Assidet*

apis nulli rei putidæ. Didymus: ἐστὶ δὲ καὶ καθαρὸν ὑπερβολῇ τὸ ζῶον, οὐδενὶ τῶν δυσωδῶν, καὶ ἀκαθάρτων προσίζανον. Varr. *Nulla harum assidet in loco inquinato, aut eo, qui male oleat.* Colum. c. 5. ait, debere esse apiarium *ea parte, quæ tetris latrinæ sterquiliniique et balinei libera est odoribus.* Hinc vehementer irascuntur in eos, qui delibuti sunt unguentis: et in eos, qui dant operam Veneri, adeo illæ castitatis, et totius puritatis amantissimæ sunt. De priore nota Aristot. Hist. IX. 40. Ab hoc Plin. XI. 18. 'Odere fœdos odores, proculque fugiunt, sed et infectos: itaque unguenta redolentes infestant.' Theophrast. causs. VI. 41. πολεμοῦσι δὲ δὴ σφόδρα καὶ αἱ μέλιτται τοῖς μεμερισμένοις. Varr. *Itaque his* (unguentis) *unctus, qui accessit, pungunt.* Eadem scribit Ælian. v. 11. Quod olentibus vinum succenseant Auctor Geop. l. XV. et Colum. IX. 14. De nota altera ita Colum. loco super adducto: 'Verum maxime custodiendum est curatori, qui apes nutrit, cum alvos tractare debebit, uti pridie castus sit ab rebus Venereis.' Auctor Geop. γυναιξὶ δὲ ἐπέρχονται, μάλιστα ταῖς ἀφροδισιαζομέναις. et Ælian. v. 11. 'Libidinem et delitias odio persequuntur.' et infra, 'a complexu Venereo recentem cognoscunt, atque illum, sicut hostem, insequuntur.' *Cerda.*

Odor gravis] Id est, odor malus, quique offendit, de qua locutione Salmas. Plin. exercit. p. 361. *Emmen.*

Aut ubi concava pulsu Saxa sonant] Plin. XI. 19. 'Inimica et echo est resultanti sono, qui pavidas alterno pulsat ictu.' Colum. IX. 5. 'Nec minus vitentur cavæ rupes, aut valles argutæ, quas Græci ἠχοῦς vocant.' *Idem.*

50 *Vocisque offensa*] Resonat Echo repercussa: quam apes vehementer horrere manifestum est. *Servius.*

Imago] Quæ Græce Εἰκὼν, Latine *imago* dicitur. Cic. Tusc. III. 'resonat tanquam imago.' hic autem sonus facit eas fugere. *Philarg.*

Imago] Resultantem sonitum ex locorum cavitate, vocat *vocis imaginem.* Sumsit procul dubio ex Varr. qui r. r. III. 6. loquens etiam de apibus, ita: 'Primum secundum villam, potissimum ubi non resonent imagines: hic enim sonus harum fugæ existimatur esse.' Sed et Lucret. l. IV. de Echo loquens: 'Pars solidis adlisa locis rejecta sonorem Reddit, et interdum frustratur imagine verbi:' Horat. ab omnib. od. I. 12. 'cujus recinet jocosa Nomen imago?' Et Od. 20. 'Redderet laudes tibi Vaticani Montis imago.' Et Silius l. XIV. 'clamat scopulis clamoris imago.' Et Val. Arg. III. 'per longa reclamat Avia, responsant silvæ, et vaga certat imago.' Est enim *imago* dicta, subtractis literis, quasi *imitago*, ut *tegmen* a *tegimen*, *discrimen* a *discernimen*, *flumen* a *fluimen*, *prossa* a *promissa*: et infinita alia. *Cerda.*

51 *Pulsam hiemem sol aureus egit*] Secundum Physicos: qui dicunt, quo tempore hic hiems est, æstatem esse sub terris: et vice versa, cum hic æstas, illic hiemem. Quod etiam Lucretius exequitur, et trahit in argumentum putealem aquam, quæ æstate frigidissima est, hieme vero calidissima. *Servius.*

Egit] Pro persequitur. *Philarg.*

Ubi pulsam hiemem sol aureus egit, &c.] Cum sol ad antipodas frigidam tempestatem transmittit; sole enim blandius illucescente, apes prodeunt ex latibulis. Similem locutionem habet Stat. Silv. l. IV. ad Sept. Severum: 'Jam trux ad Arctos Parrhasias hiems concessit altis obruta solibus.' Quo tempore se foras proripiunt, docet Calab. l. I. Colum. IX. 14. Plin. XI. 6., latent a Vergiliarum occasu in cavernulis, ex quibus circa æquinoctium vernum ad opificium exire incipiunt: examina autem et viribus et numero augentur circa V.

Idus Majas. ut passim hoc r. r. Scriptores. *Emmeness.*

52 *Reclusit*] Cœlum, mare, tellus, ut dicuntur per hiemem tegi nimbis, intercludi tempestatibus, constringi gelu; ita vere, et æstate, recludi, aperiri, laxari. *Cerda.*

53 *Saltus silvasque peragrant*] Comparat Varr. III. 16. apes cum Musis, utque his attributi montes Helicon et Olympus; ita apibus montes floridi, et inculti natura. *Idem.*

54 *Purpureos flores*] Flores intelligit etiam aliorum colorum, sed præstans hic color Poëtam invitavit, ut illum nominaret. Græcus Poëta, Πλεῖστα ῥόδ' ἤνθησαν φοινίκεα, καὶ κρίνα λευκά. *Purpureæque rosæ fudere, ac lilia flores.* Nemes. Ecl. II. 'Purpureosque alitis per gramina flores.' Ovid. Art. III. 'Est prope purpureos colles florentis Hymetti Fons pater.' Claudian. Paneg. Stilic. II. 'Purpureo primæ signatus flore juventæ.' Noster in VI. 'Purpureosque legam flores.' Idem.

Metunt flores] Secant. Unde et messores dicti sunt. Sane *meto, metis,* facit præteritum perfectum *messui.* Servius.

Purpureosque metunt flores] Sic Ovid. Fast. II. 706. de Tarquinio, 'et virga lilia summa metit.' quæ paulo post 'decussa lilia' appellat. Luculentius de hoc verbo Germanus Ge. II. 410. *Emmeness.*

Libant] Degustant alibi, defendunt: ut, 'pateras libare Jovi.' *Philarg.*

Flumina libant] Nam aqua necessaria ad usus apum. Arist. Hist. l. IX. αἱ δὲ, ὕδωρ φέρουσιν εἰς τοὺς κυττάρους, καὶ μιγνύουσι τῷ μέλιτι: *hæ autem aquam ad alveos ferunt, et melli admiscent.* Colum. c. 5. satis ad rem: 'Tum perennis aqua, si est facultas, inducatur, vel extracto canali manu detur, sine qua neque favi, neque mella, nec pulli denique figurari queant.' *Cerda.*

55 *Leves*] Ita quoque de ape Tibul. 'Rure levis vernos flores apis ingerit alveo.' *Idem.*

Hinc] Ex floribus scilicet, ex quibus primo mel, mox pullos efficiunt. *Servius.*

Hinc] A florum pastu, et aquarum gustu. Colum. 'Sine aqua neque favi, neque mella, neque pulli figurari queunt.' Notat autem Plin. II. 6. Virgilium in his naturæ ordinem non observasse: quem ibi vide. *Taubm.*

Nescio qua dulcedine lætæ] Quadam arcana ratione naturæ. *Servius.*

Hinc nescio qua dulcedine] Par huic versui ille Ge. I. de corvis: 'Nescio qua præter solitum dulcedine læti.' *Cerda.*

57 *Excudunt ceras, et mella tenacia fingunt*] Desumtam similitudinem a ferrariis docet Cerda, qui legit *figunt.* Sed Ciceronis locus pro nostra stat lectione De Off. I. 44. 'atque ut apum examina non fingendorum favorum causa congregantur, sed, cum congregabilia sunt natura, fingunt favos.' Exponit manifestius quid sit *fingere* Plin. II. 6. 'primum favos construunt, ceram fingunt, hoc est, domos cellasque faciunt.' Aristot. Hist. animal. IX. 40. πλάττειν. ubi plura de conficiendis favis. *Emmeness.*

Mella tenacia fingunt] Quia cum inversi sunt favi, mel tamen inde non funditur. *Servius.*

Tenacia] Quæ in resupinatis favis cohærent. *Idem.*

58 *Caveis*] Alvearibus. *Idem.*

Caveis] Vasa apium Poëta nominat *Prætoria, caveas, cunabula, ædes, tecta, urbem, penates, larem, antra, latebras, præsepia, stabula, oppida, horrea, thalamos, aulam, regna cerea.* Varro appellat *domicilium, domum, coloniam.* A quo *domicilium* accepere Lactantius XIII. 10. et Isid. XII. 7. Columella *receptaculum,* Claudian. Ruffin. II. *rimosam patriam* et *antra pumicis.* et Rap. II. *castra cerea.* Silius lib. II. *Et odori corticis antra.* Pap. Th. X. *pumiceo antro, flavam domum.* Vulgus

omne *alvearia, alvos, alveos.* Arist. Hist. IX. σμῆνη, et κυττάρους. Calaber libro I. et Apollon. in Arg. et Hesiod. in Theogon. σίμβλον. Auctor Geoponic. κατακλίσεις, ὑποδοχήν. Idem etiam θήκας, *cellas.* Nazianzen. orat. 34. vocat σύριγγας, *fistulas,* et ἀοράτοις πλάσμασι: *obscuris figmentis.* Calab. l. VIII. χηράμους, *cavernas.* Homer. Il. XII. οἰκία. et κοῖλον δόμον. Basil. Hom. Hex. VIII. ἀποθήκας μέλιτος. Nonnus Dion. l. v. recurrit ad foramina, πολυτρήτων σίμβλων. *Cerda.*

59 *Nare*] Pro volare. ut Ennius in primo: 'Transnavit cita per teneras caliginis auras.' proprietas tamen vocis aptior est natantibus, quam volantibus. *Philarg.*

Nare] Id est, volare. V. N. Æn. I. *mare velivolum.* Ita in Epigr. Gr. ἐν αἰθέρι ῥεῦμα μελισσῶν. *Taubmann.*

Æstatem liquidam suspexeris agmen] Per ver serenum. *Servius.*

60 *Nubem*] Confertum instar nubis examen. Ita Tacitus l. XIX. 'avium nubem' dixit: Liv. l. v. 'equitum peditumque nubem:' Noster Æn. VII. 'nimbum peditum:' Statius 'Armorum nubem.' V. N. Æn. XI. 'cælumque obtexitur umbra.' *Taubmann.*

61 *Contemplator*] Pro intuere. nam tempus futurum pro præsenti posuit ab imperativo modo. *Servius.*

Aquas dulcis, et frondea semper] Propter hoc ait supra, 'Et tenuis fugiens per gramina rivus, Palmaque vestibulum.' *Idem.*

62 *Huc*] Ad alveos. *Taubmann.*

63 *Trita melisphylla*] Varro hanc herbam apiastrum dicit, in primo libro operis rustici. *Servius.*

Melisphylla] *Melisphylla* herba est, quam, ut ait Varro, alii *apiastrum,* alii *melinem* appellant. *Philarg.*

Melisphylla] Melisphyllum dictum est quasi *mellis folium.* Dicitur ab Dioscor. l. III. *melissophyllum,* quasi *apum folium:* ab eodem μελίταινα. ab aliis μελίτεια. a Plinio *melitis:* a Gallis, *melissa,* ut scribit Ruell. III. 58. a Latinis *citrago:* ab Hispanis, *torongil.* Sed cum omnes pene melissophyllum vocent, Nicander *melisphyllon* dixit, quem secutus est vates. Putavit Varro III. 16. apiastrum esse eandem herbam cum melisphyllo, aut melissophyllo: hoc idem scripsit Higinus. Uterque mire falsus est, ut et illi, qui ab his accepere. Longe alia species, quod contra Higinum, et Varronem Ruellius notavit, et alii ex his, qui nuper scripsere de re herbaria. Plin. aperte pro hac parte XXI. 12. ubi scribit serendum juxta alvearia apum caussa apiastrum, et melissophyllum: non dicturus, si res eadem, et Colum. IX. 9. 'succo prædictarum herbarum, id est, melissophylli, vel apiastri manu illita.' *Cerda.*

Melisphylla] Disputationem, quam Cerda infert de *melisphyllo* et *apiastro,* attingit Salm. Plin. exerc. p. 102. et legendum esse asserit propter metrum *melisphylla* ut τρίσφυλλον pro τρίφυλλον in Nicandro idem p. 243. *Emmeness.*

Cerinthæ ignobile gramen] Vile, ubique nascens. *Servius.*

Cerinthæ] *Cerinthe* a Cerintho urbe Bœotiæ, in qua plurima nascitur. *Philarg.*

Cerinthæ] *Cerinthe* herba est, perpaucis etiam eruditis cognita: 'cujus flores' (auctore Gesnero) 'cani et pallidi sunt, folia punctis quibusdam notata,' &c. Vide et Plin. XXI. 12. et Theophrast. hist. plant. VI. 7. Melanchthon leviter suspicabatur *lilium convallium* esse. *Taubmann.*

Ignobile] *Ignobile* non omnibus notum: *ignobile gramen,* vile, ubique nascens. *Philarg.*

64 *Tinnitusque cie*] Est enim *Apis animal Musicum,* auctore Varrone: 'gaudentque plausu et tinnitu æris,' teste Plinio XI. 20. Dubitat tamen Aristot. an audiant: et si; utrum voluptate id faciant, an formidine; quod scil. hic Poëta iis tribuit. *Taubmann.*

Matris cymbala] Quæ in ejus tutela

sunt, ideo quod similia sunt hemicyclis cæli, quibus cingitur terra, quæ est mater deorum. *Servius.*

Matris quate cymbala] Quidam ad Rheæ partum referunt, Idæos Dactylos, et sonum, qui ad avertendum Jovis vagitum, ne proderetur Saturno, in sacris mysteriis repræsentabatur. Cymbala vero, non tantum Cybeles sacris et Isidis, ut Hesychius demonstrat, sed et Bacchi orgiis adhibebantur. Unde Propert. lib. III. 'Cymbala Thebano concrepuere Deo.' *Germanus.*

Cymbala] *Tinnitum* proprie edere dicuntur, hinc Paul. I ad Corinth. XIII. 1. Γέγονα χαλκὸς ἠχῶν, ἢ κύμβαλον ἀλάλαζον. Horum usum et figuram tradit Pignorius de serv. p. 83. sed nemo eruditius quam Gonsalius de Salas ad Petron. p. 74. *Emmeness.*

65 *Ipsæ consident medicatis sedibus*] Varr. 'Quocirca examen, ubi volunt considere, eum ramum, aliamve quam rem oblinunt hoc, admisto apiastro.' Idem: 'considunt, in quo est sapor dulcis.' *Cerda.*

66 *Intima*] Ita hic *intima incunabula*, ut supra, *penitusque reperta.* Idem.

More suo] Naturali ratione, cujus causa non redditur. Quis enim novit cur æris sono redeant in alvearia? licet ipse paulo post dicit, 'Crepitantiaque æra secutæ, Dictæo cæli regem pavere sub antro.' *Servius.*

67 *Sin autem ad pugnam exierint*] Longior solito parenthesis: est enim ordo: Sin autem ad pugnam exierint, motus animorum, 'atque hæc certamina tanta Pulveris exigui jactu compressa quiescent.' *Philarg.*

Sin autem] *De componendo apum dissidio;* quod oritur ex πολυκοιρανίῃ et studiis partium. Cum enim apum Politia sit μοναρχία, pro ea pugnant. Lucanus: 'Nulla fides regni sociis: omnisque potestas Impatiens consortis erit.' *Taubmann.*

Sæpe duobus] Colum. IX. 9. 'Inter se, tanquam civilibus bellis, et cum alteris, tanquam cum exteris gentibus, prœliantur.' Invenio quatuor, inopiam cibi, studium florum, odium gentis, Regum superbiam. Primam attingit Aristot. Hist. IX. 40. ἤδη δὲ νοσήσαντός τινος σμήνους ἦλθόν τινες ἐπ' ἀλλότριον, καὶ μαχόμεναι νικῶσαι, ἐξέφερον τὸ μέλι. Plinius c. 17. 'Quod si defuerit alicujus alvei cibus, impetum in proximas faciunt, rapinæ proposito.' Alludit Calab. lib. XI. ubi ait, vespas pugnare contra apes περὶ σταφυλῇσιν ἀνανομέναις, quod istæ in uvas ferantur. Alteram Plin. 'Maxime rixa in convehendis floribus exorta, et suis quibusque evocantibus.' Tertiam Arist. πολεμοῦσι δὲ σφόδρα αἱ μικραὶ τῷ γένει τῷ μακρῷ, καὶ πειρῶνται ἐκβάλλειν ἐκ τῶν σμηνῶν. Plin. c. 16. 'Nascuntur aliquando in extremis favis apes grandiores, quæ ceteras fugant.' Quartum Colum. 'Sunt enim plures unius populi duces, et quasi procerum seditione plebs in partes deducitur.' Hanc videtur Virgilius intellexisse, cum ait, 'Regibus incessit discordia.' De apibus dixit Theodor. 'Confusam inter multos potestatem et Democratiam odio habent: unum ducem observant, huic parere illis gratissimum est.' Hanc in re alia libat Lucan. lib. I. 'Nulla fides regni sociis, omnisque potestas Impatiens consortis erit.' Hanc Homer. cujus tritum est illud: Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω: *Non bona res multorum principatus, unus Rex esto.* Cerda.

68 *Incessit*] Ingruit, invasit. Alibi, *Incessi muros, ignes ad tecta volare.* Et *incessit regibus*, figuratum est: nam *incessit reges* dicimus. *Servius.*

Incessit] Quod noster hoc verbo, Thucyd. lib. VII. ἐμπίπτειν. Alex. Aphrod. ἐνσκήπτειν. Plato leg. η'. εἰσῄρχοντο. et in Menone λάβοι. et in Theage παρεγένετο. Euripid. in Rheso. ἕλοι. Dio Chrysost. orat. LXXX. ἐγκεκείρηκεν. Homer. Odys. XXIII. ἵκανεν. Calab. IX. ὄρουσε. Herodot. l. II. ἐπεάν

ἐπὶ οἶστρον. Idem sæpissime effert verbo ἐνεθύμησε. *Cerda.*

69 *Trepidantia bello Corda*] Alacritate pugnandi: non timore. Alibi, 'exultantiaque haurit Corda pavor pulsans.' *Servius.*

Trepidantia] De apibus etiam Varr. 'Intus faciunt bombum, et cum introëunt, ac foras trepidant.' *Cerda.*

70 *Præsciscere*] Loquens quoque de apibus Colum. c. 9. 'Poterit exploratam fugam præsciscere, vespertinis temporibus aurem singulis alveis admovendo.' *Cerda.*

Morantia] Tarde incedentes. *Serv.*

71 *Martius ille æris rauci canor*] Varr. 'Consonant vehementer, proinde, ut milites faciunt, cum castra movent.' De isto apum canore Aristot. φωνὴ μονῶντι καὶ ἴδιος γίνεται: *Auditur solitaria, et peculiaris vox.* uti hic fiat, aperit Plin. XI. 51. 'Cetera simul cum volatu et incipere audiri, et desinere, ut muscas, apes. Sonum enim attritu, et interiore aura, non anima reddi.' *Cerda.*

Vox] *Bombus, ut buccina aliqua:* Plinius. Auctor Philomelæ: *Bombilat* (Gifan. leg. *Bumbitat*) *ore legens munera mellis apis.* Taubmann.

72 *Fractus*] Collisos. *Servius.*

Auditur, fractos sonitus imitata] Innuit fragorem et stridorem æreum tubarum, qui rumpi et refringi magis, quam edi videtur: quem murmur tumultuantium apum quodammodo imitatur. Non autem in hanc sententiam *fractos sonos* accepit Tacit. Annal. l. XIV. sed pro mollibus usurpavit. *Germanus.*

Fractos] Collisos et quasi refractos, qualis fragor et stridor est tubarum. Vide Aristot. de Animo. l. II. Ita Plutarchus κραυγὰς σπαραγματώδεις dixit. *Taubmann.*

73 *Trepidæ coëunt*] Festinant inter se alvearibus. *Servius.*

Pennisque coruscant] Quemadmodum hasta milites commovent. *Idem.*

Coruscant] Splendent. *Philarg.*

74 *Spicula*] Ovidius quoque in Ibin, aculeos apum vocat *spicula*: alii, *tela*. Cerda.

Rostris] Id est, cuspidibus in cauda, μεταφορικῶς. *Cam.*

Aptant lacertos] Præparant ad pugnam brachiola. *Taubmann.*

75 *Prætoria*] A Prætoribus, quo nomine appellati olim, qui postea consules dicebantur et bella administrabant, ut Festus, quorum tabernaculum *prætorium* nominabatur. Græce στρατήγειον, πραιτώριον. Quint. *augustale.* Situm, magnitudinem prætorii, ejusque partes describit Veget. III. 8. et Lips. v. 2. 'locus medio castrorum vocabatur, ubi forum et prætorium.' ut Salm. Plin. exerc. p. 820. quia reges habent suos, ad prætorem proficisci perhibentur, ut milites ad tabernaculum imperatoris. Sumitur quoque pro domo publica, in qua prætor in provincia jus pronuntiabat, vel posita in usus et commoditatem judicum et præsidium Rom. C. *de episcopis et clericis.* l. XXXIII. et C. *de officio Rect. prov.* l. ult. Non raro etiam significat partem villæ splendidissime ædificatam, quod ex Ulpiano in l. *urbana prædia.* et in l. *plenum autem usum habere debet, si et villæ et prætorii relictus est.* Ex Palladio I. 18. *ipsius autem prætorii situs sit loco,* &c. Eleganter Stat. Silv. I. in Tiburt. Manl. 'alternas servant prætoria ripas.' Quæ nimis ampla et operosa gravabatur Augustus, ut Suet. in ejus vita c. 92. 'in extructionibus prætoriorum atque villarum,' &c. in Calig. c. 37. sic et in Tito c. 8. Sed de his plus quam satis. *Emmeness.*

Densæ] Apes glomeratas circa suum Regem συνεστραμμένας vocat Aristot. Auctor Geopon. περικαθεζομένας τὸν βασιλέα, et συνεστραμένας. Plinius XI. 17. ita exprimit: *Totum examen circa eum* (Regem) *conglobatur, cingit, protegit.* Cerda.

76 *Vocant clamoribus hostem*] Provocant. *Servius.*

Clamoribus hostem] Nam et more Romano conclamabatur, *Ad arma, ad arma.* Cæsar l. I. B. C. *Conclamabatur ad arma.* Ovidius Met. XIV. 'Certatimque omnes uno ore arma, arma, loquuntur.' Vide Briss. Form. l. IV. Ita et Græcis suum est ἀλαλά: Nostris, her, her, her. *Taubmann.*

77 *Ver nactæ sudum*] Serenum post pluvias. ut, *Per sudum rutilare vident.* Servius.

Sudum] *Sudum* est serenum subhumidum. proprie autem *sudum* pars serena inter nubes, quasi semi udum. *Philarg.*

Camposque patentis] Id est, per aërem purum et liquidum, non nubibus clausum: et ita aër, campus est apum, ut mare navium, hominum solum. Ipse in quinto, 'Subtrahiturque solum.' *Servius.*

78 *Concurritur*] Ad hunc saporem fortasse Horat. Sat. I. 1. 'quid enim? concurritur: horæ Momento, cita mors venit, aut victoria læta.' *Cerda.*

79 *Glomerantur in orbem*] More bellantium. *Servius.*

Glomerantur] Hoc verbum in re apum usurpant Plin. Colum. et alii. Varro dixit: *conferciunt se.* Cerda.

Glomerantur] More bellantium. Cujus quidem aciei in ovi similitudinem conglobatio Græcis ἴλη dicitur. Vide et Lips. de Milit. Rom. IV. 7. *Taub.*

80 *Non densior aëre grando*] In aliis enim bellis victi tantum pereunt: in certamine vero apum, etiam victrices. Nam dicturus est, 'animasque in vulnere ponunt.' *Servius.*

Non densior] Illustrabis istum locum comparationibus, quas adduco Ge. III. ad illud: 'Non tam creber agens hiemem ruit æquore turbo.' et Æn. VI. ad illud: 'Quam multa in silvis autumni frigore primo.' Ista enim omnia similia sunt inter se. *Cerda.*

81 *Tantum pluit ilice glandis*] Erit nominativus *hæc glans.* Servius.

Pluit] Id est, decidunt tot glandes. De hoc verbo vide Nobiliss. Heinsium Metam. I. 572. *Emmeness.*

82 *Ipsi*] Reges. *Taubmann.*

Insignibus alis] Esse Regibus apum notas quasdam, quibus insignes sint, et ab aliis differant, omnes proclamant, qui de hac re scripserunt. Plinius c. 16. ita illum ab apibus distinguit: 'Omnibus forma semper egregia, et duplo quam ceteris major, pennæ breviores, crura recta, ingressus celsior, in fronte macula quodam diademate candicans. Multum etiam nitore a vulgo differunt.' Supra de eodem: 'Præcipua magnitudine ne fatiscat.' Colum. 'Reges majores paulo, et oblongi magis, quam ceteræ apes, rectioribus cruribus: sed minus amplis, pinnis pulcri coloris, et nitidi levesque, ac sine pilo.' Virgil. infra: 'Et rutilis clarus squammis.' Plato de Rege hoc in Polit. ἐν σμήνεσι (βασιλεὺς) ἐμφύεται τότε σῶμα εὐθὺς, τὴν ψυχὴν διαφέρων εἷς: *Nascitur in alvearibus* Rex, *qui unus ipso statim ortu præstat apibus reliquis tam corpore, quam habitu animi.* Cerda.

83 *Ingentis animos*] Statius: 'Major in exiguo regnabat corpore virtus.' Homerus, μικρὸς μὲν ἔην δέμας ἀλλὰ μαχητής. *Servius.*

Ingentis animos, &c.] Videtur Maro respicere ad causam physicam, qua magnitudo et angustia animi, proportione cordis discernuntur, ea ratione, ut ab Aristot. magno, amploque cordis spatio prædita animalia meticulosa censeantur. *Germanus.*

Ingentis, &c.] Sunt μεγαλόθυμοι, μεγαλόφρονες. Statius: 'Major in exiguo regnabat corpore virtus.' Auctor Phallicorum: 'Utilior Tydeus, qui, si quid credis Homero, Ingenio pugnax, corpore parvus erat.' Romæ in tabula marmorea: 'Ille ego, qui magni parvus cognominis heros, Corpore in exiguo res numerosa fui,' &c. Vide Inscriptiones antiq. Orb. Rom. Gruterianas, p. DCLV. *Taubmann.*

84 *Usque adeo obnixi non cedere*] Observat Godesc. lib. de lingua Lat.

hanc vocum consecutionem, *usque adeo, dum*, ut elegantem. ita Cato: 'Igni leni cognito usque adeo, dum fiat tam crassum, quam mel.' Agel. x. 3. 'Usque adeo verberari jussit, dum animam efflavit.' Variatur per ista: 'Usque adeo, donec: usque adeo, donicum.' Exempla ab eo pete. *Cerda.*

Obnixi] Obfirmati: animis obstinati. Sic paullo ante, *Ipsi*; tanquam non apes, sed *milites* intelligerentur. *Taubmann.*

85 *Coëgit*] In omnibus iis codicibus antiquis, quos habere potuimus, *subegit* scriptum observavimus pro *coëgit*. Pierius.

87 *Pulveris exigui jactu*] Quia cum pulverem viderint, sperant tempestatem futuram, quæ eis plurimum nocet. *Servius.*

Pulveris exigui] Varr. 'Jaciundo in eas pulverem perterritas, quo voluerit, perducet.' Sermo est de mellario. Plinius cap. 17. 'Quæ dimicatio in jactu pulveris, aut fumo tota discutitur.' Habent Auctores rusticorum modos alios, quibus reconcilientur. *Cerda.*

Pulveris exigui] In Mediceo et antiquis plerisque codicibus, *quiescunt* præsenti tempore legitur: ut præcepta hæc magis asseverare videatur. *Pierius.*

Pulveris exigui jactu] Præter hoc derimendi prœlii remedium, respergendos hos bellatores monet Colum. IX. 9. *mulso, passore, aut alio quovis liquore simili*, mitigat quasi familiaris dulcedo sævientium iras. *Emmeness.*

88 *Ambos*] Legitur et *ambo*: Revocari autem apes, vel lacte, vel aqua mulsa Plinius dicit. *Philarg.*

Ambos] In antiquis plerisque codicibus, *ambo* per *o* legitur: quam sinceram, et emaculatam lectionem Sosipater Carisius agnoscit, addita etiam ratione: quod hoc Græcos sequuti dicimus: quia illi τοὺς δύο, et τοὺς ἄμφω dicunt. neque respuit Terentius eundem hunc modum, ut in Andria, *hem, Charine, ambo opportune vos volo*, quod vero in Adelphis est, *usque a pueris curavi ambos sedulo*. Helenius Acron in eadem fabula locum ex Sallustii libro quarto historiarum citat: 'Inter me atque Lucullum prope inopia rursus ambos incessit.' Verriumque dicit errare, qui putat *hos ambo* dici debere. Indifferenter autem locutos veteres, ex multis Auctorum exemplis Carisius ostendit. *Pierius.*

Ambo] Per ἀρχαϊσμὸν, ut Nobiliss. Heinsius ad Ovid. Metam. VII. 792. 'Scilicet invictos ambo certamine cursus.' Vide quæ dicta sunt Ecl. VI. 18. quando utendum hoc nomine Charisius disputat l. I. gramm. p. 49. *Emmeness.*

89 *Deterior qui visus*] *Pejor* a malo dicitur: *deterior* a meliore. *Servius.*

Deterior] Modo quare *deterior*, si ille servatur, qui malus est? solvitur. deterior minus bonus. ut, 'Tristior et lachrymis oculos suffusa nitentes.' *Philarg.*

Deterior qui visus] Præceptum istud ita attigit Varr. loquens de mellario: 'Animadvertat, ne Reguli plures exsistant: inutiles enim sunt propter seditiones.' Et infra ait, expedire nigrum Regem interficere, cum duo sunt in eadem alvo. Colum. c. 9. 'Si constat Principibus gratia, manet pax incruenta; sin autem sæpius acie dimicantes notaveris, duces seditionum interficere curabis.' Auctor Geop. οἱ δὲ βασιλεῖς ἐν ἄκροις τοῖς κηρίοις εὑρίσκονται. χρὴ δὲ ἑκάστῳ σμήνῳ ἕνα ἀπολειπόντας, τοὺς λοιποὺς ἀφανίζειν: *Sunt Reges in supremis favis, oportet autem singulis alveis unum relinquas, ceteros perdas.* Plin. c. 16. *Concordi suffragio deterrimos necant, ne distrahant agmina.* Ante omnes Aristot. κτείνουσι δ' αὗται σφόδρα καὶ τῶν ἡγεμόνων τοὺς πολλοὺς, καὶ μᾶλλον τοὺς πονηροὺς, ἵνα μὴ πολλοὶ ὄντες διασπῶσι τὸν ἑσμόν: *Ipsæ duces enecant cum plures, maxime improbos, ne seditionem concitent.* Cerda.

Prodigus] Non mella conficiens, sed mella consumens. Ideo autem regem solum præcipit occidendum, quia eo amisso, suus dissipatur exercitus. Nam, 'Ut binæ regum facies, ita et corpora plebis.' *Servius.*

90 *Vacua*] Hic ad æmulum refertur, ut 'Sola domo mœret vacua,' in qua maritus non erat. *Philarg.*

Melior vacua sine regnet in aula] Habuit fortasse ante oculos verba ista Claudianus de Nupt. Honor. cum ita Venerem inducit loquentem: 'Gradivum, nostri comites, arcete parumper, Ut soli vacet aula mihi.' *Cerda.*

91 *Alter erit maculis auro*] Hæc ex Aristotele interpretata notat Colum. IX. 3. quem vide l. v. Hist. animal. c. 21. *Taubmann.*

Squalentibus] Splendentibus: quod a squamis venit ut, *Squamis auroque trilicem.* Nam si a *squallore* est, sordidum significat; ut, *Squallentem barbam.* Servius.

Auro squalentibus] Notis quasi aureis splendentibus. Plinius: 'In fronte macula quodam diademate candicans,' &c. *Taubmann.*

92 *Nam duo sunt genera*] Aristot. Hist. IX. 4. εἰσὶ δὲ γένη δύο ἡγεμόνων, ὁ μὲν βελτίων, πυῤῥός· ὁ δ' ἕτερος, μέλας, καὶ ποικιλώτερος, τὸ δὲ μέγεθος διπλάσιος τῆς χρηστῆς μελίττης. Eadem scripserat idem Arist. v. 21. Auctor etiam Geopon. τῶν δὲ βασιλέων οἱ μὲν ἄριστοί εἰσι τῇ χροιᾷ ξανθοὶ, μέγεθος ἡμιόλιον μελίσσης· οἱ δὲ δεύτεροι ποικίλοι, ὀλίγον ὑπομελαίνοντες, μέγεθος διπλάσιον: *Regum optimi sunt colore flavi, magnitudine sesquialtera porportione apis: secundo loco sunt varii, paululum subnigricantes, magnitudine dupla.* Colum. x. ait, 'esse Reges pulcri coloris, nitidos, leves,' &c. et deinde reperiri alios *infuscos, atque hirsutos.* Plin. c. 16. 'Duo autem genera eorum; melior rufus, quam niger variusque.' Hi omnes, ut vides, sub una tantum specie nigrum, variumque constituunt, quem distinguunt a rutilo. Unus Varro tres species statuit ex quorundam sententia: 'Et, ut quidam dicunt, tria genera cum sint ducum in apibus, niger, ruber, et varius.' Et statim ex Menecrate, duo, nigrum, et varium. *Cerda.*

Insignis ore] *Forma regia*, ut Plautus loquitur. *Taubmann.*

93 *Horridus*] Pilis hirsutus, vel incultus; et, ut Col. ait, 'sordido sputo similis:' quod Petronio, 'turbatus sputo pulvis' est. *Idem.*

94 *Latamque trahens inglorius alvum*] Nimirum et prisci imperatores, in habendo delectu, nimium obeso ventre militem rejiciebant. Sed nec generosis apibus alvus protensior convenire videtur, cum compressiore et graciliore corpore gens apum genuina esse soleat: unde et per tralationem σφηκώδεις dicuntur non solum macilenti rarique, sed et qui cinctu sunt strictiore et expeditiore, εὔζωνοι et εὔζωστοι. σφῆκες siquidem et vespæ, et apes sunt. Et Nicand. de Scorpio: φορέει δέ τε βοσκάδα νηδὺν Εὐρεῖαν. *Germanus.*

Latamque trah. alvum] Non rotundam, ut alter. Aristoteli πλατυγάστωρ est, et ventricosus; atque ideo vorax. Etiam Romani militem obeso ventre rejiciebant. *Taubmann.*

95 *Facies*] Capienda hic vox pro tota corporis habitudine ex Nota Nonii. Nam, ut species (inquit ille) dicta ab aspectu, figura a fingendo, ita facies a factura corporis. Firmat auctoritate Plauti in Pœn. 'Sed earum nutrix, qua sit facie, mihi expedi. Statura non magna, corpore aquilo ipsa est.' Pacuvii in Nyt. 'Ætate integra, feroci ingenio, facie procera virum.' Sallust. in Hist. 'Sardinia in Africo mari, facie vestigii humani, in Occidentem, quam in Orientem latior.' *Cerda.*

Ut binæ regum facies] Qua sint forma apum reges dilucide Colum. IX. 10. ubi Maronis utitur testimonio. *Emmeness.*

96 *Namque aliæ*] Plura apium genera statuit Arist. c. 40. Colum. ex illo c. 3. et Plin. c. 18. Libri horum millies a me citati sunt. Plato etiam in Menone statuit, apes πολλὰς, παντοδαπὰς εἶναι, διαφερούσας ἀλλήλων: *multas esse, et varias, et inter se differentes.* Virgilius satis duxit duas species adhibere. *Cerda.*

97 *Sicco terram spuit ore viator*] Aut *in terram:* aut re vera *terram*, propter pulverem. *Servius.*

Sicco terram spuit ore viator] Sic in antiquis aliquot codicibus. in aliis etiam, *terram sicco spuit.* Pierius.

Sicco terram spuit ore viator] Formam istam Petronius describit: *Turbatum sputo pulverem.* De vi sputi (hoc ἐκ παρέργου) contra fascinum lege Notam Rittershus. in Opp. Hal. III. *Cerda.*

98 *Elucent aliæ*] Columella: 'pulchri coloris et nitidi lævesque ac sine pilo,' &c. vide IX. 10. *Taubmann.*

99 *Paribus lita corpora guttis*] Similibus, id est, aureis habentes distincta corpora. Nam *lita*, est illita, distincta. *Servius.*

Lita] Ordo est: ardentes auro corpora, et paribus guttis lita. *Philarg.*

Paribus guttis] Id est, similibus. Maculis aureis distincta habentes corpora, ut Serv. Sæpe ad externam speciem refertur, inquit Scefferus ad Phædr. II. fab. 3. 'ambæ videri dum volunt illi pares.' *Emmeness.*

100 *Potior suboles*] Ad mella scilicet procreanda. *Servius.*

Hæc potior suboles] Cum dicit Colum. c. 3. 'Ejus auctoritatem' (intelligit Aristotelem) 'sequens Virgilius maxime probat parvulas, oblongas, leves, nitidas, ardentes auro, et paribus lita corpora guttis, moribus etiam placidis:' rejicit nos, ut puto, ad verba illa, ἡ δ' ἀρίστη μικρὰ, στρογγύλη, καὶ ποικίλη: *Optima est parva, rotunda, varia:* nam cum verbis Columellæ affinia sunt ea verba Aristotelis, non alia illius capitis: habet eadem verba Aristot. v. 22. *Cerda.*

Cœli tempore certo] Et cum oriuntur Pleiades, et cum occidunt: id est, verno et autumno. *Servius.*

Cœli] Ut, 'cœli menses et sidera serva:' et inde, 'ubi quarta sitim cœli collegerit hora.' *Philarg.*

Tempore certo] Vernum, et Autumnale signat Servius. Sumsit fortasse ab Arist. τῇ δὲ τοῦ μέλιτος ἐργασίᾳ δίττοι καιροί εἰσιν, ἔαρ, καὶ μετόπωρον: *Mellis conficiendi duo sunt tempora, Ver atque Autumnus.* Cerda.

Tempore c.] Vide Plin. XI. 16. *Taubmann.*

101 *Dulcia mella*] Non est superfluum epitheton. Nam ideo ait *dulcia*, quia etiam sunt amara, ut Corsicana; sicut in Bucolicis diximus. *Servius.*

102 *Liquida*] Defæcata, sine sordibus: non quæ fluunt, nam mala sunt. *Idem.*

Durum Bacchi domitura saporem] Apta mulso. Bene autem ait *durum saporem:* quia majores vina asperrima mellis dulcedine temperabant. *Idem.*

Durum Bacchi domitura saporem] Sunt qui in Virgilio mulsum intelligant, id est, οἰνόμελι. Possunt fortassis. Nam mulsum fit ex melle et vino. Dioscor. v. 16. de mulso ita: σκευάζεται δὲ πρὸς δύο μετρητὰς, ἐκ ἐπιπολὺ, οἴνου, ἑνὸς μετρητοῦ μέλιτος μιγνυμένου: *fit omnino duabus vini metretis, admista una mellis.* Lege totum caput. Sed satius est, ut non mulsum intelligas, sed vini genus austerum, cui mel admiscebatur adimendæ asperitatis: hoc enim modo vina aspera apud veteres curabantur. Errat itaque Servius, Poëtam explicans, verbis istis, *Domitura*, *&c.* Errat (inquam) confundens mulsum cum illa vini temperatura. Nam, ut vera est illa ratio temperandi, quam subjicit: ita falsum est, quod præmittit de mulso. Neque enim Poëta capiendus est de mulso; tantum de temperatura. Magnum pon-

dus pro hac re Horat. Sat. II. 4. ubi ait: 'Aufidius forti miscebat mella Falerno. Mendose: quoniam vacuis committere venis Nil nisi lene decet; leni præcordia mulso Prolueris melius.' In his vides, forte et asperum vinum temperatum melle excludi a ratione mulsi. Etenim Horatius in istis, 'Miscere mella forti Falerno,' omnino reddidit, et expressit ista Virgilii, 'Domare durum saporem Bacchi.' Hinc contendo neque in Martiali capi mulsum, cum scribit Epig. IV. 13. 'Tam bene rara suo miscentur cinnama nardo, Massica Theseis tam bene vina favis.' *Cerda.*

Bacchi domitura] Locus hic germanissime de mulso intelligendus est. hoc enim in mulso præstat mel, ut domet mitigetque durum asperumque vini saporem. Nam, perperam D. H. affirmat ex vino austero et melle non fieri mulsum, sed tantum adhiberi mel, ut mitesceret vinum. Neque usquam lectum, ad communem et quotidianum potionis usum admisceri mel vino. L. Ramirez Hispan. ad Martial. IV. 13. *Taubmann.*

103 *Incerta*] Ignara, quo velint. *Idem.*

104 *Frigida tecta*] Melle vacua, inoperosa. Contra, 'Fervet opus.' e contra Terentius: 'Nimirum hic homines frigent.' *Servius.*

Frigida tecta] Serv. explicat, *melle vacua, atque inoperosa.* Nam, cum apes sunt in opere, *fervet opus. frigus* enim de re lenta, et remissa dicitur. Quis non Terentianum illud audivit? 'Sine Cerere et Baccho friget Venus.' Sic Cicer. in Verrem dixit, 'judicia frigerent.' Sic in Epist. VIII. 'Quod tibi supra scripsi, Curionem frigere, jam calet.' Servio ista addidit Pontanus. Et ego utrique: ductum id ex Græcorum imitatione, qui in hac significatione capiunt ψυχρὸν, et ψυχρότητα. Sic commentator Aristophanis ποιητὴς ψυχρὸς, pro inani et futili Poëta. Sic Lucian. ψυχρολογία, pro verbo inepto, inficeto, inani; et quo non risus captatur, sed sequitur merum frigus. Sic Demosthenes de falsa legat. ψυχρὸν ὄνομα, pro verbo inepto, neque ullo vivacitatis calore condito. Suppeditant ista Lexicographi. *Cerda.*

105 *Instabilis animos*] Suadentes inanem vagandi licentiam. *Servius.*

Instabilis animos] Palladius: 'Novellæ apes, vagantibus animis juventute, nisi serventur, effugiunt.' *Taubm.*

106 *Tu regibus alas Eripe*] Ex hoc Virgilii præcepto Colum. c. 10. 'Ipse spoliabundus est alis.' Iterum: 'Velut quadam compede retinebimus erronem ducem, detractis alis, qui fugæ destitutus præsidio, finem regni non audet excedere.' Insinuant tam Virg. quam Colum. integras alas adimendas. Non ita Plin. c. 19. tantum ait: 'Si quis alam ei detruncet, non fugiet examen.' Satis itaque est, ut summæ alæ adimantur, nam hæc est truncatio. Clarius Auctor Geopon. ex Didymo ἑστῶντος δὲ καὶ εἰσοικισαμένου τοῦ ἑσμοῦ, λαβὼν ἠρέμα, τὸν βασιλέα τῶν πτερῶν θρίξον αὐτοῦ τὰ ἄκρα· μένοντος γὰρ αὐτοῦ ἔνδον, οὐκ ἀποστήσονται: *Stante, et commorante examine, Regem leviter alis prehendito, et extrema infringito: non enim, illo intus manente, apes discedent.* Cerda.

107 *Quisquam*] Subaudi militum: aut certe quisquam de exercitu. *Servius.*

Non illis cunctantibus altum Ire iter] Hæc apum studia et mores plebem etiam imitari docet Tacitus his verbis l. I. 'Arminius turbator Germaniæ, Segestes parari rebellionem sæpe alias, et supremo convivio, post quod in arma itum, aperuit, suasitque Varo, ut se, et Arminium, et cæteros proceres vinciret, nihil ausuram plebem, principibus amotis; atque ipsi tempus fore, quo crimina et innoxios discerneret.' Eodem respicit et illud Tarquinii, papaverum capita decutientis et demetentis, commen-

tum. *Germanus.*

Altum Ire iter] Aut ludendo in altum volare, aut in bella procedere, alias non audebit. *Servius.*

Altum Ire iter] Sic *ire viam*. ut Virg. l. VI. *itque reditque viam toties*. De hac constructione consule Sanctium in Minerva sua p. 159. *Emm.*

108 *Castris vellere signa*] Nam more Rom. *Signa* in castris defixa stabant in terram; et pro re, ante Prætorium: unde, cum in hostem eundum esset, evellebantur. Vide Lips. de Mil. Rom. IV. 5. *Taubmann.*

109 *Croceis floribus horti*] Tam odoris optimi, quam coloris: non enim dicit, illic crocum solum esse debere. *Servius.*

Croceis] Ipse alibi: 'sertisque recentibus alant.' Id est, olent. *Phil.*

Invitent croceis halantes floribus horti] Id est, suavem odorem spirantes, emittentes. Noster Æn. I. 421. 'Thure calent aræ, sertisque recentibus halant.' De hoc verbo prolixius agit Nob. Heinsius, qui facile, in restituendis corruptis Poëtarum locis, primas meretur: eum vide Met. VII. 675. et Fast. I. 287. *Emmeness.*

110 *Custos furum*] Hic *custos* pro observator et prohibitor. et alibi: 'Hortorum custos cum falce saligna,' &c. *Philarg.*

Falce saligna] Facta de salice: quasi in simulachro ligneo. *Servius.*

Et custos furum, atque avium cum falce saligna] Hic describitur Priapus, qui fures vel falce, vel inguine terret, ut verbis utar Nasonis Met. XIV. 640. Non tantum *custos* dicitur, sed et *ruber*. Tibull. Eleg. I. 1. 'Pomosisque ruber custos ponatur in hortis, Terreat ut sæva falce Priapus aves.' Sic Ovid. Fast. VI. 333. 'at ruber hortorum custos.' et ita in Priapeis passim; rationem dabit Scioppius in Commentar. p. 2. quem vide, si tanti sit. His junge, quæ præmisimus ad Ecl. VII. 34. *Emmeness.*

111 *Hellespontiaci servet tutela Priapi*] Non dicit Priapum illic esse debere, sed præcipit tales esse hortos, ut mereantur deum habere custodem. Hic autem Priapus fuit de Lampsaco, civitate Hellesponti: de qua pulsus propter virilis membri magnitudinem, post in numerum deorum receptus, meruit numen esse hortorum. De hoc Horatius, 'Nam fures dextra coërcet, Obscœnoque ruber porrectus ab inguine palus: Ast importunas volucres in vertice arundo Terret fixa.' Dicitur autem præesse hortis propter eorum fœcunditatem. nam cum alia terra semel creet aliquid, horti nunquam sine fructu sunt. *Servius.*

Hellespontiaci] Quoniam in Lampsaco civitate Hellesponti nutritus est. Hunc Liberi et Veneris filium, hortis et vineis custodem datum ajunt. *Philarg.*

Hellespontiaci tutela Priapi] *Tutela*, id est, *imago*. Ovid. Fast. VI. Priapum 'Deum longi Hellesponti' appellat. Quid multa de Lampsaco, quod oppidum est κατὰ προποντίδα et Priapi patria? collegit in collectaneis, quicquid hujus loci est, Scioppius ad Priapeia. Meminerunt tanquam πόλεως ἑλλησποντίας Stephanus de urb. et Solin. c. 12. *Emmeness.*

112 *Ipse thymum*] Diligens rusticus, et cultor hortorum. *Servius.*

Pinosque ferens] Legitur et *tinos*, *est autem laurus silvestris cærulea bacca.* Philarg.

Pinosque] *Pinus* hic non arbor est, sed χαμαίπιτυς, flos delicatissimus, quem Apollodorus inter στεφανωματικὰ ponit: et Columella etiam IX. 4. inter flores recenset. Vide Scalig. in Culicem ad illud: 'et semper florida pinus.' Item P. Victor. XXV. 5. et Casaub. ad Athen. XV. 8. item Dioscorid. III. 171. Alii l. *Tinos*. *Taubmann.*

Pinosque ferens] Pro lectione Philargyrii stat Salmas. quem prolixius de *tino* et *pinu* disputantem lege Exerc. Plin. pp. 279. 280. Chamæ-

pityn dictam herbam hanc vult Victorius var. lect. xxv. 5. Qui arborem esse asserunt, eo se defendunt, quod pinus in hortis sit pulcherrima, ut Ecl. vii. cui opinioni subscribit Cerda, qui fusius refutat aliorum sententias. *Emmeness.*

114 *Manum terat*] Illustrat hoc Achil. Statius: nam Propert. 'Hasta manus atterit.' et Tibul. 'Atteruisse manus.' In quo tamen mavult legi, *attenuasse*. Nam *atteruisse* vox insolens. Et deinde Lucr. i. 'Manus attenuari' dixit; et Aristoph. apud Athen. iv. αὐλοῖς, καὶ λύραις κατατέτριμμαι. Sed hoc ad verbum *attero* pertinuit. *Cerda.*

115 *Figat humo*] Ita Horat. Serm. ii. 'Atque adfigit humo divinæ particulam auræ.' Sil. l. i. 'Adfigunt terræ' dixit. Val. Max. i. 7. 'capite infixo humo.' Ovid. Fast. ii. 'Et solida ramos pugnat humo.' *Idem.*

Inriget imbris] Id est, aquas. Juvenalis, 'In tenueis plantas facili diffunditur haustu.' *Servius.*

Inriget] *Irrigare* ergo duobus modis dicimus: ut, 'irriguo nihil est elutius horto:' et, 'irriguumque bibant violaria fontem.' *Philarg.*

Imbris] Quomodo imbres irriget, cum terra aqua irrigetur? solvitur. bene dixit, Irrigat enim, qui mittit, et cui mittit. Alibi: 'At Venus Ascanio placidam per membra quietem Inrigat.' *Idem.*

116 *Atque equidem*] Digressio, qua indicatur cultissimos quosque hortos apibus inprimis utiles esse. *Taubm.*

117 *Vela traham, et terris festinem advertere proram*] Illam allegoriam respicit, qua est usus in primo: 'Ades, et primi lege littoris oram.' Item, 'Pelagoque volans da vela patenti.' *Servius.*

Vela traham] Observa diligentiam Poëtæ, cui semel hæsit metaphoræ, huic insistit. Nam Ge. i. loquens cum Augusto, 'Da facilem cursum.' et ii. cum Mecænate, 'pelagoque volans da vela patenti.' Ergo qui totum opus Georg. navigationis imagine repræsentat, consentanee in extremo libro ait, se *vela trahere*, se jam velle proram ad littus appellere. Ovid. huic metaphoræ hæsit Trist. ii. 'Ne tamen omne meum credas opus esse remissum, Sæpe dedi nostræ grandia vela rati.' *Cerda.*

Advertere proram] Vulgus omne *appellere*. exquisitum *advertere*, et *proram* ait, nam hæc portum adspicit, puppis pelagus: tametsi postea situs mutetur. *Idem.*

118 *Pinguis hortos*] Fœcundos. *Servius.*

119 *Biferique rosaria Pæsti*] Pæstum oppidum est Calabriæ, in quo uno anno bis nascitur rosa. *Idem.*

Biferique rosaria Pæsti] Propert. 'Vidi ego odorati victura rosaria Pæsti.' *Biferum* autem more Græcorum, qui δίφορον et διφορεῖν et δικαρπεῖν dicunt, et δίκαρπος· Strabo, τινὲς δ' αὐτῶν καὶ δίκαρπον ἔχουσι τὴν γῆν. *Germanus.*

Pæsti] Pæstum oppidum, et Pæstanum sinum in Brutiis statuit Mela ii. 4. et Plin. iii. 5. Rosarum hujus oppidi magna in Auctoribus mentio. Ovid. Met. xv. 'tepidique rosaria Pæsti.' Propert. 'odorati victura rosaria Pæsti.' Claud. de nuptiis Hon. et Mar. Pæstanas rosas reginas facit. Mart. iv. 42. 'Pæstanis rubeant æmula labra rosis.' et v. 34. 'Rosarium Pæsti.' Demum abiere Pæstanæ rosæ in proverb. inde Ovid. inter impossibilia El. ii. 4. de Ponto. 'Nec Babylon æstus, nec frigora Pontus habebit, Calthaque Pæstanas vincet odore rosas. Quam tibi nostrarum veniant oblivia rerum.' Celebrat tamen Mart. violas, et ligustra Pæsti, ix. 27. Plures *Pæstus* scribunt, malui *Pestus* sequutus veterum orthographiam. *Cerda.*

120 *Quoque modo potis gauderent intuba rivis*] In Longobardico, versus ita legitur, 'Quoque modo positis

gauderent intuba fibris.' quanquam *fibris* superadditum, eadem tamen manu, et atramento non dissimili. Non. Marcellus in libro de Indiscretis generibus, hoc citato versu *Rivis* agnoscit. Hic enim loquitur de sativo. Non nescimus vero alibi dictum: 'et amaris intuba fibris.' Sed enim Priscianus, ubi *potus* per syncopam a *potatus* melius dici docet, Virgilii locum hunc citat, 'Quoque modo potis gauderent intuba fibris.' Velut illud, 'Huc ipsi potum venient per prata juvenci.' Quod vero Virgilius et Plinius *intubum* genere neutro protulere, Lucillius et Pomponius genere masculinò ponere maluerunt. Sed et illud non præteribo, codices plerosque ex antiquioribus legere *intuba* per *u*, et apud Plinium in vetustis codicibus *intubum* passim haberi: et ita dubio procul scribendum est apud Latinos; quum *intubum*, et Dioscoridis, et Galeni, et aliorum quorundam Auctorum attestatione, sit Romana dictio. Litteram vero *y*, nequaquam esse Romanam manifestum est. Verum Græcos *u* breve præsertim ex dictionibus nostris ea littera scribere instituisse: quare, qui ἴντυβον apud Græcos legerant, ut puta apud Galenum: κικώριον τὸ ῥωμαϊστὶ λεγόμενον ἴντυβα, λάχανον. Apud Dioscoridem vero ῥωμαῖοι ἴντυβον ἀγρέστεμ. Et ita apud alios: nihil animadvertentes eam Latinam esse dictionem, Græce scribere maluerunt, quam eam Romanæ scriptioni reddere. *Pierius.*

Potis] Recurre ad illud Ecl. III. 'Sat prata biberunt.' *Cerda.*

Intuba] De orthographia hujus nominis, quæque *intubi* natura sit, docui Ge. I. 120. *Emmeness.*

Rivis] Aliqui, in his Priscian. et vetus quidam liber, hic legunt *positis* [illegible]t *potis fibris*, non *rivis*; ad eum [illegible]dum, quo alibi: 'et amaris intuba [illegible]bris.' *Cerda.*

121 *Et virides apio ripæ*] Hic *ripæ* sunt ὄχθαι. nam cum hæc vox *ripas* significet, etiam certam horti partem nominat, ut opinor, coronas et ambitum et pulvinum. In ambitu autem et coronis hortorum seri solet apium. Unde Aristoph. dixit, *Eum nondum esse ἐν σελίνῳ*, id est, *apio*, qui nondum in ingressu est: ut notat Turneb. XXII. 1. Addit tamen, si quis simpliciter *ripas* audiat, diis bene juvantibus, faciat. *Taubmann.*

Tortus] Crescit enim, qua cogitur forma, plerunque et draconis intorti figura. de quo vide Plin. XIX. 5. et Commentar. in illud Dalechampii. *Idem.*

122 *Cresceret in ventrem cucumis*] In curvaturam. Ideo autem sic qui per herbam. nam rectus crescit, si pendeat. Sane *hic cucumis, hujus cucumis* declinatur; sicut *agilis*, secundum idoneos. Nam neoterici *hic cucumer, hujus cucumeris*, dixerunt; sicut *pulvis, pulveris.* Servius.

Cresceret in ventrem cucumis] Propertius ventrem dat Cucurbitæ. 'Cæruleus cucumis tumidoque cucurbita ventre.' *Germanus.*

In ventrem] Ut noster cucumeri *ventrem* tribuit, sic Colum. X. *collum.* 'Et tenero cucumis, fragilique cucurbita collo.' *Emmeness.*

Nec sera comantem Narcissum] Sero flores habentem. *Servius.*

Sera] Superius dictum est *crebro*, ultima brevi positum in Longobardico exemplari, ita etiam hoc loco *sero comantem*, tam in eo quam etiam in Mediceo codice habetur. Nam et apud Statium, 'sero memor thalami legas.' Et adverte etiam apud Servium legi debere, 'sero flores habentem.' Hoc enim ille tantum dixit, non taciturus quidem si *Sera* pro *Sero* figuratam elocutionem agnovisset. *Pierius.*

Nec sera comantem Narcissum] Sic apud Val. Flacc. Argon. I. 'Silvæ comantes.' et III. 'Jugum silvis comans.' Qualis sit flos in fab. Nar-

cisa. describit Ovid. Met. III. 511. 'Croceum pro corpore florem Inveniunt, foliis medium cingentibus albis.' *Sera* et in nonnullis *sero* legitur. quemadmodum Dausq. in Orthogr. p. 123. Duplicis Narcissi meminit Plin. XXI. 19. *purpurei* coloris, de quo et Noster Ecl. v. 38. et *herbosi*. vult etiam a *Narce*, non a fabula originem habere. Inter serotinos flores numerantur Narcissi, teste Theophrasto Hist. Plant. VI. 6. ὄψιον δὲ σφόδρα, μετὰ γὰρ ἀρκτοῦρον ἡ ἄνθησις. Huic accedit Plin. XXI. 11. et Busbeecq. epist. 1. hieme se Narcissos circa Constantinopolim vidisse, testatur. Repugnare tamen veritati videtur. Inter vernos flores (*tydeloosen*) nostrates recensent. Curioso auctor sum, legat disputationem Brodæi ad dictum locum Theophrasti. In pretio fuit antiquis hic flos propter pulchritudinem, ut discas ex Theocr. Idyll. IX. et Maronis nostri Ecl. VIII. Videsis, quæ Taubm. ad Ecl. II. 48. adstruxerit. *Emmeness.*

123 *Aut flexi*] *Flexi* pro flexibilis. *Philargyrius.*

Vimen] *Vimen* pro caule positum. *Idem.*

Flexi vimen acanthi] Fuso et sparso caule, et tortili flagello Acanthum Ægyptiam medici etiam memorant: unde et Nicand. θηρ. ἢ γὰρ ὁ δεσμοῖς βλάπτεται ἐν καμπῇσι πολυστρέπτοισιν ἀκάνθου, de Cenchrene serpente. *Germanus.*

124 *Pallentisque ederas*] Cur sine adspiratione legendum monui ad Ecl. III. 39. 'Diffusos edera vestit pallente corymbos.' Species ejus enarrant Theophr. Hist. Plant. III. 18. Dioscorides II. 171. et Plin. XVI. 34. *Emmeness.*

Amantis litora myrtos] *Myrtus* Græce μυῤῥίνη dicitur, et μύρσινος, et μυρσίνη. Eadem φιβάλεος Antiphoni et μύρτον Archilocho: unde nos *Myrtum* diximus. *Myrtus* et *Myrta* a Gallis masculino et fœminino sexu, Græcorum imitatione. Sed et *Murta* Varroni, *y* in *u* versa. Hinc *Myrtatum* et *Murtatum*, *Myrtatulum* et *Murtatulum*, genus farciminis, ab hujus arboris baccis, quæ ante piperis usum, ejus vicem præstabant. Inde nomen quoque farciminis *Mortadelle* apud imperitum vulgus mansit, et arbor ipsa *Smertella*, qua appellatione et genus muriæ intelligitur, qua maxime myrteis frondibus condita, Dalmatæ avicularum carnes inveterant. *Erythr.*

Amantis litora myrtos] Idem cecinit Ge. II. 112. 'litora myrtetis lætissima.' ideoque Veneri putatur grata. Sic Martial. Epigr. IV. 13. 'Nec plus lotos aquas, litora myrtus amat.' *Emmeness.*

125 *Œbaliæ turribus altis*] *Œbalia* ipsa est Laconia; unde de Castore et Polluce ait Statius, *Œbalidæ fratres.* Servius.

Œbaliæ] *Œbaliam* arcem Tarentinam dicit a Lacedæmonio Œbalo, longe petito *epitheto*, quia Lacedæmonii, duce Phalanto, Tarentum condiderunt. *Philarg.*

126 *Humectat*] Id est, *irrigat*, Græcorum imitatione (observavit Victor. XXVI. 7.) qui cum habeant ὑδραίνω, *irrigo*, tamen ad ὑγραίνω *humecto* etiam confugiunt. Firmat hoc loco Euripidis, qui in Prologo Helenæ Nilo, Ægyptum irriganti, dat ὑγραίνω. Quem locum, cum ab Euripide acciperet Aristophanes, pro ὑγραίνω, posuit νοτίζω, quod idem. Id ipsum verbum reperi in Strab. III. νοτίζεσθαι δ' ἀναγκαῖον ἐπικλύσαντος τοῦ κύματος: *humectari, inundante fluctu, necessarium est.* Cerda.

Galæsus] Fluvius est Calabriæ, qui juxta civitatem labitur Tarentinam, in qua se hortos optimos vidisse commemorat. Œbaliæ autem turres ait, quas condiderant hi, qui de Œbalia venerant. Nam, ut etiam in tertio Æneidos diximus, Lacones, diu bello attriti ab Atheniensibus, et inopiam

timentes virorum, præceperunt, ut virgines eorum, cum quibuscunque concumberent. quo facto, cum post victoriam juvenes, de incertis parentibus nati, erubescerent originem suam (nam et Partheniæ appellabantur) duce Phalanto, octavo ab Hercule, navigiis profecti, venerunt ad oppidum Calabriæ; quod Taras, Neptuni filius, condiderat: et id auctum habitaverunt. *Servius.*

Qua niger humectat Galæsus] Juxta Scoppam in collect. c. 8. lege *piger.* habet enim nomen ἀπὸ τοῦ γάλακτος, pannosque in eo lavant mulieres, inde Mart. Ep. II. 43. 'Te Lacedæmonio velat toga lota Galæso.' imo, *albus* dicitur, eodem teste, Ep. XII. 64. 'Albi quæ superas oves Galæsi.' Silius Ital. l. I. nominat *flavum.* Si vero *niger* retinendum videtur, eundum in sententiam Turnebi advers. IV. 14. qui *niger* idem hic significare vult, quod *altus*, *profundus*, allegans auctoritatem Homeri, qui πηγὴν μελάνυδρον sumit pro fonte, aqua abundanti; nec male Germanus pro *opaco et umbroso flumine*, ita enim de Galæso Propert. El. II. 33. 'Tu canis umbrosi subter pineta Galæsi.' Galæsus quinque millia passuum a Tarento abest, si Livio fides XXV. 11. Variis a Poëtarum natione ornatur epithetis. Supra ex Martial. *Lacedæmonius* et Ep. IV. 34. *Galæsi Phalanini*, pro quo lege *Phalantini*, a Phalanto, de quo vide notas Cl. Grævii ad Just. III. 3. Sic Stat. silv. II. 'Blanda Therapnæi placeant vineta Galæsi.' et silv. III. 'Et Lacedæmonii pecuaria culta Galæsi.' Meminit et hujus fluminis Horat. od. II. 6. 'Dulce pellitis ovibus Galæsi Flumen, et regnata petam Laconi rura Phalanto.' Scripsi per diphthongum, auctorem habens Dausqnium, qui Rom. Codicis fidem adhibet. *Emmeness.*

127 *Corycium vidisse senem*] A Cilicia: Corycos enim civitas est Ciliciæ, in qua antrum illud famosum, pene ab omnibus celebratum. Et per transitum tangit historiam, memoratam a Suetonio. Pompejus enim victis piratis Cilicibus, partim ibidem, partim in Græcia, partim in Calabria, agros donavit. Unde Lucanus, 'An melius fient piratæ, magne, coloni.' Male autem quidam *Corycium* proprium asserunt esse nomen, cum sit appellativum ejus, qui more Corycio, hortos excoluit. Quod etiam Plinii testimonio comprobatur. *Servius.*

Corycium] *Corycium*, Cilicium, a monte et civitate Ciliciæ Coryco. Alii *Corycium* non natione, sed peritia, quod hæc gens studiose hortos colat. et sic dictum est, ut *Arcades ambo.* Philarg.

Corycium] A Coryco, Ciliciæ oppido, de quo sic Stephan. περὶ πόλεων: *κώρυκος, πόλις Κιλικίας.* qui Corycium antrum ἀξιάγαστον θαῦμα nominat, et de oppido et de antro Corycio prolixius Mela I. 13. et Strabo XIV. *Emmeness.*

Vidisse senem] Ordo est, Memini vidisse. dicimus autem et *memini videre.* Terentius, *Memini videre; quo æquior sum Pamphilo, si se illam in somnis.* . . . Servius.

Relicti] Deserti atque contempti. Quis enim agrum non sperneret, nulli rei aptum, non vitibus, non frumentis vel pascuis? *Idem.*

Pauca] Præclare notat Achil. Stat. in Tibul. *pauca jugera* ab auctoribus dici, non parva: sicuti *multa jugera*: non magna conferam testimonia, nam Vatem illustrat Horat. od. III. 16. 'Silvasque jugerum Paucorum.' Ovid. Fast. III. 'Jugeraque inculti pauca tenere soli.' Mart. I. 'Culti jugera pauca soli.' Et Basil. dixit πλέθρα γῆς πέντε, καὶ πέντε. Alterius rei exempla Tibul. Eleg. I. 1. 'Et teneat culti jugera multa soli.' Sic legendum est v. non *magna.* idem El. II. 3. 'Et multa innumera jugera pascat oves.' Et III. 'Aut ubi multa

mei renovarent jugera tauri.' Ovid. de Pont. IV. 'Et teneat glacies jugera multa freti.' *Cerda.*

Cui pauca relicti] *Relictum* rus, desertum et contemptum interpretes accipiunt. Alii paternum et hereditarium interpretantur: ut Martiali, 'Res non parta labore, sed relicta:' ut item 'bona quæsita et relicta' classicis passim dicuntur, et Jurisconsultis. *Relinquere* enim et Latinis et Græcis verbum est funebre et testamentarium, ut ex Oratoribus, Historiographis et Poëtis, constat. Hom. Il. B. Ἀτρεὺς δὲ θνήσκων ἔλιπε πολύαρνι θυέστῃ, Αὐτὰρ ὁ αὖτε θυέστ' Ἀγαμέμνονι λεῖπε φορῆναι. Talem autem agrum potuit Poëta innuere, qualem Horat. 'avitus apto cum lare fundus.' Quam sententiam tutari videntur Græci, qui καταλειφθέντα κτήματα et χρήματα dicunt. Plato in Hipp. major de Anaxagora, qui consumpto patrimonio, magna tenuitate rei domesticæ decessit: τοὐναντίον ἀναξαγόρα φασὶ συμβῆναι, ἢ ὑμῖν. καταλειφθέντων γὰρ αὐτῷ πολλῶν χρημάτων, καταμελῆσαι πάντα, οὕτως αὐτὸν ἀνόητα σοφίζεσθαι. In eandem partem pro bonis a patre profectis aut delatis et Tib. IV. ubi de ruina et incommodo rei domesticæ queritur: 'Sed licet asperiora cadant, spolierque relictis, Non te deficient nostræ memorare Camœnæ.' Sic et Aristot. lib. Eth. κτήσασθαι χρήματα distinguit ab eo, quod est παραλαβεῖν, quod illud sit *quærere*, hoc ἐκ διαδοχῆς καὶ κληρονομίας λαχεῖν. Talis autem senex ab Herodoto γεωπείνης dicitur. *Germ.*

129 *Opportuna seges*] *Seges* pro terra. *Philarg.*

Opportuna seges] Cicero in Hortensio: 'ut enim segetes agricolæ subigunt aratris, multo antequam serant.' Plura Salmas. exercit. Plinian. pag. 366. *Emmeness.*

130 *Hic*] In Longobardico codice legere est *hinc*, hoc est ex paucis illis jugeribus, quæ nec pabulo, nec segeti, nec vitibus etiam opportuna. In reliquis *hic*. Pierius.

Rarum olus] Id est, panctile. *Serv.*

Rarum] Pro præcipuo et summo. *Philarg.*

131 *Premens*] Terræ infodiens. Adi Ge. II. ad illud, 'Quod superest, quæcunque premes virgulta per agros.' *Cerda.*

Vescumque papaver] Quo vescimur. Nam est aliud lethæum, quo non utimur. nam *vescas salicum frondes* aliter dictum est. *Servius.*

Vescum] *Vescum* tria significat, minutum, edule, multum. *Philarg.*

Vescumque] Sunt tamen, qui Servium errore vindicant, sumentes pro *cereali* quod Græcis ἐδώδιμον. Nonnulli scribunt per *a e*, de qua Orthographia vide Dausq. pag. 325. De significatione hujus vocis actum Ge. III. 175. 'nec vescas salicum frondes.' recenset inscriptionem Gutherius de Jure Manium I. 4. in qua *vescorum Deorum* fit mentio, quos *minutos* interpretatur, et *patellarios* juxta Plaut. in Cistel. II. 1. 45. De verbenis Ecl. VIII. 65. de papavere Ecl. II. 47. nec non de liliis 45. Ne crambe bis recocta fiat. *Emmeness.*

132 *Regum æquabat opes animis*] Bene *animis*, non potestate: quia regum more cibis non comparatis utebatur. *Servius.*

133 *Dap. inemtis*] Ita et Hor. Epod. II. de beato rustico, 'Dapes inemtas apparet,' id est, domi natas: 'non pisces urbe petitos,' ut Sat. II. 2. ait, 'sed pullo atque hœdo.' *Taubmann.*

134 *Carpere poma*] Pro *carpebat*, infinitum pro indicativo. *Philarg.*

Autumno carpere poma] Inde *autumnus pomifer*. apud Horat. od. IV. 7. eleganter Colum. X. 'Cum satur autumnus quassans sua tempora pomis.' *Emmeness.*

135 *Etiamnum*] In codicibus nonnullis, *etiamnum*, quæ dictio frequentissima apud Plinium, ex eo, quod

Græci ἔτι καὶ νῦν dicunt. in nonnullis *etiam nunc*. Pierius.

Frigore saxa Rumperet] Unus est enim, ut diximus, effectus et caloris et frigoris. *Servius.*

136 *Glacie cursus frenaret aquarum*] Mira varietas. Nam supra ait, 'Concrescunt subitæ currenti in flumine crustæ.' *Idem.*

Glacie curs. fr. aquarum] Sic Lucret. VI. 'magnum duramen aquarum, Et mora quæ fluvios passim refrenat euntes.' *Germanus.*

137 *Ille comam*] Id est, frondem et folia. Quod passim videre est in Poëtis, ut notavit Salmas. Plin. exercit. p. 581. *Emmeness.*

Tondebat acanthi] Observat Achil. Statius in omnibus vetustissimis codicibus Virgilii, hunc versum ita legi: 'Ille comam mollis jam tondebat Hyacinthi.' Et quidem simili numero, brevi (inquam) syllaba post quartum pedem producta, Virg. ipse Ecl. VI. 'Molli fultus Hyacintho.' Et Catul. 'Jam veniet virgo, jam dicetur Hymenæus.' Idem, 'Tum Thetis humanos non dispexit Hymenæos.' *Cerda.*

138 *Æstatem increpitans seram*] Tarde venientem, quum ille jam ejus carperet fructus. *Servius.*

Zephyrosque morantis] Sic et Græcus Poëta Epigr. VI. canit Eudemum templum Zephyro posuisse, ut fœcundissimo ventorum, et maturandis frugibus accommodatissimo: εὔδημος τὸν νηὸν ἀπ' ἀγροῦ τόνδ' ἀνέθηκε τῶν πάντων ἀνέμων πραοτάτῳ ζεφύρῳ, εὐξαμένῳ γάρ οἱ ἦλθε βοηθόος ὄφρα τάχιστα λικμήσῃ πεπόνων καρπὸν ἀπ' ἀσταχύων. Ut autem, *Æstatem increpitans*, eadem forma Lucr. 'At qui obitum lamentatur miser amplius æquo, Non merito inclamet magis, et voce increpet acri:' hoc est, *accersat*. Germanus.

139 *Ergo apibus fœtis idem atque examine multo*] Ne sine causa hortos descripsisse videretur. *Servius.*

Fœtis] Non sic dixit quasi patiantur, sed quasi studiose examinare parantibus. *Philarg.*

141 *Illi tiliæ atque uberrima pinus*] Illi, uberrima scilicet: nam per naturam et tiliæ et pinus steriles esse dicuntur. *Servius.*

Illi tiliæ] Subaudiendum abundare. Ipsius autem manu duplex fuit scriptura, *tinus, et pinus uberrima*, hic pro plurima. fructum enim tinus nullum fert, sed multa semina facit. *Philarg.*

142 *Flore novo*] Lucr. I. 'Juvatque novos decerpere flores.' *Cerda.*

143 *Induerat*] Adi illud Ge. I. 'Cum se nux plurima silvis Induet in florem.' *Idem.*

144 *Seras*] Majores: quod nimiæ difficultatis est. *Servius.*

In versum] In ordinem. ut, 'Triplici pubes quam Dardana versu Impellunt.' *Idem.*

In versum] Id est, in ordinem, Græcorum imitatione, qui στίχον quoque ad arbores traducunt. Xenophon. Œcon. ἐπεὶ δὲ ἐθαύμαζεν αὐτὸν ὁ Λύσανδρος ὡς καλὰ μὲν τὰ δένδρα εἴη, δι' ἴσου δὲ τὰ πεφυτευμένα. Quæ sic vertit Cic. *Cum autem admiraretur Lysander, et proceritates arborum, et directos in quincuncem ordines.* Ubi στίχους Græci, id est, *versus* reddidit, *ordines*. Plin. etiam XVII. 11. 'In disponendis arboribus, arbustisque ac vineis, quincuntialis ordinum ratio vulgata et necessaria, non perflatu modo utilis, verum et aspectu grata, quocunque modo intueare, in ordinem se porrigente versu.' Quæ verba invitant me, ut in Virg. per *versus* ulmorum intelligam *quincuncem*. Cerda.

Distulit] Transtulit. Nam mutavit præpositionem. *Servius.*

Distulit] In diversum locum tulit, quasi disposuit et *seras*, hic, vetulas et magnas. Sallustius in XII. 'serum bellum in angustiis fore,' pro magnum. *Philarg.*

145 *Eduram*] Nimium duram, validam. *Servius.*

Eduram] E præpositio adimit signi-

fications, et adjicit. Hic ergo *edurum*, nimium duram, &c. *Philarg*.

Eduram] Ait Gifan. præpositionem, *e*, augere hic significationem, imitatione Græci sermonis, qui, ἔκπλεως, ἐξέρυθρος, &c. Ita etiam Ovid. 'Nec tamen edure, quod petit illa, nega.' Similes huic aliæ voces, *eximius*, *exaugeo*, *exalbidus*: sed et *escendo* apud Varronem, et Sallustium in Jugurth. et *ecelsus* apud Prudent. contra Sym. II. 'Cum super ecelso pugnarent Numina saxo.' Sic enim contendit legendum in his locis Gifan. non *excelso*, non *ascendo*. Cerda.

Et spinos jam pruna ferentis] Prunorum arbor vocatur *spinus*, genere masculino. Nam sentes, has *spinas* dicimus. *Servius*.

Spinos] Salmas. Plin. exerc. p. 525. tale discrimen observatum in Græcis docet, inter ἄκανθον et ἄκανθαν. Ἄκανθος arbor est, spinosa ferens pruna, ἄκανθα quælibet spina. *Emmeness*.

146 *Jamque ministrantem platanum potantibus umbram*] Veteres omnes codices *umbras* habent, numero multitudinis, forte ut spaciosius aliquid ostendat, quod memoria proditum, plures olim turmas sub una platano condi solitas. de hac autem Varro, 'Jucunda ejus umbra haud alia lætius operiente toros.' *Plinius*, 'Platanus arbor nulli rei, nisi umbræ utilis.' *Pierius*.

Jamque ministrantem platanum potantibus umbras] In quibus terris πλάτανος βαθύφυλλος inveniatur, exserit Theophr. Hist. Plant. IV. 7. Multa, quæ huc faciunt, memoriæ prodidit Plinius XII. 1. propter umbram convivantes et potantes hanc arborem *genialem*, ut cum Ovid. Met. X. 95. adamarunt mirifice. imo et literati, inde Juvenal. Sat. I. 'Frontonis platani.' quam ideo Theocr. Idyll. XVIII. σκιερὰν et Nicand. in Theriac. θερειλεχέα nominat. Et quia præter umbram nihil habet, quo se commendat, a Poëtis *cælebs platanus*. Horat. od. II. 15. pro quo noster II. 70. *sterilis*, et Mart. epigr. III. 58. *vidua*. Eam tamen, quippe voluptati inservientem, usufructuarius dejicere prohibebatur, ut videre est in l. *Si cujus rei*. Xerxis stultitiam quis non videt? de ea Ælian. II. 14. δεδούλωτο πλατάνῳ, &c. Quod infuso mero hoc genus arboris enutriatur, crediderunt veteres. Unde Mart. Ep. IX. 62. 'Crevit et effuso lætior umbra mero.' et Macrob. Saturn. II. 9. de Hortensio. *Emmeness*.

147 *Spatiis iniquis*] Angustis, ut, 'Spatioque subit Sergestus iniquo.' Et dicit se carminis brevitate constrictum, hortos plenius non posse describere. *Servius*.

Exclusus] Veteres omnes codices *exclusus* habent, non *disclusus*. quod et Columellæ parodia confirmatur. *discludere* enim aliud significat. *Pierius*.

Spatiis exclusus iniquis] Ideo Columella in eleganti de cultu hortorum libello X. 'Hortorum quoque te cultus, Silvine, docebo, Atque ea, quæ quondam spatiis exclusus iniquis, Cum caneret lætas segetes, et munera Bacchi, Et te, magna Pales, nec non cœlestia mella, Virgilius nobis post se memoranda reliquit.' *Excludi tempore*, vel *temporis spatiis*, Latinissima locutio, quam conquisitis exemplis adstruit Hadr. Card. in aureo libello de serm. Lat. Quod etiam in Marone desideramus de delicatis hortis, id carmine pervenusto et metro tanquam Virgiliano descriptum debemus Ren. Rapino. *Emmeness*.

148 *Aliis*] Gargalium Martialem significat. *Servius*.

Post me memoranda] In codicibus aliquot legas, *Post hæc memoranda*. Sed *commemoranda*, Longobardicus, et aliquot alii codices habent. Sunt qui *post me memoranda* legant. ut in Mediceo codice habetur: quam lectionem videtur agnovisse Columella. *Pierius*.

149. *Naturas apibus quas Jupiter*

ipse Addidit] *Naturas* pro moribus posuit. *Addidit* autem, aut dedit: aut revera addidit. Necesse enim est, eas etiam ante habuisse mores aliquos proprios. *Servius.*

Nunc age naturas apibus] *De moribus et ingenio Apum.* Quod ne quis nimium miretur, addit Jovis id peculiare donum, aut mercedem potius esse, ut cujus nutrices in specu Dictæo extiterint, ut ait Colum. IX. 2. *Taubmann.*

Juppiter] Ab Iove, ut vides, rem apum exornat Poëta: attingitque originem mellis, indicans tum primum incepta mella fieri ab apibus, cum invitatæ crepitibus cymbalorum confluxerunt in os Jovis. Sed turbata omnia in fabulis. Ovid. Fast. III. rem istam ad Bacchum detorquet. Itaque origo prima mellis fuit crepitus cymbalorum auditus, vel in Creta a Curetibus Jovis comitibus, vel in Thracia a bacchantibus in comitatu Bacchi. *Cerda.*

150 *Pro qua mercede canoros*] Ordo est, *Expediam naturas apum: quæ canoros Curetum sonitus crepitantiaque æra secutæ, Dictæo cœli regem pavere sub antro.* Servius.

Pro qua mercede] Id est, gratia vel labore. *Idem.*

151 *Curetum sonitus*] *Curetes*, qui Cretæ primi incolæ, nato Jove, saltatione armata et tinnitu cymbalorum insonuerunt, ne vagitus infantis posset a Saturno exaudiri. Quem quidem sonum apes secutæ Jovem nutricarunt. Lucret. 'Dictæos referunt Curetas, qui Jovis illum Vagitum in Creta quondam occultasse feruntur: Ne Saturnus eum malis mandaret adeptus,' &c. Vide Strabon. X. et alios. Fabulam *de Saturno filios devorante* explicat Cic. de Nat. D. II. *Taubmann.*

Curetum sonitus] Iis datus est alendus Juppiter, quam fabulam luculentius nemo, quam Hyginus fab. 132. et Apollod. I. bibl. expediunt. *γεννᾷ δὲ ἐν ἄντρῳ τῆς δίκτης Δία, καὶ τοῦτον μὲν δίδωσι τρέφεσθαι κούρησί τε καὶ ταῖς μελισσέων παισὶ Νύμφαις*, &c. et paulo post, *οἱ δὲ κούρητες ἔνοπλοι ἐν τῷ ἄντρῳ τὸ βρέφος φυλάσσοντες, τοῖς δόρασι τὰς ἀσπίδας συνέκρουον, ἵνα μὴ τῆς τοῦ παιδὸς φωνῆς ὁ κρόνος ἀκούσῃ.* de his Stat. Thebaid. IV. 792. 'Qualis Berecynthia mater Dum circa parvum jubet exultare tonantem Curetas trepidos. illi certantia plaudunt Orgia, sed magnis resonat vagitibus Ida.' *Emmeness.*

152 *Dictæo*] Sed et hoc poëticum est. *Philarg.*

Dictæo] Pro eo Juvenal. Sat. XIII. 41. 'Et privatus adhuc Idæis Juppiter antris.' Mela II. 7. 'Inter colles, quod ibi nutritum Jovem accepimus, fama Idæ montis excellit.' Ex Strabone quantum distet mons *Dicte* ab *Ida* discere est, qui X. in urbe Prato testatur fuisse *ἱερὸν τοῦ Δικταίου Διός.* Colum. IX. 12. *mox Dictæo specu, &c.* Recte igitur Phylargyrius hoc Poëticum esse docet. Sic tota insula a Dionys. Afro *Διὸς μεγάλοιο τιθήνη* appellatur. *Emmeness.*

153 *Solæ communis gnatos, consortia tecta Urbis habent*] Nam, ut etiam Donatus dicit, tragicum est, et ultra carmen Georgicum si accipiamus, pro qua mercede, exclamationem esse: ut sit, pro quanta hoc mercede fecerunt? scilicet ut Jovem alerent: quem Ops, Saturni uxor, Curetibus, Coribantibus, et Idæis Dactylis custodiendum dedit, in monte Cretæ Dictæo, ne eum Saturnus consumeret, ut filios omnes solebat. Quod ideo fingitur, quia Saturnus, ut diximus, temporum deus est, quæ in se revolvuntur in æternum. Tunc itaque apes æris secutæ sonum, Jovem melle aluisse dicuntur: pro qua re eis postea præstitit Juppiter, ut haberent liberos sine ullo concubitu. *Servius.*

Solæ communis gnatos] Plato in libris quos *περὶ πολιτείας* scripsit, dicit

amori reipublicæ esse nihil præponendum. Omnes præterea et uxores et liberos, ita nos tanquam communes habere debere: ut charitas sit, non libido confusa. Quod præceptum dicit nullum præter apes servare potuisse. *Idem.*

Communis] Hanc communem apum vitam et societatem celebrat Arist. Hist. l. IX. Qui non legerit c. 40. lib. illius, satis disciplinam hanc deprehendet ex migrationibus apum, ex coloniis, ex reliqua administratione civili. Plin. XI. 5. 'Nihil novere, nisi commune.' et 10. 'Neque enim separatim vescuntur, ne inæqualitas operis et cibi fiat, et temporis.' *Cerda.*

Consortia t.] Communes domos: in quibus non auditur *Meum et Tuum.* Taubmann.

154 *Magnis legibus*] Id est, æternis, nunquam mutabilibus. Iisdem enim legibus semper utuntur: nec eas, ut homines, sæpe commutant. *Servius.*

Agitant ævum] Ita Græci βίον ἄγειν. et Lucian. τὰς ἀλκυονίδας ἡμέρας ἄγειν: *agere dies Halcyonios.* Et Thucyd. V. ἄγοντες τὴν ἡμέραν ταύτην. Monuit German. Sed Virgilius proculdubio Ennio adhæsit, qui Annal. IX. 'Qui tum vivebant homines atque ævum agitabant.' *Cerda.*

155 *Et patriam solæ*] In codicibus aliquot legere est, *A patriam solæ.* Non enim *a* semper dolentis interjectio, sed admirationem interdum significat. Scribi vero *a* sine adspiratione ex Probo alibi notatum. In Longobardico, non est *et*, secundo loco. Legitur vero *et patriam solæ certos no. Pe.* Sed enim qui dictionem *et* hinc auferunt, venustatem etiam omnem a versu auferunt. *Pierius.*

Novere penatis] Charissima habent. ut, 'Hic inter flumina nota,' id est, chara. *Servius.*

157 *In medium quæsita reponunt*] Quæsita et parta in commune conservant. Ipse alibi, *In medium quærebant.* Idem.

In medium reponunt] Arist. Hist. IX. 40. αἱ δὲ μέλισσαι θηρεύουσι μὲν οὐδὲν, αὐταὶ δὲ ποιοῦνται, καὶ ἀποτίθενται: *apes nihil venantur, sed ipsæ sibi cibaria conficiunt et recondunt.* Lege Lactantium lib. de ira Dei c. 7. Phrasis ipsa dicta prius Aristophani ἐν ἐκκλ. ἐς τὸ μέσον καταθήσει. Lege, quæ jam dedi Georg. I. ad illud: 'in medium quærebant.' Sed quod hoc penus apum, qui cibus? non solum mel, ut putant aliqui. Audi Arist. Hist. IX. 40. 'Mel apibus tum æstate, tum hieme cibo est: sed recondunt alterum quoque cibarii genus, cui durities ceræ proxima, sandaracum nonnulli appellant.' Supra quoque illis pro cibo, præter mel, assignavit κήρινθον, quod Gaza *ceraginem* interpretatur. *Cerda.*

158 *Victu*] Victui. *Servius.*

Victu] Id est, victui. ut, *victui invigilant pueri.* Philarg.

Victu] Sic Lucil. 'Epulas victû præponit honesto.' *venatu* invigilant, Ter. 'Vestitu indulges.' et noster 'concubitu indulgent.' sexcenta alia, quæ passim occurrunt. *Emmeness.*

Namque aliæ victu invigilant] Victum provident. De distinctis autem apum officiis Aristot. Hist. animal. IX. 40. et Plinius XI. 10. Jam *victu,* pro *victui:* quod noster in talibus semper solet. Alii (in quibus et Cæsar) dicunt regularem esse Dativum: quod obliqui casus numero unitatis non debeant esse majores nominativo plurali. *Taubmann.*

Fædere pacto] Ut vicissim in alvearibus, vel in agris laborent. *Servius.*

Fædere pacto] Phrases Virgilianæ idem efferentes istæ sunt. Hic *fædus pacisci.* In Æn. X. *conjungi fædere, fædus componere, fædus ferire.* In XII. *firmari fædere, fædus concipere.* Cerda.

160 *Narcissi lacrimam*] Narcissi humorem. Quod autem ait *Narcissi lacrimam,* allusit ad fabulam: quia, ut diximus, de puero est conversus in florem. *Servius.*

Narcissi lacrimam] Pulcre allusum ad fabulam Narcissi, qui mœrore et lacrimis contabuit. Sed et Arist. Hist. v. 22. et IX. 40. *Materiam ceræ ferunt ἐκ δακρύου τῶν δένδρων: ex lacrimis arborum.* Didimus ἀπὸ δὲ *τῶν ἀνθέων καὶ τῶν δένδρων τὰ κολλωδέστερα τῶν δακρύων φέρουσαι, ferentes lacrimas glutinosissimas a floribus, et arboribus.* Cerda.

Lentum gluten] In codicibus aliquot antiquis, et præsertim in Longobardico *lectum* legitur, non *lentum*. Plurimarum enim arborum cortices gluten exsudant, ut resinam et succinum, quibus utuntur apes, in opere suo construendo ad firmitatem. Sed, et *lentum* placet quod proprium est *glutinis* epitheton. *Pierius.*

161 *Prima favis ponunt fundamina*] Græce πρόπυλον locant, duriore cera, quæ vix ferro potest frangi; quam colligunt de gummi arborum, et rasis lapidibus. unde paulo post dicit, 'Sæpe etiam duris errando in cotibus alas Attrivere.' *Servius.*

Favis] Κυττάρια, vocat Aristot. IV. 4. de Generat. Animal. Sciat lector *favum* non semper dici cellulas cum melle, sed tantum cellulas ipsas sexangulas, melle vacuas: et hoc loco sic accipio: dividit enim Poëta apum opera, et postea mel infert: igitur hic pro loculis nudis accipit. Vitruv. VII. 1. ubi de musaico opere scribit: 'nulli gradus in scutulis, aut trigonis, aut quadratis, ceu favis exstent.' Ubi *favos* vocat *hexagona*, quia cellæ apum sexangulæ. Est ergo *favus* tantum forma illa cellularum. Hos, ut dixi sexangulos esse, certum est. Didym. *θήκας ἑξαγώνους ποιεῖ, facit cellas sexangulas.* Ideo Ovid. Met. XV. 'cera sexangula.' Eadem Ælian. v. 13. Basil. ὁμ. 8. ἑξ. ἑξάγωνοι γὰρ πᾶσαι καὶ *ἰσόπλευροι τῶν κηρίνων αἱ σύριγγες, favorum fistulæ omnes sexangulæ sunt æquis lateribus.* Ratio hujus formæ ex Varr. 'Favus est, quem fingunt multicavatum e cera, tum singula cava sena latera habeant, quot singulis pedes dedit natura.' *Cerda.*

Fundamina] Intelligit commosin, pissoceron, propolin. De quibus lege Plin. XI. 7. Attingit etiam Arist. et Varr. *Idem.*

Ponunt] Sic Hesiod. Theog. 597. *Τιθεῖσί τε κηρία λευκά. ponunt favos albos.* Emmeness.

Tenacis ceras] Mella retinentes. *Servius.*

162 *Adultos Educunt fœtus*] Educendo adultos faciunt. *Idem.*

164 *Cellas*] De variis cellarum significatibus lege Lips. Satur. I. 14. Sententiam ita variat Valer. Arg. I. 'dum plenas nectare cellas Pandit.' Mihi visum, sumtam metaphoram a cellis servilibus, quarum meminit Valerius Maximus VII. 6. Nam et angustiæ favorum congruunt cum angustiis custodiis servorum, et operosum animal recte conferetur cum laborioso hominum genere. *Cerda.*

165 *Ad portas*] Plin. XI. 10. 'interdiu statio ad portas more castrorum.' Ante utrumque Aristot. ἐπὶ τε γὰρ εἰσόδῳ ἑκάστῃ φύλακές εἰσιν. *Sunt enim in quolibet aditu custodes.* Dissident a Plinio Ælianus in ratione temporis, sic enim ait I. 11. 'Aliæ vero ex his nocte excubant, substructiones non secus, ac parvam urbem vigiliis asservantes.' Mos hic traductus ex militia, neque enim in castris solum excubiæ erant et vigiliæ, sed in portis etiam. Cæsar Gall. VIII. 'hi, qui pro portis in statione erant.' Sallust. Jugurthino: 'Neque secus, atque si hostes adessent, iter facere, castra munire, excubitum in portas, cohortes ex legionibus, pro castris equites auxiliarios mittere.' *Idem.*

Cecidit custodia sorti] Ex sorte. Nam adverbium est, quod traxit a militia. Legimus enim, 'Partibus æquabat justis, aut sorte trahebat.' *Servius.*

Sorti] Dictum pro *sorte*, more an-

tique, ut etiam ruri, vesperi, et in Varr. segeti, pro rure, vespere, segete. Sed roget aliquis, cur Poëta in excubiis apum sortitionem adhibeat? Nam non dubium, quin alludat ad militares excubias: in quibus nulla sortitio, tantum vicissitudo quædam. Clare Liv. l. xxviii. 'in vigilias ac stationes ordine ibant,' ubi ordinem audis, non sortem. Statius l. x. 'dat tessera signum, Excubiis positæque vices.' Et Maro ipse Æn. ix. 'Omnis per murum legio sortita periclum Excubat exercetque vices.' Hæc testimonia clare indicant, auctores omnes, qui in excubiis inferunt sortem, capiendos de ordine, quo quisque in excubias custodiasque succedebat. Itaque per sortem intelligunt ordinem, et vicissitudinem; nihil aliud. Ideo statim Virg. 'Inque vicem speculantur aquas.' et Varr. loquens de apibus: 'omnes ut in exercitu vivunt, atque alternis dormiunt.' Perinde ac si diceret, atque alternis vigilant, quæ clara est vicissitudo. et Ælian. de Regibus apum v. 11. 'Mutationem operarum, et vicissitudinem munerum faciunt.' *Cerda.*

Sorti] Sic Sil. Ital. l. vii. 'Quis tum cecidit custodia sorti?' Disputat Cerda, et erroris insimulat Maronem, vicissitudinem, non sortitionem in excubiis habuisse locum arbitratus. De nonnullis verum est: ad prætorium unus semper manipulus per vices excubabat. ad Scamnum Tribunorum certæ semper ex illis manipulis vigiliæ, quibus ea sors obvenerat. Adi hanc controversiam illustrantem et dirimentem Nobiliss. Sceelium ad Polyb. castra p. 195. partim igitur sorte partim vicissitudine, quod ex nostro Æn. i. 411. 'operumque laborem Partibus æquabant justis, aut sorte trahebant.' et ix. 174. 'Omnis per muros legio sortita periclum Excubat, exercetque vices, quod cuique tuendum,' &c. Sed de his distinctius et accuratius Lips. de Mil. Rom. v. 9. *Emmeness.*

166 *Inque vicem*] Divisit; nam ordo est, invicemque: et *aquas*, hic pluvias. *Philarg.*

Aquas] Locus traductus ex Arist. προγινώσκουσι δὲ καὶ χειμῶνας καὶ ὕδωρ αἱ μέλιτται: *Præsagiunt apes hiemem et imbres.* Addit Aristoteles indicium hoc: *quod non avolant, sed sereno adhuc in alveo volutantur, inde Apiarii hiemem exspectant.* Poëta inf. 'Nec vero a stabulis pluvia impendente recedunt Longius, aut credunt cœlo, adventantibus Euris,' &c. Ælianus i. 12. 'Eædem tanta divinatione præstant, ut et pluvias et frigora præsentiant.' *Cerda.*

Aquas] Pluvias. Plinius: 'prædivinant apes ventos imbresque; et tunc se continent tectis.' *Taubmann.*

167 *Aut onera accipiunt venientum*] Plin. c. 10. hanc apum disciplinam attingit: 'Excipiunt eas ternæ, aut quaternæ, atque exonerant.' Versus isti tres, aut quatuor repetuntur Æn. i. *Cerda.*

168 *Ignavum*] Sumsit epithetum ab Arist. qui fucum vocat ἄκεντρον, καὶ νωθρόν: *sine aculeo, ignavum.* Democrit. apud Auctorem Geopon. xiii. de fucis, εἰσὶ δὲ μεγάλοι, καὶ ἄκεντροι καὶ ἀργοί: *sunt magni, sine aculeo, segnes.* Plat. Politic. l. viii. κηφῆνας πάντος ἀκέντρους ὁ θεὸς πεποίηκε: et Leg. x. ex Hesiodo κηφῆσι κοθούροισι, ignavis, quia sine armis. Aliam caussam horum ignaviæ potes elicere ex Hes. in Theo. Nam cum præmiserit apes semper laborare, de fucis ait: Οἱ δ' ἔντοσθε μένοντες ἐπιστρεφέας κατὰ σίμβλους Ἀλλότριον κάματον σφετέρην ἐς γαστέρ' ἀμῶνται. Arist. docet: *Vesci tum eos, tum eorum pullos melle, quod apes fecerint.* Attingit Vates hic inimicitias apum cum fucis. Has omnes celebrant Arist. c. 40. *Fucos ἀποκτείνουσιν, interimunt, quando non satis loci operibus est.* In eodem c. infert,

θνήσκουσιν, deprehensi a bonis apibus occiduntur. Plin. c. 11. ‘tardantes *(fucos)* sine clementia puniunt.’ Indicat mortem clare c. 17. ‘certum est ab apibus fucos interfici.’ Interdum contentæ sunt expellere a se, quod hic ait Poëta, et Varro, ‘insectantes a se ejiciunt fucos.’ Theodor. ‘fucos a præsepibus arcent, ceu ignavum pecus.’ Paria Ambrosius. Sed lege I. 10. Æliani, ubi miram apum disciplinam videas in puniendis primo leniter fucis ob furtum mellis: mox autem, cum clementia non succedit, interficiendis. *Idem.*

Fucos] *Fucus* est similis apibus, eo quod sit apibus nocens, quod cum ipse nihil gignat, aliena consumit. Plin. in lib. Hist. natur. quasi imperfectas apes dicit, et habere aculeum negat. *Philarg.*

Pecus] *Pecus* vetuste, quia omnia animalia *pecora* dicebant. *Idem.*

Ignavum fucos pecus a præsepibus arcent] Κηφῆνας ἀχρήστους ex Xenophonte fucos appellat Vict. var. lect. XXXVII. 18. recte *ignavum pecus.* sic enim de *fucis* Procop. de bell. Goth. II. *οὐ δίκαιον τοὺς κηφῆνας ὑφ' ἑτέρῳ πόνῳ μεγάλῳ ἀπολαύεσθαι, ἄλλους δὲ τοῦ μέλιτος οὐδεμίᾳ ταλαιπορίᾳ ὀνίνασθαι.* Inertiam fucorum in vindicandis favis et industriam apum cognoscet diligens lector ex Phædr. fab. III. 14. Merito igitur hos *arcent* apes, id est, avertunt, id enim Græcum ἀρκέω, ut Germanus hoc docet ex Homero. de arcendis fucis locus insignis apud Colum. IX. 15. *Præsepia* dicuntur non tantum in jumentorum usus facta, sed quævis sic appellantur *loca clausa et tuta.* Vide Non. Marc. c. 1. *Emmen.*

169 *Fervet opus*] Juxta declinationem sæpe dictam, *fervo fervis fervit.* Hinc est, *fervere Leucatem.* Philarg.

Fervet opus] Ad gustum hunc Plin. de delphinib. IX. 8. ‘opere prælium fervet.’ Poëta ipse: ‘opere omnis semita fervet.’ Calab. II. *μέγα κίνυτο ἔργον: admodum fervebat opus.* Cerda.

Redolentque thymo] Latina est locutio, non barbara, ut quidam inepte putant. Ita Propert. ‘Cur nardo flammæ non oluere meæ.’ Ovid. ‘Perque lucos sacros, et olentia sulphure fertur.’ Verum est, frequentius dici, olere unguentum, thymum, nardum. *Idem.*

Redolentque thymo fragrantia mella] Diomedes hæc verba ita ordinat: ‘redolentque mella fragrantia thymo.’ ne dicatur, *redolent thymo:* quod *thymum* dicendum censet. Quare et Nasonem vitiose scripsisse notat, ‘Perque locos sacros, et olentia sulphure fertur.’ Legitur quidem et in Propert. el. IV. 7. ‘Cur nardo flammæ non oluere meæ.’ Sed hoc Lipsius Var. II. 12. e vetere scriptura, quæ fuerit *nardom* pro *nardum,* depravatum putat. *Taubmannus.*

Fragrantia] Id est, redolentia, aut *thyma fragrantia.* Philarg.

Fragrantia] In Longobardico, *flagrantia* scriptum est, quod non probatur, ex Grammaticorum distinctione. *Pierius.*

170 *Ac veluti*] Particula *ac* præposito adverbio similitudinis *veluti,* perbelle parabolis et comparationibus accommodatur: atque in eo multus est noster. V. N. Æn. X. *Ac velut ille c.* Hæc autem comparatio ad festinationem solam pertinet. *Taubmann.*

Ac veluti, lentis Cyclopes fulmina] Comparatio ad festinationem pertinens solam. *Servius.*

Lentis massis] Allusum ad materiam fulminis, quæ exhalatio est terrestris, lenta et viscosa. *Taubmann.*

Fulmina] *Fulmina properant,* vetuste ait; ut Plautus, ‘Properant prandium.’ et Ennius: ‘Festinant diem.’ *Philarg.*

171 *Properant*] Id est, propere cudunt. Active in Sanctii Minerva III. p. 182. inter falso neutra numeratur.

Ibidem habes exemplorum congeriem, tam ex aliis, quam præcipue ex Marone nostro. sic Græce γάμον σπεύδειν, quod observatum a Germano. *Emmeness.*

Cum properant, alii taurinis follibus auras] In Longobardico totum hoc desideratur, *alii taurinis follibus auras.* quæ lectio nimis detruncata esset. *Pierius.*

Taurinis follibus] Plautus: 'Quam folles taurini habent, cum liquescunt petræ ferrum ubi fit.' *Philarg.*

173 *Ætna*] In Longobardico, in Mediceo, et aliquot aliis codicibus antiquissimis non *Ætna*, sed *antrum* habetur. *Pierius.*

175 *In numerum*] In ordinem. *Serv.*

In numerum] Callimachus de ipsis Cyclopibus in hym. Dianæ: σίδηρον ἀμβολαδὶς τετύποντες· ubi interpres ἐκ διαδοχῆς. Hi autem versus sunt illis Callimachi conferendi. Supra: 'in numerum Faunosque ferasque videres Ludere.' *Germanus.*

In numerum] Ordine. Contrarium, *extra numerum*, inepte; de qua locutione Lambinus prolixius ad Hor. Epist. I. 2. 'Quamvis nil extra numerum fecisse, modumque curas.' desumta similitudine a saltatoribus. Sed de his fusius disputatum Ecl. VI. 37. *Emmeness.*

Forcipe] Compositum nomen ex formo et capio. *Formum* enim veteres calidum dixerunt. *Philarg.*

Forcipe] Fabrorum instrumentum est, de quo Isiod. XX. 13. a *formum capiendo. formum*, vel *fornum* ut Non. Marc. c. 13. teste Cassiod. de orthogr. IV. veteres dixerunt *calidum.* alias origines repudiat Charis. Gramm. l. I. *Emmeness.*

176 *Si parva licet componere magnis*] Herodotus quoque Histor. l. II. ita dixit, ὡς εἶναι σμικρὰ ταῦτα μεγάλοισι συμβαλέειν. Ita etiam Ecl. I. 'sic parvis componere magna solebam.' Ovid. Trist. I. 3. si non verba, certe sententiam hinc sumsit: 'Si licet exemplis in parvo grandibus uti, Hæc facies Trojæ, cum caperetur, erat.' Sententiam et verba alter Plin. epist. V. 'ut parva magnis conferamus,' &c. Ad gustum hunc Pap. Silv. III. 'si fas est æquare jacentia summis.' *Cerda.*

177 *Cecropias*] Id est, Athenienses, a Cecrope rege Atticæ, ubi optima mella nascuntur. *Servius.*

Cecropias] *Cecropias* hic Atticas, quia Cecrops in Attica regnavit. *Phil.*

Cecropias] Atticas ab Cecrope rege Athenarum. Diophanes in Geopon. l. XV. ἄριστον μέλι τὸ ἀττικὸν, καὶ τοῦ ἀττικοῦ τὸ ὑμήττειον: *optimum mel Atticum, et Attici Hymettion.* Dio Chrys. Orat. 32. de melle Attico. καθαρωτάτου: *purissimi.* Sil. l. XIV. ut mel Siculum hyperbolice amplificaret, dixit, 'Tum quæ nectareis vocat ad certamen Hymetton Audax Hybla favis:' Idem l. II. celebrat examina Cecropii Hymetti. Ideo Val. Arg. I. vocat Hymetton *dulcem*, et Pap. Th. XII. 'olentis Hymetti,' et Ovid. Trist. V. 4. hoc mel, non aliud, proverbialiter usurpat, 'O dulcior illo Melle, quod in ceris Attica ponit apis.' Mart. l. XIII. hoc mel vocat *nectar nobile*, cum ait, 'Hoc tibi Thesei populatrix mittit Hymetti Pallados a silvis nobile nectar apis.' *Cerda.*

Innatus] Insitus. *Servius.*

Innatus] Id est, insitus. Ideo autem Athenienses, quod illic mel optimum gignitur. *Philarg.*

Urget] Premit. *Servius.*

Amor urget habendi] Comparatio eo pertinet, ut videas apes esse laboriosissimas, et nulli labori parcere præ retinendo melle. Ideo Poëta, 'amor urget habendi.' Plin. c. 6. 'Nullusque, cum per cœlum licuit, otio perit dies.' Theodot. dixit, 'laboriosissimum apum genus.' et Ælian. ζῶον φιλεργότατον: *animal operosissimum.* Hunc laborem et studium explicat comparatio ista Claud. Rap. II. 'Credas examina fundi Hyblæum raptura

thymum, cum cerea reges Castra movent, fagique cavi demissus ab alvo Mellifer electis exercitus obstrepit herbis.' Vis scire quo amore habendi urgeantur? Audi Papinium Theb. x. qui ubi præmisit, apes uti aculeis in furem; cum jam vident, nihil sic proficere, sed obstinatum esse raptoris animum, tunc, 'Deficientibus alis Amplexæ, flavamque domum, captivaque plangunt Mella, laboratasque premunt ad pectora ceras.' Nihil dici majus potuit ad rem istam explicandam. *Cerda.*

178 *Quamque suo*] Recte, ut labore suo quærant, non aliena diripiant. *Philarg.*

Grandævis oppida curæ] Sicut senes muros tuentur, nec in bella prorumpunt. *Servius.*

Grandævis] De hoc apum more, quo seniores intus, juniores foris operantur, ita Arist. Hist. An. l. IX. τῶν δὲ μελιττῶν αἱ μὲν πρεσβύτεραι τὰ εἴσω ἐργάζονται, καὶ δασεῖαί εἰσι διὰ τὸ εἴσω μένειν. αἱ δὲ νέαι ἔξωθεν φέρουσι, καὶ εἰσι λειότεραι. Plin. XI. 10. 'Quibus est earum adolescentia ad opera exeunt, et supradicta convehunt, seniores intus operantur.' Ælianus v. 11. 'Provecta ætate ad id delectæ sunt, ut domo se teneant.' et I. 12. 'Vetulæ aspectu et tactu horridulæ evadunt, atque ex ætate affecta rugis plenæ videntur: ea tamen fingendorum favorum experientia et industria præcellentiores sunt et longitudine nimirum temporis ad mellis scientiam eruditæ.' et cap. 11. ejusdem libri dixerat: 'Earum quædam aquam Regi et apibus vetulis apportant, nam seniores apud Regem ad ejus stipationem selectæ permanent.' *Cerd.*

179 *Munire favos*] Arist. de hoc munimine: 'Erigunt apes favos ruentes, fulturamque subjiciunt, ut subire possint.' Plin. 'Ruentes ceras fulciunt, pilarum intergerrinis a solo fornicatis.' Lactantius III. 10. de apibus loquens: 'castra muniunt.' De cellulis Regum signanter Ælian. I. c. extremo: 'Regum cellas eminentiore loco magna laxitate amplas ædificant, easque sepimento, tanquam muro quodam, ad majestatem regiam tuendam circumvallant.' *Idem.*

Dædala tecta] Ingeniosa. ut, 'Dædala Circe.' *Servius.*

Dædala tecta] Quicquid natum ab ingenioso illo artifice Dædalo (cujus fabulam enarrat Ovid. VIII. 184. et seqq. Hygin. fab. 39. Serv. Æn. VI. 14.) *Dædaleum* et *Dædalum* appellatur, sæpe idem, quod *ingeniosum* aut *artificiosum*, *varium*, Græce δαίδαλον et δαιδάλεον. Festum testem habes, et Lucretium l. I. 'Dædala tellus.' l. II. 'Dædala carmina.' l. IV. 'Dædala lingua.' l. v. 'natura Dædala.' Meminit Hesiod. σάκεος δαιδαλέοιο, id est, scuti affabre facti, summoque artificio elaborati. Hanc interpretationem et ipsum etymon adfirmat Suidas. Vocabulis, origine Græcis, libenter se addixisse Maronem, probat Macrob. Saturn. v. 17. Ut hoc in loco 'Dædala tecta,' sic 104. 'frigida tecta.' et 187. 'tecta petunt.' De domiciliis apum inenarrabili arte compositis Lactant. III. 10. et Ælian. v. 13. inde et ipsa apis, ut apud Calpurn. Ecl. II. *Dædala* dici meretur. Quid dictum sit de verbo *fingere* vide vs. 57. *Emm.*

180 *Referunt se nocte*] Observatum, apes noctu redire ad alveos Pap. Achil. I. 'quales uam nocte propinqua E pastu referuntur apes, vel in antra reverti Melle novo gravidas mitis videt Hybla catervas.' *Cerda.*

181 *Crura*] Sunt hæc in apibus asperiora, ut melius hæreant sarcinæ. Arist. φέρει δὲ κηρὸν μὲν, καὶ ἐριθάκην σκέλεσι: *fert ceram, et erithacam cruribus.* Plin. c. 10. 'Quæ flores comportant, prioribus pedibus femina onerant, propter id natura scabra, pedes priores rostro: totæque onustæ remeant sarcina pandatæ.' Theodoret. ait, hæc onera imponi etiam cervicibus. *Idem.*

182 *Glaucas salices*] Sidon. Apollin. Epist. II. 'salicum glaucarum.' *Idem.*

Crocumque rubentem] Sallustius in historiis ait, *In qua crocum gignitur.* genere neutro secundum artem usus est: hic Poëtice masculino, referens ad puerum, qui in hunc florem dicitur esse conversus. *Servius.*

Crocumque rubentem] Ovid. Am. II. 6. 'rubro croco.' Datur hic color a flavore, qui inest in croco. Unde idem Ovid. El. 4. 'Auroram croceam' nominat, quia flavet. 'Seu flavent, placuit croceis Aurora capillis.' Ideo Sophoc. Colon. crocum vocat χρυσαυγῆ. *Cerda.*

Crocumque rubentem] Inter neutra singularia Diomedes *crocum* numerat l. I. et hunc Maronis locum attingit Non. Marc. c. 3. ubi idem docet. Sanct. in Minerva p. 301. *florem* vult subaudiri. Apud Juvenal. etiam *spiranteisque crocos,* Sat. VII. 208. Meminit *pallentis croci* Stat. Thebaid. VI. *Emmeness.*

183 *Pinguem tiliam*] Propter gluten, quo egent apes. Omnino dissidet Columella a Virgilio IX. 4. postquam enim posuit arbores proficuas apibus, subjicit: 'At tiliæ solæ ex omnibus sunt nocentes, taxi repudiantur.' *Cerda.*

Ferrugineos hyacinthos] *Ferruginei,* id est, nigri coloris. *Servius.*

Ferrugineos] Cæruleos dicit. Ipse enim dixerat: 'sunt et vaccinia nigra.' qui enim Græcé hyacinthus, Latine vaccinium dicitur. *Philarg.*

Ferrugineos] Id est, *nigri coloris,* ut Servius. ita Philo: ὑάκινθος μέλας γὰρ φύσει. Glossæ: *Ferrugo; πορφύρα μέλαινα*: ut notat Scalig. ad illud Catulli, 'Carbasus obscura ferrugine.' Constat enim ex atri et rubri mistura. V. et N. Ecl. II. 'vaccinia nigra leguntur.' Sunt, qui allusum putent ad Fabulam, quæ ex Hyacinthi adolescentis sanguine florem hunc genitum narrat, ut est apud Ovid. Met. X. hinc Tylesius *ferrugineum* hic exponit lugubrem. Bucolico III. dicitur 'suave rubens hyacinthus:' et Epigram. l. VII. πορφυρέη ὑάκινθος. *Taubm.*

Ferrugineos] Id est, *suave rubentes,* ut Ecl. III. 63. ubi citatum Salmasium invenias. *Ferrugineus* autem color ex nigri et rubri mixtura fit, qui vicinus est purpuræ subnigræ, ut Serv. ad Æn. IX. 582. non nunquam simpliciter pro *nigro* sumitur, quemadmodum Æn. VI. 303. 'Et ferruginea subvectat corpora cimba.' Videtur his repugnare, quod Nonius Marcell. de hoc colore astruit: *ferrugineus color,* inquit, hunc locum Maronis producens, est *vere cæruleus.* Nec ab hac sententia abit Plaut. Mil. IV. 4. 44. 'Palliolum habeas ferrugineum, nam is color est thalassicus.' Si Turnebo fides XIV. 4. veteres per cæruleum colorem *nigrum* intellexerunt. Consule admirandæ eruditionis virum Sam. Bochartum *Ιεροζωικ.* v. 10. *Emm.*

184 *Omnibus una quies*] Satis erit Plin. audire, qui pene ad verbum Aristot. ita expressit: 'Noctu quies in matutinum, donec una excitet gemino aut triplici bombo, ut buccino aliquo.' Et infr. 'Cum advesperascit, in alveo strepunt minus ac minus, donec una circumvolet eodem, quo excitavit, bombo, ceu quietem capere imperans, et hoc castrorum more: tunc repente omnes conticescunt.' Conjunxit sententiam Aristoteles unico tractu, divisit Plinius, ut apparet in c. 10. nescias cur. Ex eodem Aristotelis fonte Æl. v. 11. 'Signo dato somnum capiunt. Cum tempus est ad quietem proficisci, una quæpiam a Rege jubetur somni significationem dare, quæ simul ut ad dormiendum signum sustulit, statim eæ somnum accipere pergunt. *Cerda.*

Omnibus una quies] Simile quid Pers. Sat. v. 43. 'Unum opus et requiem pariter disponimus ambo.' Ubi male, ut Marcilius jam pridem docuit, *una* legitur. *Emmeness.*

185 *Ruunt portis*] Id est, ex portis

Nam Catul. de Nupt. ‘ex urbe ruentes.’ Et Virg. Æn. iv. ‘totaque ex urbe sequentur.’ *Cerda.*

Nusquam mora] Attingit laborem continuum apum, de quo Hesiod. Theogon. Αἱ μέν τε πρόπαν ἦμαρ ἐς ἠέλιον καταδύντα Ἠμάτιαι σπεύδουσι: *Illæ quidem toto die ad Solem occidentem Diurnæ festinant.* Aristot. c. 40. καὶ ὅταν εὐδία ᾖ, συνεχῶς ἐργάζονται: *assidue operantur si serenum sit.* Ælian. v. 12. ‘Diligentissime, et laboriosissime operantur, nec quisquam extra hiemale tempus ac morbum, videat apem otiari.’ Alludit Pind. Pyth. od. 1. nam cum allusione ad apem inducit verbum θύνω, id est, *festino*, et *propero*. Sed hanc illarum sedulitatem non aliunde melius quam ex Virg. elicias tam in hoc lib. quam Æn. i. *Cerda.*

186 *Vesper Admonuit*] Unde ἑσπερινὸς Homero dicitur αὔλιος ἀστὴρ, quia ad αὖλιν et *domicilium, ubi pernoctatur*, ducit animalia: ut notat Eust. *Taubmann.*

187 *Corpora curant*] Se reficiunt: ut, ‘Fessique et equos et corpora curant.’ Sane *curare corpus*, si de hominibus dicimus, et cibo et lavacro intelligimus, vel alterutro: si de apibus, tantum cibo accipimus. *Servius.*

Corpora curant] Sic Æn. viii. 607. et Lucret. in principio lib. ii. ‘propter aquæ rivum, &c. jucunde corpora curant.’ sic ‘se curare’ Ter. Ad. v. 1. 1. ‘te curasti molliter.’ Horat. Sat. ii. 2. ‘curata sopori membra dedit.’ inde manarunt trita illa, *curare genium, cutem, pelliculam, &c.* Emmeness.

188 *Fit sonitus*] ‘Bombo, ut aliquo buccino quietem imperans:’ Plinius. *Taubmann.*

Mussant] Hic murmurant: quæ vox ponitur et in tacendi significatione, ut apud Ennium in xvii. ‘Non possunt mussare boni, qui factam labore enixi militiam peperere.’ Interdum et pro dubitare: ut, ‘mussat rex ipse Latinus, Quos generos vocet.’ *Mussant* autem, murmurant. Ennius in x. sic ait: ‘Aspectabat virtutem legionis, sive spectans si mussaret, dubitaretque denique causa pugnandi fieret.’ *Philarg.*

Mussant] Pro eo Sil. Ital. ii. ‘densoque volatu raucum connexæ glomerant ad limina murmur.’ Habet Charis. Gram. ii. Lucilii versum *neque mu facere unquam*. unde Varr. de ling. Lat. vi. *Mussare dictum, quod muti non amplius quam mu dicunt.* Distinguit Non. Marc. c. 5. quod *mussare* minorem sit sonitum edere, quam *murmurare.* Virg. Æn. xi. 345. ‘Sed dicere mussant. Det libertatem fandi.’ id est, aperte dicere verentur, pressa voce loquuntur, quod celatum volunt. Inde *mussitare* pro silentio præterire apud Terentium Ad. ii. 1. 53. ‘Mussitanda injuria adolescentium est.’ vide Donatum. *Emmeness.*

189 *Post, ubi jam thalamis*] Infra Æneid. i. ‘Aurea composuit sponda, mediamque locavit.’ θάλαμον etiam Græci, et θαλάμας cellas apum vocant. Nicand. de apibus: ἐκτίσσαντο πρῶτόν που θαλάμους συνομήρεες. Epig. Gr. ἐν αἰθέρι ῥεῦμα μελισσῶν, αἱ πλασταὶ χειρῶν αὐτοπαγεῖς θαλάμαι. *Germanus.*

190 *Sopor suus*] Ipsis aptus. nam ideo *suus*, quia altum desinunt pro natura mellis, ut ipse alibi: ‘melle soporatis frugibus offam.’ Sed melius, *suus*, pro exiguitate corpusculi sui. *Servius.*

Sopor] De somno apum ita Arist. Hist. Anim. iv. 10. *Insecta etiam animalium dormire argumentum, quod requiem capiunt, motuque omni proculdubio cessant, quod præcipue patet in apibus: quiescunt enim nocte, et conticescunt, ut nullus omnino bombus sentiatur,* ἠρεμοῦσι γὰρ καὶ παύονται βομβοῦσαι τῆς νυκτός. *Cerda.*

191 *Nec vero a stabulis*] Plin. c. 10. ‘Prædivinant enim ventos imbresque, et tunc se continent tectis.’ Ælian. i. 12. *Et quando horum alte-*

rum (id est, pluvias, et frigora) *vel utrunque impendere conjecturis assequuntur, non longissime ab alveo volatu procedunt, sed circum apiaria volantes veluti floribus incubant. Ex his rebus alveorum custodes futura augurati agricolis turbulentæ tempestatis adventum prædicunt.* Ad hanc rem pertinent, quæ supra dedi ad illud, 'Inque vicem speculantur aquas, et nubila celi.' Tempus nubilum procul dubio intellexit Varro, cum scripsit: 'non omnis tempestas ad pastum prodire longius patitur.' Ut vero hic *stabulis* de apibus cum respectu ad terrestres feras, ita cum eodem Opp. de piscibus Hal. III. ἔνθαι αὐλίζονται: *stabulantur anthiæ.* Idem.

192 *Aut credunt cœlo*] Scilicet suos volatus. *Servius.*

Adventantibus Euris] Sunt enim et frigore et flatu apibus infesti. Horat. Epod. x. 'Niger rudentes Eurus inverso mari Fractosque remos differat.' *Taubmann.*

193 *Aquantur*] Aquam hauriunt ex vicino. *Servius.*

194 *Excursus*] A re militari desumptum vocabulum, excurrunt enim milites, quando ex castris in hostiles agros ad prædam faciendam egrediuntur. Sic Liv. 'In fines Romanos excurrerunt populabundi magis, quam justi more belli.' Corn. Nep. 'multitudinem crebris excursionibus locupletavit.' Inde de itinere subito conficiendo Cic. Epist. ad Att. x. 15. 'ego dum panes, &c. parantur, excurro in Pompejanum.' et Epist. XIV. 16. 'cupio excurrere in Græciam.' *Emmenesa.*

Lapillos] Hæc apum industria celebrata ab Auctoribus: Aristot. Hist. IX. *Cum ventus ingruit* φέρουσι λίθον, *lapillum gestant, quo se quasi fulcro stabiliunt.* Plutarcho l. de Solertia Animal. loquente signate de apibus Cretensibus: *Illæ enim ventosum aliquod transvolaturæ promontorium, se ipsas exiguis lapillis saburrant, ne vento abripiantur.* Signata verba sunt, ἑρματίζουσιν ἑαυτὰς λιθιδίοις. Æliano I. 12. *Sæpe vero vento adversæ volant parvulum lapillum pedibus portantes, quantulus inter volandum commode gestari possit. Itaque in hunc modum contra ventorum incursiones, et afflatus auræ, ne ex itinere deducantur, ejusmodi firmamentum ac robur sibi machinantur.* Repetit v. 13. Plinio c. 10. 'Gerulæ secundos flatus captant. Si cooriatur procella, apprehensi pondusculo lapilli se librant. Quidam in humeros eum imponi tradunt.' *Cerda.*

195 *Instabiles*] Fluctuantes, id est, jactante fluctu, stabiles ne sint. *Serv.*

Ut cumbæ instabiles fluctu jactante saburram] Germ. vocat νῆας ἀσταθεῖς. fluctuant enim naves, nisi justo pondere vel sabuli vel lapidum stabiliantur. Ovid. Metam. II. 163. 'Utque labant curvæ justo sine pondere naves, Perque mare instabiles nimia levitate feruntur.' Quare recte *saburra* in Gloss. vet. ἕρμα, θεμέλιος. v. Suidam in ἕρμα. Et quemadmodum pernecessarium est ἀσφάλισμα πλοίου, sic utitur hac similitudine de oratione, inæquali stilo exarata, Tanaq. Faber ad Long. περὶ ὕψους. qui Sect. 2. ἀνερμάτιστα appellat, quæ pondere destituta sunt. *Saburra* non *suburra* legendum, quia diminutivum est a *Sabulum*, ut Dausq. observavit. *Cumba* legendum ex Gloss. vet. Græce ἀκάτιον. sed Festus habet *cymba, quam Græci* κύμβην. *Emmeness.*

196 *Librant*] Ἰσοῤῥόπως ταλαντεύουσι, vel ταλαντῶσι. *Germanus.*

197 *Illum adeo placuisse apibus*] Vide apud Plutarch. in caus. Phys. cur apes in mœchos aculeo sæviunt. *Id.*

Illum adeo] *De Procreatione Apum:* super qua audiatur Aristot. Generat. III. 10. et Histor. animal. v. 21. et 22. et IX. 40. et Plin. XI. 16. *Taubm.*

198 *Concubitu*] Pro *concubitui. Nam indulgeo illi* dicimus. *Servius.*

Concubitu] Dativus casus est, ut supra, *victu invigilant.* Philarg.

Quod nec concubitu indulgent] In Romano codice, et aliquot aliis, *neque*. Observandum vero est, *concubitu* casu tertio per abjectionem litteræ ultimæ positum, ut alias sæpe, 'Teque aspectu ne subtrahe nostro:' quem casum neque M. Tullius aspernatus est, ut eo loco, 'Quibus subito impetu, ac latrocinio parricidarum resistat.' Præterea Cæsar in hujusmodi omnibus, litteram censuit abjiciendam. *Dominatuque*, ac *ornatu*, et ita reliqua esse et scribenda, et proferenda. *Pierius.*

Quod nec concubitu indulgent] Visus est nusquam *apum coitus*, ut Plin. XI. 16. et paulo post, 'unius coitu propagari, qui in quoque examine rex appellatur,' annectit. De hoc dativo *concubitu* Gell. IV. 16. et Dausq. vol. I. p. 97, 98. sed hic actum ago. *Emm.*

Nec corpora segnes In Venerem solvunt] Id est, in libidinem non resolvuntur. Persius, 'Ille in Venerem putris.' *Servius.*

199 *In Venerem solvunt*] Ita Græci, λύεσθαι εἰς ἀφροδίσια. *Cerda.*

In Venerem solvunt] Energia est, in hoc verbo, *Solvunt;* ex Veneris præsertim immodicæ natura; qua infirmiora reddi corpora, Pythagoras olim scribitur dixisse, et adhuc nonnulli suo magno malo quotidie docentur. Frustra autem quidam hic Enallagen constituunt, et *solvunt*, pro solvuntur, exponunt. *Meyen.*

Nixibus] Partubus, a *nitendo*. Unde et *enixa* dicimus. *Servius.*

200 *Foliis*] Apes, ut Plinius ait, galinarum more incubant, et vermiculos creant. Sed rectius videtur, ut ne hoc quidem sciant, sicut concubitus nesciunt. *Philarg.*

Verum ipsæ e foliis natos] In codicibus aliquot mutato numero legas, *ipsæ natos foliis*. In Romano vero, *ipsæ e foliis:* non invenuste. *Pierius.*

E foliis natos] Aristotel. Hist. Animal. v. 21. 'De generatione apum varia est sententia. Alii enim eas parere, et coire negant, sed deportare fœturam existimant. Nec unde portent, constat inter omnes: sed alii ex floribus cerinthi, alii ex flore arundinis, alii ex flore oleæ ajunt: argumentumque afferunt, quod cum olivarum proventus fit largior, tunc plura examina prodeant.' Obiter vidisti non solum portari fœturam ex floribus, sed ex quibus floribus. Idem c. sequenti: 'Favos primum conficiunt, mox collocant fœtum, emittentes illum ore, ut iis placet, qui censent aliunde prolis primordia convehi.' Columella etiam, tametsi IX. 2. hanc rem neget quærendam, ut quæ parum necessaria negotiosis agricolis, tamen c. 14. quid ipse sentiat, ita obiter statuit: 'ab æquinoctio verno sine cunctatione jam passim vagantur, et idoneos ad fœtum decerpunt flores, atque intra tecta comportant.' Admittit opinionem istam Lactant. I. 8. 'Nam si quibusdam minutis animalibus id præstitit (*Deus*,) ut sibi e foliis natos, et suavibus herbis ore legant: cur existimet aliquis, ipsum Deum, nisi ex permistione sexus alterius non posse generare?' Spirat Virgilium Lactantius. Roges, uti fiat hæc prolificatio? Audi Plinium XI. 16. 'Quod certum est, gallinarum modo incubant,' &c. Qui plura velit de hac prolificatione, legat sequentia Plinii, et Aristotelem Histor. v. 22. nam ab hoc Plinius sententiam sumsit, et pene verba. *Cerda.*

201 *Quirites*] Audaciter *Quirites*, cum proprie Romani sunt. *Philarg.*

Quirites] Σχαδόνας, ut Aristot. appellat Hist. v. 22. Loquitur hic tanquam de civibus Reipub. Rom. *Taubmann.*

202 *Sufficiunt*] Novam subolem procreant. Proprie est *substituere*, in qua notione perfamiliare Justino: v. 6. 'Conon Alcibiadi suffectus.' XXI. 1. 'maximum nata sufficere.' *Emmeness.*

Aulasque] Quemadmodum hic pro domicilio apum, sic apud Sil. Ital. l. v. de Serpente, 'feralem strepitu circumtonat aulam.' Imo sic quævis animalium receptacula Græci *aulas* vocant, ut Serv. Æn. IX. non tantum pro quovis nido, sed pro habitaculo apum regi assignato, dici vult Vlit. ad Grat. Cyneg. p. 154. *Idem.*

Et cerea regna refingunt] Quid sit *Refigere* nulli puto non innotuisse, qui legerit in Virgiliano carmine, 'Fixit leges precio, atque refixit.' Quare placet quod in Romano codice, in Mediceo, et quibusdam aliis antiquioribus exemplaribus *refingunt* legitur. Est enim superius, 'et Dædala fingere tecta.' Quare fortasse, et Servii codex corrigendus. Advertendum etiam ex loco desumptum argumentum, quod in Longobardico exemplari sic habet, *Alvorum et cerea regna.* quod in vulgatis, *cerea tecta,* legitur. *Pierius.*

Refingunt] Fingunt. *Servius.*

Refingunt] Id est, sufficiunt, ut *suffectus* dicitur *magistratus.* Philarg.

Refingunt] Non hic otiosum *re,* (ait Germ.) sed vim habet, ut illud: 'Fata renarrabat Divum.' Erit ergo *refingunt,* sedulo, et accurate nimis fingunt, struunt iterum, ac fulciunt. Habet vim eandem apud Græcos ἀνά; ut ἀναπλάττω, ita est *refingo,* ut sit, iterum et constanter fingo. Opp. Cyn. III. ὡς ἄρκτος λιχμῶσα φίλους ἀνεπλάσσατο παῖδας: *sic ursa lingens caros refinget catulos.* Basil. ὁμ. 8. ἐξ. extulit per συμπήγνηται, et φιλοτεχνοῦσα. *Cerda.*

204 *Sub fasce*] Sub onere. ut, 'Injusto sub fasce viam,' dicit Cicero. *Servius.*

205 *Tantus amor florum*] Supra de equis, 'Tantus amor laudum, tanta est victoria curæ.' *Idem.*

Tantus amor florum] Simili emphasi Ge. II. 'Tantus amor terræ.' Et III. 'Tantus amor laudum.' Idque ad Græcorum imitationem, qui ἔρωτα dicunt, pro cupiditate. Xenoph. Pæd. v. loquens etiam de apibus, postquam præmisit obsequium illarum erga suum Regem: οὕτω δεινός τις αὐταῖς ἔρως τοῦ ἄρχεσθαι ὑπ' ἐκείνῳ ἐγγίνεται: *Usque adeo vehemens his est amor parendi illi.* Opp. de re alia. Hal. II. τόσσος ἔρως καὶ τοῖσιν ἐν ἰχθύσιν αἵματος ἀνδρῶν: *Tantus amor inest his piscibus sanguinis virorum.* Cerda.

Generandi mellis] Verba ista ab Nostro sumsit Lactant. III. 10. ubi quæpiam attingit de artificio apum. *Id.*

206 *Angusti terminus ævi*] In Romano codice, in Mediceo, et aliis omnibus codicibus, quotquot habere potui, uno consensu, non *angustus,* sed *angusti terminus ævi* legitur. Res enim quæ terminatur, aut angusta, aut lata est. *Pierius.*

Angusti terminus ævi] Sumta est metaphora a terminis agrorum, qui angusti erant, ut qui locati in agrorum confiniis, et limitibus. Inde verbum *limito,* quod est, *arcto,* et veluti in angustias redigo. Ab hac terminorum, et limitum angustia Varr. ling. Lat. l. IV. 'Sæpe ad limitem arboris radices sub vicini prodierunt segetem.' Qui in Virgilio legunt, *angusti terminus ævi,* fingentes nescio quam elegantiam, a vera lectione abeunt. Angusti enim termini solemnes sunt. Plin. Epist. l. III. 'Tam angustis terminis, tantæ multitudinis vivacitas ipsa concluditur.' et sexcenta, quæ omitto. Ad apum immortalitatem spectant illa Claudian. de laudib. Serenæ: 'Unde piæ pascuntur apes, et prata legentes Transmittunt seclis Heliconia mella futuris.' *Cerda.*

207 *Excipiat*] Hic *excipiat* pro carpat accipio, et in eum sensum quo supra, *Excipere insidiis:* vel ut Aristot. πολ. θ'. καταλαμβάνειν ἡλικίαν, ita: ὅταν δ' ἀφ' ἥβης ἔτι τρία πρὸς τοῖς ἄλλοις μαθήμασι γένωνται, τότε ἁρμόττει καὶ τοῖς πόνοις, καὶ ταῖς ἀναγκοφαγίαις καταλαμβάνειν τὴν ἐχομένην ἡλικίαν. *Germanus.*

Plus septima ducitur ætas] Sic et Propert. l. I. 'Et se plus uni si qua parare potest:' *plus* pro *plusquam*. Septenarium autem numerum fatalem et mysticum, in definiendo animantium ævo, a doctis etiam habitum, et ab Aristot. Polit. l. VII. πόσον χρόνον λειτουργεῖν, &c. Qui locus consentire omnino videtur cum sequenti sub finem libri in eandem sententiam, ubi pueritiam et pubertatem ad annum unum et vicesimum hebdomadibus dimetitur. δύο δ' εἰσὶν ἡλικίαι. *Idem.*

Septima ætas] Aristotel. ita statuit Hist. v. 22. *Vita apum anni sex, nonnullæ etiam septem complent. Quod si examen novem, aut decem annos duraverit, prospere actum esse existimatur.* Et in libr. de Respiratione: τῶν γὰρ μελιττῶν ἔνιαι ζῶσι καὶ ἕπτα ἔτη: *Vivunt apes nonnullæ annos septem.* Colum. IX. 3. 'Durantque, si diligenter excultæ sint, in annos decem.' Plinius XI. 20. 'vita eis longissima, ut prospere inimica, ac fortuita cadant, septenis annis universa. Alveos nunquam ultra decem annos durasse proditur.' *Cerda.*

208 *At genus immortale manet*] *Genus manet*, scilicet per successionem. *Servius.*

Immortale] Ideo *Immortale genus*: et alibi *at* potest abundare conjunctio. est enim ordo: ergo ipsas quamvis angustus terminus ævi excipiat, genus immortale manet. *Philarg.*

209 *Domus*] Familia. ut, 'Da propriam, Tymbræe, domum.' *Servius.*

210 *Præterea regem*] Poëtis Græcis ἐσσὴν rex apum. Vide interpretem Callimachi in Hym. Jovis. *Germanus.*

Præterea regem non sic Ægyptus] Ægyptii sacerdotes, cum populum regi suo obtemperatissimum hieroglyphice vellent innuere, apem effingebant, seu examen potius. Mira sane quæ produntur de studio et amore apum erga regem suum. Vide Plin. l. XI. et XVII. *Pontanus.*

211 *Lydia*] In Romano codice, *Ludia*, ut *cumba*, *murta*, *corulus* et similia. *Pierius.*

Parthorum] His autem gentibus, ait Sallustius, adeo ingenita est sanctitas regii nominis: quas gentes tamen apes dicit amore circa regem superare Virgilius. *Philarg.*

Populi Parthorum] Observat ad locum istum Germ. Parthos superstitiose admodum, et venerabunde Regi suo obsequium impendisse osculis pedum, et servili supplicatione: quin eum adituri terram ore tangebant, ut auctor est Xenophon. Inde Martial. epig. X. 72. 'Frustra blandiciæ venitis ad me, Ad Parthos procul ite pileatos, Et turpes, humilesque supplicesque Pictorum sola basiate Regum.' Dicuntur Reges Parthorum picti, quia vestibus pictis uterentur, ut auctor est Plinius. Apte ergo Poëta ad Parthos confugit, ut explicet cultum apum erga suos Reges. Ambros. Hex. v. 21. cum aliis nationibus comparat, hunc in modum: 'Non Indi, non populi Sarmatarum tantam, quantam apes reverentiam devotionis observant.' *Cerda.*

Medus Hydaspes] Fluvius Mediæ. De his autem gentibus Sallustius dicit, 'Adeo illis ingenita est sanctitas regii nominis.' *Servius.*

Hydaspes] Apud omnes satis constat *Hydaspen* flumen Indiæ esse, non Mediæ: sed potest videri Poëta Hydaspen Medum dixisse, jure belli, quod Medi duce Alexandro, vicerint Porum Indorum regem, et in suam redegerint potestatem. Oritur autem Hydaspes ex Caucaso, et miscetur Indo. *Philarg.*

Hydaspes] Pulcre pro provincia fluvium posuit, ut et Lucan. 'Sub juga jam Seres, jam barbarus esset Araxes.' verissime autem *Medus*, quia priusquam se in Indum exoneret, Mediam alluit. Leges hic unius Interpretis nugas damnantis Poëtam. *Cerda.*

Medus Hydaspes] Turbatur non parum VV. quod hic legatur Hydaspen Mediæ fluvium esse, cum id ex nullo alio scriptore constet. Quinimo, Strabo, Arrianus, Plutarch, et omnes Græci et Latini (quos ipse quidem viderit) Indiæ fluvium hunc faciunt. iccirco, sicubi veterum exemplarium fides, suæ opinioni accedat, hoc modo legere se hic malle testatur: *aut Medus; Hydaspesve observant.* ut sit versus hypermeter; et *Hydaspes* synecdochicωs, pro Indiæ populis. *Meyen.*

212 *Observant*] Venerantur. Alias *observare* est callide advertere. Terentius, ‘Observes filium, quid agat, quid cum illo consilii captet.’ *Serv.*

Observant] Recte Servius *venerantur:* hoc enim verbum, teste Brisson. de form. l. I. omnes divini cultus species complectitur. Servilem reverentiam, quam Persæ suo regi, qui Græce *μέγας βασιλεὺς* et Latine *rex regum* appellatus fuit, ut Brisson. de regn. Pers. l. I. in princ. exhibebant, describit Curt. VIII. 5. ‘Itaque more Persarum Macedonas venerabundos ipsum salutare prosternentes humi corpora.’ Corn. Nep. IX. 3. 3. ‘Necesse est enim, si in conspectum regis veneris, venerari te regem, quod *προσκυνεῖν* illi vocant.’ Pluribus exponit hanc fœdam adulationem auctor de Regn. Pers. p. 9. quam detrectarunt, tanquam homine libero indignam Callistenes, Conon, Ismenias. de quo Æl. *ποικ. ἱστορ.* I. 21. *Emmeness.*

Mens omnibus una est] Id est, concordanter operantur et vivunt. *Servius.*

Rege incolumi mens omnibus una est] De Rege apum Auctor Geop. l. XV. *μένοντος γὰρ αὐτοῦ ἔνδον, οὐκ ἀποστήσονται: Ipso enim intus manente, non discedent.* Ælian. v. 11. *Quoad Rex vivit, tamdiu examen pace fruitur, omnique ordinum perturbatione caret, fuci suis cellis libenter se continent, seniores suum locum habent, natu minores etiam suum.* Isacius Zezes (citante Ursino) *καὶ τούτου ζῶντος μὲν, καλῶς τὸ σμῆνος διοικεῖται: Vivente hoc, pulcre examen regitur.* Ambros. ‘Incolumi Rege, nesciunt mutare judicium, mentem inflectere.’ *Cerda.*

213 *Amisso rupere fidem*] Alludit haud dubie ad morem Persarum, qui regis interveniente fato, octo dies permissa licentia, judiciis, legibusque soluti et destituti, incerto rerum ordine jactabantur, ut, suffecto in demortui locum novo rege, quantum in unius, regisque persona momentum positum esset, prioris recentisque mali sensu, et reminiscentia, populus cognosceret. *Germanus.*

Amisso rupere fidem] Tale quid Aristotel. l. IX. postquam enim præmittit Reges interfici ab apibus, cum plures, et improbi; subjicit: *Favos etiam Regum eo tempore si parati sunt, diruunt.* Signatiora sunt ejusdem ista, *καὶ ἐὰν ἀπόλλυται ἀπόλλυσθαι τὸν ἀφεσμόν: Et, si perierit, perire examen.* Et Æliani hæc: *Rege exstincto, omnia perturbantur, et funditus pervertuntur.* Isacius sequenti versu post adductum, *Θανόντος, ἀποτρέχει δὲ, συγκέχυται τελείως: Mortuo, examen fugit, et prorsus confunditur.* Plin. c. 17. ‘Duce prehenso, totum tenetur agmen, amisso, dilabitur, migratque ad alios.’ Ovid. Fast. III. ‘Amisso dubie Rege vagantur apes.’ *Cerda.*

214 *Diripuere ipsæ*] Quæ etiam ipsæ animam, colligendo melle, impendere consueverunt: ut, ‘Ultroque animam sub fasce dederunt.’ *Serv.*

Crates solvere favorum] Est hoc, quod Aristot. dixit, *τὰ κειρία διαφθείρωσι.* Et infra, *ἐξέφερον τὸ μέλι: diripuerunt mel.* ut vero Poëta *crates*, ita Pindarus Pyth. od. 6. *μελισσᾶν τρητὸν πόνον: apum opus cancellatum, perforatum.* Ambros. ‘Quæ castra quadrata tantum possunt habere artis, et gratiæ, quantum habent crates favorum?’ Huic confine verbum *ὑφαίνειν, texere,* quod ad artificium apum usurpant Græci. Et Petron. in Fragm. ‘tex-

tis apis excita ceris.' Virgil. infra, 'et floribus horrea texent.' *Cerda.*

215 *Ille operum custos*] Facit Poëta Regem apum, vacantem omni labore, tantum præsidem custodemque agminis, ac vigilem totius alvei. Xenophon in Œconom. *Intus præsidet his, qui favos conficiunt, ut pulcre et celeriter conficiantur.* Verbum Xenophontis respondens Virgiliano est, ἐφέστηκεν. Plin. XI. 17. 'Reliquo tempore, cum populus in labore est, ipse opera intus circuit similis exhortanti, solus immunis.' Ælianus v. 11. *Apum Regi curæ est, modum aliis statuere, et ordinem afferre: alias enim aquari jubet, alias intus mella fingere, exstruere, expolire, suggerere; alias vero ad pastiones proficisci.* Desumta hæc sunt a Xenophon. qui in Œconom. ἡ τῶν μελισσῶν ἡγεμὼν ἐν τῷ σμήνει μένουσα, &c. *Idem.*

Operum] Id est, mellis. sic Phædr. f. III. 14. 'Ceris opus infundite.' Vide N. Cl. Scefferi. *Emmeness.*

Illum admirantur] Honoris et venerationis pleni illum unum adorant. *Mirari* est *re nova stupefieri*, ut Non. Marc. c. 4. Sic apud Horat. od. IV. 14. 'Te Indus miratur.' et epod. 3. 'candidum Medea mirata est ducem.' Virg. Ecl. VI. 30. 'Nec tantum Rhodope miratur et Ismarus Orphea.' sic cervus apud Phædrum mirabatur ramosa cornua. Vera etiam Justino restituta lectio videtur a Cl. Grævio XXIV. 6. qui *admiratione majestatis* legit pro *adfirmatione*. Idem.

216 *Circumstant*] Hom. Il. Σ. φίλοι δ' ἀμφέσταν ἑταῖροι· Et Epig. παραστείχουσιν ἔρωτες. Ita et Orph. Argon. ἀλλ' οἱ μὲν βασιλῆα περισταδὸν ἀμφιχυθέντες. *Germanus.*

Circumstant] De hoc obsequio Aristot. Hist. l. IX. *Reges nunquam prodeunt foras, vel ad pastum, vel quavis alia caussa, nisi universa cum plebe.* Iterum post multa: αἱ λοιπαὶ περὶ τοῦτον συνεσπαρμέναι φαίνονται: *Visuntur reliquæ circa hunc* (Principem) *glomeratæ.* Plin. c. 17. 'Mira plebi circa eum obedientia. Cum procedit, una est totum examen, circaque eum conglobatur, cingit, protegit, cerni non patitur.' Iterum: 'Circa eum satellites quidam lictoresque assidui, custodes auctoritatis.' Et adhuc: 'Cum processere, se quæque proximam illi cupit esse, et in officio conspici gaudet.' Varr. l. III. 'Regem suum sequuntur, quocunque it.' Xenophon quoque de pæd. Cyri, l. V. loquens de disciplina apum: *Apes semper illi ultro parent. Ubicunque manet, nulla illinc discedit; si quo exeat, nulla eum relinquit.* Quæ verba absolvit epiphonema hoc: οὕτω δεινός τις αὐταῖς ἔρως τοῦ ἄρχεσθαι ὑπ' ἐκείνῳ ἐγγίνεται: *usque adeo vehemens his est amor parendi illi.* Didymus de hoc insecto, τιμᾷ τὸν βασιλέα, καὶ συνέπεται μετὰ προθυμίας, ὅπουπερ ἂν τύχῃ: *Colit Regem, et illum prompte comitatur, ubicunque ordines locet.* Artemid. Oniroc. II. 22. de illis ait, ἡγεμόνι ὑποτάσσεσθαι: *subditas esse duci.* Videndus Ælian. v. 11. *Cerda.*

Stipantque frequentes] Quasi quodam satellitio ambiunt. *Servius.*

217 *Sæpe attollunt humeris*] Ætate scilicet fessum. *Idem.*

Et sæpe attollunt humeris] Hæc pars obsequii non omissa Scriptoribus, ut præcipua, et magna. Aristotel. λέγεται δὲ καὶ φέρεσθαι αὐτὸν ὑπὸ τοῦ ἑσμοῦ, ὅταν πέτεσθαι μὴ δύνηται: *fertur gestari ipse ab examine, cum volare nequiverit.* Varr. l. III. 'fessum sublevant, et, si nequit volare succollant, quod eum servare volunt.' Didym. *ægrotantem illum sustinet, et non valentem volare fert, et servat.* Signata Græca sunt, συνυπολαμβάνει, φέρει, διασώζει. Plin. c. 17. 'fessum humeris sublevant, validius fatigatum ex toto portant.' Ælian. v. 11. *Si ab ætate firmus sit, antecedit examen, dux ad proficiscendum, reliquæ ejus ductum sequuntur: sin ætate affectus sit, ceteris apibus vehitur.* Accedunt apes in more isto ad humanum, quo solitum Reges suo-

collari, et gestari humeris, ut de Othone in ejus vita scribit Sueton. c. 6. De more attollendi Reges in scutis lege Pithœum Advers. II. 6. *Cerda.*

218 *Pulchramque mortem*] Gloriosam: quippe quæ pro rege suscipitur. Traxit autem hoc de Celtiberorum more; qui, ut in Sallustio legimus, se regibus devovent, et post eos vitam refutant. *Servius.*

Pulchram mortem] Ita Apul. Flor. III. 'formosam mortem.' Ambr. de ipsis apibus: 'Regem suum summa protectione defendunt, et perire pro eo pulcrum putant.' Ut hic *petunt mortem*, ita Catull. ex emendatione Marcilii *mortem adpeteret*. Cerda.

219 *His quidam signis atque hæc exempla secuti*] Locum hunc plenius est executus in sexto Æn. quem hoc loco breviter colligit; ut probet etiam apes partem habere divinitatis. Namque omnia animalia ex quatuor elementis et divino spiritu constare, manifestum est. Trahunt enim a terra carnem, ab aqua humorem, ab aëre anhelitum, ab igne fervorem, a divino spiritu ingenium. Quod quia est in apibus, sicut etiam in hominibus (namque metuunt, cupiunt, dolent, gaudent: quæ probantur ex his quæ faciunt: dimicant enim, colligunt flores, provident pluvias) fateamur necesse est, etiam apes partem habere divinitatis. Ut autem hoc exemplis, id est, rebus similibus comprobaret, Lucretium secutus est: qui dicit ea, quæ per se probare non possumus, a similibus comprobanda; ventumque docet esse corporalem, non quod eum tenere, vel cernere possimus, sed quod ejus similis aquæ effectus est, quam corporalem esse manifestum est. *Servius.*

Secuti] Pythagoræ sectam versat, quam et Stoici sequuntur; et quidam accusant, quod cum sit Epicureus, alienam sectam usurpare videtur; sed ego puto simpliciter referri sententias Philosophorum. Neque enim statim Epicurus debet videri, si libertate Poëtica ait: 'Illo Virgilium me tempore dulcis alebat Parthenope studiis florentem.' *Philarg.*

220 *Esse apibus partem divinæ mentis*] Ad rem sunt verba Aristot. de Gener. Animal. III. 10. qui loquens de vespis, et crabronibus, ait, οὐ γὰρ ἔχουσιν οὐδὲν θεῖον, ὥσπερ τὸ γένος τῶν μελιττῶν: *nihil enim habent divinitatis, ut habent apes.* Didymus: 'Opificium ejus vere θεῖον, divinum.' Varro apibus rationem dat, verba sunt: 'hic ratio, atque ars.' Plutarch. de amore prolis, sapientiam, ἀλλὰ τὴν μέλιτταν ἡμεῖς σοφὴν καλοῦμεν: *sed apem nos sapientem vocamus.* Et Basil. ὁμ. 8. ἑξαμ. ait apiculam operari σαφῶς, *sapienter.* Et Ambros. 'cum sit infirma robore apis, valida est vigore sapientiæ.' Arist. de Partib. Animal. II. 2. prudentiam: 'quam ob rem apes, atque ejusmodi alia animalia φρονιμώτερα, prudentiora multis carentibus sanguine sunt.' Varro ingenium: 'volucres, quibus plurimum natura ingenii, atque artis tribuit.' Spectant vero quatuor hæc, *ratio*, *sapientia*, *prudentia*, *ingenium* ad divinitatem. Ut vero Poëta, *partem divinæ mentis.* ita ab hoc Horat. Sat. II. 2. 'divinæ particulam auræ.' Synes. Epist. 105. dixit, καταςβεσθεῖσαν ἐν τῇ ψυχῇ περιϊδεῖν τὴν μοῖραν τὴν θείαν: *Videre exstinctam in animo divinam particulam.* Cerda.

Haustus Æthereos] Divinos spiritus. *Servius.*

221 *Deum namque ire per omnes*] Ipse in sexto Æn. 'cœlum ac terras camposque liquentes Spiritus intus alit.' Lucanus, 'Juppiter est quodcunque vides, quocunque moveris.' *Servius.*

Deum namque ire per omnis] Dicam de hac re etiam in Æn. VI. ubi non similis, sed idem locus. Hic pauca quædam, ne locus pulcerrimus illibatus sit. Sequitur Poëta doctrinam Pythagoræ, asserentis Deum esse immistum elementis omnibus, et rebus

visibilibus. Ex hac doctrina procedunt Arati illa, μεσταὶ δὲ Διὸς πᾶσαι μὲν ἀγυιαὶ, πᾶσαι δ' ἀνθρώπων ἀγοραὶ, μεστὴ δὲ θάλασσα: *Pleni sunt Jove vici omnes, fora mortalium, mare, &c.* Clem. Alexand. ex Æschylo Strom. l. v. Ζεύς ἐστιν αἰθὴρ, Ζεὺς δὲ γῆ, Ζεὺς δ' οὐρανός. Ζεύς τοι πάντα: 'Jupiter est æther, Jupiter est terra, Jupiter est cœlum. Jupiter est omnia.' *Cerda.*

223 *Hinc pecudes*] *Hinc*, id est, ex divino spiritu sumunt omnia, cum nasci cœperint, vitam: ceterum corpus ex quatuor elementis est, ut diximus. *Servius.*

Pecudes] More suo *pecudes* et *armenta* divisit, ut alibi: 'Quæ cura boum, quis cultus habendo sit pecori.' *Philarg.*

224 *Arcessere vitas*] In codicibus aliquot antiquis, *accersere* habetur. Terentius Scaurus utcunque scribatur, sive *accerso*, sive *arcesso* ad eandem significationem pertinere putat, ut alibi dictum. *Pierius.*

Vitas] Id est, animas. *Philarg.*

225 *Scilicet huc reddi*] Sine dubio etiam cuncta dissolvi et redire rursus in originem suam, necesse est. *Serv.*

Huc reddi] *Huc*, id est, unde sumptæ sunt animæ. *Philarg.*

226 *Omnia*] Per omnes. *Idem.*

Locum morti] Id est, perditioni. Nihil est enim quod perire funditus possit, cum sit τὸ πᾶν, id est, omne, in quod redeunt universa resoluta. Res autem hæc quæ mors vocatur, non est mors, quippe quæ nihil perire facit, sed resolutio. Unde mire plerisque bene interitus dicta est, quasi interveniens, et mistarum rerum connexionem resolvens. Lucretius: 'Continuo hoc mors est illius, quod fuit ante connexio.' *Servius.*

Nec morti] *Nec morti* esse locum, [...]ro nec mori. *Philarg.*

Nec morti esse locum] Addebat Py[th]agoras suæ opinioni homines, et re[li]qua visibilia non omnino mori, eti[a]msi mori viderentur; tantum resolvi, et viva revocari in cœlum: proprie, interire. Est enim interitus, interventus quidam mistarum rerum confusionem resolvens. Ita sententiam Virgilii concipit Servius, et Servium Germanus laudat. Huic sententiæ affines versus Lucret. l. II. 'Cedit item retro, de terra quod fuit ante In terras, et quod missum est ex ætheris oris, Id rursum cœli relatum templa receptat. Nec sic interimit mors res, ut materiai Corpora conficiant, sed cœtum dissipat ollis.' Eodem pertinent verba Plutarchi de Placit. Philosoph. IV. 7. Πυθαγόρας, Πλάτων, ἄφθαρτον εἶναι τὴν ψυχήν, ἐξιοῦσαν γὰρ εἰς τὸ τοῦ παντὸς ψυχὴν ἀναχωρεῖν πρὸς τὸ ὁμογενές: *Pythagoras et Plato* (sentiunt) *interitus expertem animam: cum enim exit, pervenire in cognatam sibi animam mundi.* Ex hac opinione Servius vocem *morti*, in Poëta explicat, *perditioni*. Sicut et Gifan. in Collectan. Lucretii, ex Lucr. ipso, et Plinio. Itaque ait Poëta, nulli rei esse locum perditioni, id est, nihil funditus perire. *Cerda.*

Nec morti esse locum] Hunc Maronis locum attingit Macrob. in Somn. Scip. II. 12. ubi asserit, 'nihil intra vivum mundum perire, sed eorum, quæ interire videntur, mutari speciem.' *Emmeness.*

227 *Sideris*] *Sideris*, pro siderum. *Philarg.*

In numerum] *In numerum*, id est, in modum. *Atque alto succedere cælo*, ut ipsa sidera. *Idem.*

Sideris in numerum] Videntur procedere ista ex opinione Pythagoræ, quam Plato in Timæo attingit, his verbis: 'Denique cum universum constituisset, astris parem numerum distribuit animarum, singulis singulas adhibens, eisque tanquam vehiculo impositis monstravit universi naturam, ac leges fatales edixit.' Græca, quæ potissimum necessaria, hæc sunt: διεῖλε ψυχὰς ἰσαρίθμους τοῖς ἄστροις. Sententia Platonis est, quot animas,

etiam brutorum, tot esse astra. Atque ex Platone Plutarchus, *περὶ εἱμαρμένης, ἰσαρίθμους τοῖς ἄστροις ἔταξε, διεῖλέ τε ψυχὰς ἑκάστην πρὸς ἕκαστον, καὶ ἐμβιβάσας ὡς εἰς ὄχημα.* Non opus versione, præmisso Platone. Juvant sententiam istam, quæ dico Ecl. v. ad illud, ‘Candidus insuetum miratur limen Olympi,’ de animis Heroum, de quibus fuit opinio transcribi ad astra. *Cerda.*

Atque alto succedere cælo] In Romano, *alto se condere cælo*, pro *succedere*. Pierius.

Alto succedere cælo] Affinia ista Lucret. l. II. ‘Sic igitur debent flammæ quoque posse per auras Aëris expressæ sursum succedere.’ *Cerda.*

Succedere cælo] Manilius: ‘An dubium est, habitare Deum sub pectore nostro, In cælumque redire animas, cæloque venire?’ *Taubmann.*

228 *Si quando sedem augustam*] Id est, alvearia. Et proprie *Augustum* est tectum, augurio consecratum. Abusive nobile, quasi majestatis plenum. *Servius.*

Sedem] Aliter *sedem relines*, aliter *mella:* et utrum relines thesauros, an relines servata in thesauris, id est, alvearia? *Philarg.*

Augustam] In Longobardico, et in aliis aliquot codicibus legere est *angustam*. Sed enim Servius *augustam* agnoscit, et *nobilem* interpretatur. *Pierius.*

229 *Thesauris*] Id est, repositionibus: ac si diceret apothecis. *Servius.*

Thesauris] In Romano codice, *thensauris:* de quo dictum in Alexi. *Pierius.*

Relines] Allusum in voce ad opificium apum, ut enim illæ, tegentes opus suum, omnia illinunt glutine, ita prædo diverso conatu relinit. *Cerda.*

Relines] Contra, vs. 39. ‘cera Spiramenta linunt.’ *Taubmann.*

Sparsus] Spargens. Participium est pro participio. *Servius.*

Sparsus] Non dubium, quin participia sumantur pro participiis, ut hic *sparsus*, pro, spargens, ex consensu omnium. Ita in Virg. et aliis ‘volventibus annis,’ est, volvendis: ‘volventia plaustra,’ in Ge. I. et ‘volventia lustra in Lucret. explicantur a Gifan. per tempus præsens, id est, volubilia, *κυλινδόμενα*, quæ volvuntur. In Æn. IX. ‘nec nos via fallet euntes’ est, ituros, dum ibimus. Apud Horat. ‘veniens in ævum,’ est, in ævum venturum. Qui salutasti Græcam linguam vel tantum a limine, hoc capies: est enim in illis mira participiorum turbatio. *Cerda.*

Prius haustu sparsus aquarum Ore fove] In Romano codice *haustu* legitur, et in Longobardico prius ita fuisse videtur, quia *s* littera alieno est atramento illita. In eodem legitur, *ora fove:* quod agnoscitur a Servio; quanquam *haustus* accusativo casu videatur approbare. *Pierius.*

230 *Ore fove*] Ipso haustu scilicet. Et hoc dicit: Spargendo aquam imitare pluviam. Alii *Ore fave* legunt, ut sit tace: etiam ipse in quinto Æn. ‘Ore favete omnes.’ Horatius, ‘Favete linguis.’ *Servius.*

Ore fove] *Ore fave:* sic legit Philarg. id est, *cum religione ac silentio accede.* Ennius in XVI. ‘Hic insidiantes vigilant, partim requiescunt, tectis gladiis sub scutis, ore faventes:’ ponitur eadem vox et pro velle, apud Ennium in XIII. ‘Matronæ melos complent spectare faventes,’ id est, volentes. *Philarg.*

Fumosque manu prætende] Fumum etiam præfer. Quibus rebus territæ illæ discesserint, impune poteris mella colligere. *Servius.*

Fumosque manu] Quia odores malos oderunt: ideo, *prius haustus sparsus aquarum.* Philarg.

Fumos sequacis] Quippe apum persecutores: ut, ‘Maleæque sequacibus undis.’ *Servius.*

Fumos] Est fumus hostis apum acer-

[illegible] Ad praeceptum ipsum nunc Plinii verba c. 16. 'Cum eximuntur mella, apes abigi fumo utilissimum, ne irascantur, aut ipsae avide vorent.' Dicit hoc, quia ubi videant iam auferri, avidissime devorant, ne quid relinquatur hosti. Et Colum. c. 15. loquens de castratione: 'Fumus ad apes promovetur, quae confestim nidoris impatientes in priorem partem domicilii, et interdum extra vestibulum se conferunt.' Cerda.

Fumo sequaces] Non *cis*, quod Eminianum vapere [illegible] Nobil. Heinsius docet in *Præfatione* ad Lectorem, quam mihi sub exitum anni CIↃ IↃC LXXVI videre contigit. De hac lectione aliis in locis crebro mentionem fecimus: *sequaces fumi*, quia persequuntur apes: ut Serv. sic Noster [illegible]. 438. 'flammas sequaces,' et Lu[illegible]. II. 'sequaces curas' appellat: [illegible] Latine 'sequaces fumos' noster, [illegible] Græce Germa[illegible] nominat. Fumo pelli apiculas, [illegible] ex Lycophr. ἐν μέλισσαι

[illegible]

231 *Bis gravidos cogunt fœtus*] [illegible]

Fœtus] [illegible]

Bis gravidos] [illegible]

Bis tempora messis] Id est, fructus. [illegible]

Messis] Metaphora [illegible] Plutarchus. Sic Calaber l. XIV. de [illegible] Ad rem Virgilii clare Hesiod. Theog. loquens enim de fucis, qui mel devorant. [illegible]: *Metunt alienum laborem in ventrem suum.* Vide affinia huic locutioni, Ge. II. ubi de vindemia loquens ait, *metito.* Cerda.

232 *Taygete simul os*] *Taygete* una est de Pleiadibus septem. ut autem etiam supra diximus, bis mel præcipit colligendum, orientibus Pleiadibus, id est, verno: item quum occidunt, autumnali scilicet tempore. *Servius.*

Taygete] Vergiliarum ostendit sidus Synecbdochicas: una ex his hoc nomine appellatur. Et qua totum astrum significatur per Pleiades, quoniam cum hac Jupiter concubuit, qui ex eventu *Taygetes* dicitur. *Probus.*

Taygete Plias] Mentione unius e Pleiadibus sive Vergiliis omnes sexseptem intelligit: ut Ge. I. 'Multi ante occasum Majæ cœpere.' *Taubmann.*

Os honestum] Id est, *pulchrum*, in qua notione aliquoties apud Maronem II. 392. ubi, quæ dicta sunt, vide. sic Æn. x. 133. 'Dardanius caput ecce puer detectus honestum.' l. XII. 155. 'Terque quaterque manu pectus percussit honestum.' Quod nempe Jovi placere poterat, ut Serv. Talis apud Theocrit. Idyll. XVIII. 26. occurrit locutio: Ἀὼς ἀντέλλοισα καλὸν διέφαινε πρόσωπον. *Emmeness.*

233 *Oceani amnis*] Homeri est, παρ' ὠκεανοῖο ῥοάων. *Amnes* autem bene ait, quia in morem fluminis ejus fluenta reditura prorumpunt. *Servius.*

Oceani amnis] Expressum hoc ex Græcis, qui loquuntur de mari tanquam de flumine. Nam Homer. Il. XVIII. ῥόος ὠκεανοῖο. Mimnermus apud Strab. I. ὠκεανοῖο ῥόον. Calab. XII. ὠκεανοῖο ῥόας. Et l. v. ὠκεανοῖο ῥέεθρα. Et l. XIV. ἁλὸς χεῦμα. Omnia signant fluxus, et fluenta. Quin expresse Hom. Odys. XI. Oceanum vocat fluvium, versu isto qui extremo proximus est: Τὴν δὲ (id est, νῆα) κατ' ὠκεανὸν ποταμὸν φέρε κῦμα ῥόοιο: *Hanc autem* (navem) *ferebat per fluvium Oceanum fluctus fluenti* (illius). Et Il. XIV. ποταμοῖο ῥέεθρα ὠκεανοῦ: *fluenta fluvii Oceani.* Herodotus l. VII. vocat mare ore Xerxis δολερὸν καὶ ἁλμυρὸν ποταμόν: *dolosum et amarum fluvium.* Nonnus Dionys. v. χεῦμα ὠκεανοῖο. et l. VII. ῥόον ὠκεανοῖο. et l. XII. ὠκεανοῖο προχοῇσι. *Cerda.*

234 *Aut eadem sidus*] Australem piscem significat, qui Aquarii undam ore suscipit. Unde et *Aquosi* addidit. Tunc enim piscis hic oritur, quo tempore Pleiades occidunt. *Servius.*

Aut eadem] Δύσιν ἑῴαν notat. Sicut autem Pleias piscem fugere hic fingitur, ita Calaber l. v. eandem fugere Orionem fratrem finxit, alludens ad Fabulam de Merope, ab illo compressa. *Taubmann.*

235 *Tristior*] Vel propter occasum, vel propter propinquantem jam hiemis asperitatem. *Servius.*

236 *Illis ira modum supra est*] Excedunt modum; nam cum suo interitu irascuntur. *Idem.*

Illis ira modum supra est] In antiquis aliquot codicibus, *modum super est* legitur, sed *supra* castior lectio. *Pierius.*

Illis ira modum supra est] Claudian. Ruffin. II. ita exprimit illarum iras: 'veluti pastoris in ora Commotæ glomerantur apes, qui dulcia raptu Mella trahit, pennasque cient, et spicula tendunt. Et tenuis saxi per propugnacula cunctæ Rimosam patriam, dilectaque pumicis antra Defendunt, pronoque favos examine volant.' Papin. Th. x. pari genio: 'Sic ubi pumiceo pastor rapturus ab antro Armatas erexit apes, fremit aspera nubes: Inque vicem sese stridore hortantur, et omnes Hostis in ora volant.' *Cerda.*

Illis ira modum supra est] De ira apum cavenda in mellatione, Plin. c. 18. Est in exemplis, equos ab iis occisos. Necant vel maxima animalia ictu sui aculei. 'Iracundissimæ, et pro captu corporis pugnacissimæ sunt apes,' inquit Seneca de Clementia, I. 19. *Pontanus.*

237 *Morsibus*] Observetur locutio; non enim feriunt apes ore, non dentibus, etiamsi os habeant, ut testis Aristot. de Partib. Animal. IV. 6. sed aculeo, qui illis in alvo est, et tamen eo dicuntur mordere: sic reperies morsum dici de ictu scorpii, qui tamen cauda ferit. *Cerda.*

Inspirant] Pro eo Horat. Ep. I. 14. 'Venenare morsu;' sic 'inspirare ignem' Æn. I. 692. Græce ἐμπνέειν. Imitatus Homerum est hoc loco Noster, ut Vict. var. lect. XXXVIII. 6. *Emmeness.*

Spicula cæca] Brevia, quæ possunt latere. *Servius.*

Spicula cæca relinquunt] Ideo *cæca*, quia brevicula admodum, et ita tota latent. Observat Germ. a natura apum dictum Ciceroni pro Flacco: 'mortuus est aculeo jam dimisso, ac

dicto testimonio.' Quibus verbis imitatus videtur Cicero Platonem, qui ait, ὥσπερ μέλιττα τὸ κέντρον ἐγκαταλιπὼν οἰχήσομαι: *moriar relicto aculeo instar apis.* Verba Platonis (non enim locum signat Germ.) in Phædone sunt. Adjungo etiam non dissimilia verba alterius. Plinius Ep. I. in ea, quæ est ad Cornelium Tacitum: 'Nam delectare, persuadere, copiam dicendi spatiumque desiderant: relinquere vero aculeum in audientium animis, is demum potest, qui non pungit, sed infigit.' Allusit sane ad naturam apum. Sicut et Valer. Maxim. VIII. 9. qui de populo Atheniensi, prædicante eloquentiam Periclis. *Cerda.*

238 *Adfixæ venis, animasque in volnera ponunt*] In perveteri codice legi, *adfixa venis*, quippe spicula. Syllabæ enim locus in Tritimemeri communis est, ut *pectoribus inhians*, et similia. In oblongo tamen codice, *adnixæ*. Præterea in Romano codice, et aliquot aliis legere est, *in volnera*, quarto casu, numero multitudinis, quod nescio quid efficacius habet. Servius *vulnere* ablativo casu omnino legit. In hanc sententiam Plinius, 'Aculeo infixo, aliqui eas mori putant, aliqui non, nisi ita infixo, ut intestini pars adhæserit, sed fucos postea esse, nec mellificare.' *Pierius.*

In volnera ponunt] Non suo, sed a se illato: et Amphibolicῶs dictum est, ut 'cum Turni injuria matrem Admonuit,' quam inferebat: item Sallustius, 'Injuria validiorum;' scilicet quam inferebant validiores. *Servius.*

Animasque in volnera ponunt] Arist. Histor. l. IX. αἱ δὲ τύπτουσαι ἀπόλλυνται: *Intereunt quæ percutiunt.* Et reddit rationem: *quoniam sine intestini eruptione aculeus eximi non potest.* Iterum in eodem libro: τὸ δὲ κέντρον ἀποβάλλουσα ἡ μέλιττα ἀποθνήσκει: *moritur apis injecto aculeo.* Eadem scribit III. 12. Et Nicander in Ther. de ape: ᾗ τε καὶ ἐκ κέντρου θάνατος πέλει, &c. *cui ex aculeo mors.* Ambrosius, 'Habent tamen spicula sua, et inter mella fundunt venenum, si fuerint lacessitæ, animasque ponunt in vulnere ardore vindictæ.' Ad hanc naturam apum allusit Seneca de Clement. I. 19. 'Utinam quidem ea homini lex esset, quæ apibus, et ira cum telo frangeretur, nec sæpius liceret nocere, quam semel.' *Cerda.*

Animasque in volnera ponunt] *Anima* pro *vita* dici ex Non. Marc. c. 9. videre est: pro *ponere* Ter. Ad. III. 4. 5. *relinquere*: sic Sil. Ital. l. XII. 'alternique animas sævo in mucrone relinquunt.' *Emmeness.*

239 *Duram*] Id est, gravem. *Philarg.*

Sin duram metues hiemem] In codicibus aliquot *metuens* legitur, Participii forma, cui duo supponantur verba, *parcesque futuro, Contusosque animos, et res miserabere fractas*: tum ea fuerint peragenda, quæ subjungit, *suffire thymo, cerasque recidere.* Quo vero pacto hæc accipiantur a Prisciano, viderint alii. Quandoquidem (ait ille) *Parcesque futuro,'* pro *parce*, et *miserabere* pro *miserator*, indicativis pro imperativis positis, exponi debere. Mihi quidem non displicet, *Metues, parces, et miserabere*, una continuatione eodem modo et tempore legi. Sane vero in codice Longobardico, *mirabere* prius legebatur. Mox *se* syllaba secunda superaddita est, quod reliqui habent codices. *Pierius.*

Parces futuro] Scilicet tempore. *Servius.*

Parces] Id est, parces alimento illius futuro. *Philarg.*

Parcesque futuro] Hoc præceptum eo destinatur, ne apes in desperationem adducantur, ademto cibo. De hoc loquuntur præter alios, Aristoteles, Didymus, Varro. Ait *primus* apiarios tantum mellis relinquere, quantum sufficiat ad hiemem, quod nisi fiat, vel examen ibi moritur, vel inde discedit. *Secundus* cum præmi-

serit adimendam illis decimam partem mellis vere, et æstate, adjicit, hieme auferendam tantum partem unam, et relinquendas duas. *Tertius*, apes discedere, si omne mel eximatur. Poëta amplius quid præcipit: ut videlicet ex necessitate et sævitia imminentis hiemis, si forte rigida admodum fore intelligatur, omnino parcatur. *Cerda.*

240 *Contusos animos*] Confractos. *Servius.*

Contusosque, &c.] Eadem verba, quæ hic Virgilius, conjungit Sophoc. in Antig. θραυσθέντα, καὶ ῥαγέντα πλεῖστ' ἂν εἰσίδοις: *Contusum, et fractum sæpe videas.* Et Sil. l. VII. 'Stent etiam contusa malis mea mœnia, fracto Nomine Sidonio.' Et l. I. 'conamine primæ Contuso pugnæ, fractisque in gurgite cœptis.' Valerius II. 7. 'Fasces contusi, atque fracti dictatoriæ se animadversioni substraverunt.' Et V. 3. 'Contusam et confractam belli Punici armis Rempublicam.' Et IX. 1. 'fracta et contusa Punica feritas est.' Sic legendum, non *concussa*, vel ex similitudine sæpius ab eodem repetitarum vocum. Idem VII. 3. dixit: 'adversis præliis contusos animos.' Et Spartian. in Caracal. 'contusis animis militum.' *Cerda.*

Res miserabere fractas] Id est, afflictas. *Servius.*

241 *Suffire thymo*] Id est, fumigare: ut exinde inimica illis animalia fugiant. *Idem.*

At suffire thymo] In codicibus aliquot antiquis *at*, non *aut* legitur, et *subferre* pro *suffire*, omnino id corrupte. Sed enim *at* periti plerique viri non expungunt, quæ lectio etiam codicis est Medicei. *Pierius.*

Suffire thymo] Lucret. l. II. 'Ignibus ætheriis terras suffire feraces.' Germanus.

Cerasque recidere inanis] Dum sine melle sunt ceræ; hoc dicit: si nihil habuerint in alvearibus, vel, te tollente, vel exedentibus pravis animalibus, apibus minutatim incisam ceram ministra. Stelliones vero et cætera, thymi fumo ab eis repelle. *Serv.*

Cerasque recidere inanis] Columella: 'Omnes vitiosi favi tollantur: sed ita ut cibus ex integro recens ponatur.' *Taubmann.*

242 *Ignotus*] Ignobilis, vel ex improviso veniens. *Servius.*

Adedit] Consumpsit. *Idem.*

Adedit] In Romano codice, *adhesit*, corrupte (ut mea fert opinio) legitur. Nam de his loquitur, quæ depascendo mel exhauriunt. Advertendum vero codices omnes legere subsequentem versum per Creticum pedem primo loco, *Stellio, et lucifugis congesta cubilia blattis.* Pierius.

243 *Stellio ignotus*] Sic Ovid. Fast. I. 157. 'Ignota hirundo,' quæ aliquamdiu non visa ex latibulis incognitis prodit, ita *stellio ignotus*, qui ex insidiis prorepit. Germano: *non observatus:* et inter illa numeratur animalcula, quæ apibus infestissima sunt. De quibus Aristoteles Hist. animal. VIII. 27. Sortitur nomen a guttis et maculis, quibus pictus stellatusque est. Ovid. Metam. V. 460. 'aptumque colori Nomen habet, variis stellatus corpora guttis.' Fabula nota est, de puero mutato in stellionem, quam etiam tradit Anton. Liberal. Fab. 24. inde Græce ἀστερίας, γαλεώτης, ἀσκαλαβώτης, καλαβώτης, κωλώτης, κωλετίνης, ut ex Hesychio, Suida, quibus lexicographis operæ pretium est adjungas Viros incomparabiles Salmas. exercit. Plin. p. 757. et Bochartum in ἱεροζωικῶν IV. 7. Huic bestiolæ bellum est cum araneis, juxta Arist. IX. 1. κατεσθίει τὰς ἀράχνας ὁ ἀσκαλαβώτης. præ invidia devorare videtur pellem vel exuvias, quando eas propter senectutem deponit, quia morbis comitialibus prodesse novit. Ælian. animal. III. 17. et Arist. in l. mirab. auscult. Quod sit venenatus Col. IX. 7. Inter recentiores prolixius de stellione disputant Gesnerus de

quadr. ovip. l. II. Aldrovand. l. I. et Wotton de different. anim. VI. 110. A *Stellione* JCtis est *crimen stellionatus*, de quo tit. D. et C. de stellionatu, nec non Cujac. in observat. X. 26. et XI. 40. *Emmeness.*

Lucifugis blattis] Per noctem vagantibus. *Servius.*

Lucifugis blattis] Ad præceptum Maronis faciunt verba Colum. IX. 7. 'Foramina, quibus exitus, aut introitus datur, angustissima esse debent, ut quam minimum frigoris admittant, eaque satis est ita forari, ne possint capere plus unius apis incrementum: sic nec venenatus stellio, nec obscenum scarabæi vel papilionis genus, lucifugæque blattæ, ut ait Maro, per laxiora spatia januæ favos populantur.' Blattas, seu *καράβους*, in alveariis gigni, testis est Aristoteles hist. animal. V. 19. Lucis fugientes sunt, inde Plin. XI. 28. 'Tenebrarum alumna Blattis vita, lucemque fugiunt.' Varias memorat species idem XXIX. 6. Hesychius appellat: *τρασικουρίδας*. Pro quo male Palladius tit. I. 35. *πρασοκουρίδας*. Est etiam species, quæ Dioscorid. *σίλφη* appellatur II. 35. Sunt, qui a *βλάπτειν* dici volunt. Torrentius autem ex glossario antiquissimi codicis hanc derivationem probare videtur: 'Blatta vermiculus vestem rodens, a colore nuncupata, siquidem comprehensa manum tinguit: unde et blattinum colorem dicunt. Hoc autem animal lucem videre non patitur, contrarium muscæ: nam musca lucipeta, blatta lucifuga est, per noctem ambulans, et est volatile.' Eam vide ad Horat. Sat. II. 3. 119. 'cui stragula vestis, Blattarum ac tinearum epulæ putrescat in arca.' Ex quibus, quod nemini non notum, vestimentis et etiam libris inimicum esse vermem, videre est. Inde Martial. Epigr. VI. 60. 'Quam multi tineas pascunt, blattasque diserti.' Ep. XIII. 1. 'Ne toga Cordyliis, et penula desit olivis, Aut inopem metuat sordida blatta famem.' Ep. XIV. 37. 'Constrictos nisi das mihi libellos, Admittam tineas, trucesque blattas.' *Emm.*

Congesta cubilia] Sic cubilia pro alveariis plenis Ge. I. 183. præceptum est Varr. III. 16. 'Verno tempore et æstivo fere ter in mense mellarius inspicere debet, fumigans leviter eas, et a spurcitiis purgare alvum et vermiculos ejicere.' Idem suadet Columell. IX. 14. *Idem.*

244 *Immunisque fucus*] A labore scilicet: ventri tantum indulgens. *Servius.*

Immunisque sedens] Vitiosus, piger, et qui munere non fungitur. *Philarg.*

Immunisque sed. al. ad pab. fucus] Ἀλιτοσύργητος, ἀτελής, ἀσυντελής, ἀσύμβολος, καὶ μηδὲν εἰς τὴν κοινὴν ὠφέλειαν συμβαλλόμενος. *Immunem* notat Festus accipi pro eo, qui munere vacat, et pro improbo, quod nimirum inertes homines sæpe in malum proclives sint: ut et Hom. ἀφρήτορα καὶ ἀνέστιον vocat: quod et Aristot. pol. I. animadvertit: Plato de repub. l. VIII. οὗτος, ἔφη, ἦν ἄλλο οὐδὲν ἢ ἀναλωτής, &c. Item et Hesiod. ἐν ἔργ. l. I. τῷ δὲ θεοὶ νεμεσῶσι, καὶ ἀνέρες, ὅς κεν ἀεργὸς ζώῃ, κηφήνεσσι κοθούροις ἴκελος ὀργήν, οἵ τε μελισσάων κάματον τρύχουσιν ἀεργοί. In quam sententiam et adscribendi sunt ejusdem versus elegantissimi in Theog. ὡς δ' ὁπότ' ἐν σμήνεσσι κατηρεφέεσσι μέλισσαι κηφῆνας βόσκουσι κακῶν ξυνήονας ἔργων, &c. Plutarch. de hirundine Symp. η'. μόνη τῶν ὁμορόφιων ἀσύμβολος ἐνοικεῖ καὶ ἀτελὴς ἐνδιαιτᾶται. Forsan et illud, Od. A. respexit Maro, de Procis: ἀλλότριον βίοτον νήποινον ἔδουσι. *Germ.*

Sedens] Verbum hoc otium notat in Scriptoribus. Demosthen. Olynth. l. II. καθήμεθα οὐδὲν ποιοῦντες: *sedemus nihil agentes.* Iterum, τὰ δὲ ὑμέτερα αὐτῶν ἀπολωλεκότες κάθησθε: *vestra cum amiseritis, sedetis.* et I. Philip. synonymicῶs adhibet, μέλλοντας καὶ καθημένους: *cunctantes, et sedentes.* Liban. in Progymn. νῦν δὲ κάθησθε

τῶν ἡμετέρων δεόμενοι λόγων: *sedetis nunc, orationemque meam requiritis.* Herodotus l. III. τί κάθησθε ἐνταῦθα ὦ πέρσαι; *Quid istic desidetis Persæ?* Apollon. Arg. l. I. ἧσθε αὔτως: *sedetis frustra.* Sed de hac nota alibi latius, *Cerda.*

245 *Asper crabro*] Græce ἀνθρήνη a carbunculis ἄνθραξι, quos pungendo excitat. Aristot. IX. 42. agit de crabronum victu et alveis. *Asper* quia infestat non tantum apiculas, sed et homines, juvencos, aves. Ovid. Fast. III. 749. 'Millia crabronum coëunt et vertice nudo Spicula defigunt, oraque prima notant.' Ideoque non *irritandi*, ut tritum est illud Plautinum Amphitr. II. 2. 75. quod ex Aristophane in Lysistrat. pag. 864. σφηκίαν κινεῖν, vel ἐρεθίζειν. De ictibus testatur Plin. XI. 21. 'Ictus eorum haud temere sine febri est. Auctores sunt, ter novenis punctis interfici hominem.' Quare cavendum ab iis recte monet Columella de r. r. IX. 14. 'Sed inter caniculæ, et arcturi exortum cavendum erit, ne apes intercipiantur violentia crabronum, qui ante alvearia plerumque obsidiantur prodeuntibus.' De crabronibus eruditissime disputantem vide incomparabilem Bochartum ἱεροζωικῶν IV. 13. *Emmeness.*

Imparibus armis] Inæquali consilio. Nam apes laborantes consumit. Alibi, 'Et quærere conscius arma.' Id est, consilium. *Servius.*

Imparibus] Qui validiores sunt, quam sint apes. *Philarg.*

246 *Aut dirum tineæ genus*] Sunt codices admodum veteres in quibus legatur, *aut dirum tineæ genus.* Sed *durum* magis placet, ut abrodendi vim, quæ tinearum propria est, indicet. quamvis *dirum* non rejecerim, ominosum epitheton, et iis præcipue omnibus aptum, quæ damnum inferant. Sane quidem in Mediceo codice *durum* prius scriptum fuit, mox, parte primæ vocalis abrasa, *dirum* factum est. *Pierius.*

Dirum tineæ genus] Quod supra de blattis, idem de tineis dicendum, *vermem* esse *vestimentorum*, ut Isiodorus XII. 5. Sed male *quod teneat*, nam a φθίνειν originem habet, ut ὁ πάνυ Bochartus pluribus ex Aristotele, Theophrasto, Plinio et aliis plenissime ostendit ἱεροζωικῶν IV. 21. Tineæ proprie dicuntur κόπτειν. Salmas. Plin. exercit. p. 949. unde σητόκοπα ἱμάτια, *vestes tineis pertusæ*, et ἄκοπα *quæ a tineis illæsæ sunt.* Hos vermiculos Columella *pestes* apibus appellat, IX. 14, 'Vermiculi quoque qui tineæ vocantur, et item papiliones enecandi sunt. Quæ pestes plerunque favis adhærentes decidunt, si fimo medullam bubulam misceas, et his incensis, nidorem admoveas.' Et paulo post: 'Præterea ut tineæ, si apparuerint, everrantur, papilionesque enecentur, qui plerumque inter alvos morantes apibus exitio sunt. Nam et ceras erodunt, et stercore suo vermes progenerant, quos alvorum tineas appellamus.' Inde *favos tineosos* nominat. *Emm.*

Invisa Minervæ] Ideo ait *Minervæ invisa*, quod ab ea in hoc animal puella Lydia commutata est, cum deam lanificio provocasset inferior. *Serv.*

Aut invisa Minervæ Laxos in foribus suspendit aranea casses] Mars, devicta Thracia, dicitur Minervæ donasse regiam puellam ex captivis, nomine Arachnem: quæ subtilitate operis lanificii, negavit cedere Minervæ: ob hoc in araneam conversa est, et Græce ἀράχνη vocatur. *Probus.*

Aut invisa Minervæ Laxos in foribus suspendit aranea casses] Fabulam Arachnes tradit Ovid. in principio Metam. l. VI. περὶ ἀραχνίων Aristoteles Hist. animal. IX. 39. Æl. I. 21. et Var. hist. I. 2. *rete* nominant πάγην et κύρτον, quo venationem exercet, manens in medio operis, ut Plin. XI. 24. qui illic etiam *retis scutulati* meminit, de quo Turn. Adv. XXVII. 24. Nec spernenda observavit de araneo Plutarch. in libello de solert. animal. et

reconditæ eruditionis omnis uberrimum et stupendum illud promptuarium Bochart. Hierozoic. IV. 23. 'detrahendos esse araneos, qui favos corrumpunt,' præcipit Columell. IX. 14. *Emmeness.*

247 *Laxos in foribus suspendit aranea casses*] Antiqua omnia exemplaria, quæ versavimus, hoc numero legunt, non *in foribus laxos*, *&c.* qui numerus quidem elegantior, sed hic alter pressiori stilo, cujusmodi in Didascalico requiritur argumento, magis accommodatus, et ita Nonius Marcellus legisse videtur in Libro de discretis generibus, ubi *Araneam* fœminino genere positam a Virgilio ait: quam Plautus non semel virili genere appellarit. *Pierius.*

Foribus suspendit aranea casses] Virgilius quidem confundit: tamen sciendum, majores animal ipsum masculino genere appellasse, hic *araneus*, retia vero quæ faciunt, fœminino. *Servius.*

Suspendit] Ita Aristot. ἀράχνιον ἄνωθεν κρεμάμενον. Ovid. Met. IV. 'summo quæ pendet aranea tigno.' Isid. XII. 5. de aranea: 'perpetuum sustinens in suo labore suspendium.' Et inde etiam aranea Græcis dicitur ἀεροσιπότητος, παρὰ τὸ ἀείρω, et πετάομαι, quod volando in altum tollatur. Græci alte pendentia dicunt ὑψικρεμῆ. Dio Chrysost. Orat. 4. synonymικῶς inducit ista μετέωρος, οὐδέποτε γῆς ἐφαπτόμενος, ὑψηλὸς, μετάρσιος. *Cerda.*

248 *Quo magis exhaustæ*] Ad majorem diligentiam, quam apes adhibent, cum vastantur mella, pertinet locus Aristotel. scribentis, reddi eas otiosiores, si in eximendis favis plus mellis relinquatur. Et addit, eas anxias laborare, si plus adimatur, minus relinquatur. Eodem pertinet præceptum Magonis apud Colum. c. 15. dicentis, non interimendos fucos omnes ab curatoribus alvearii, et ratio est, 'ne apes inertia laborent, quæ cum fuci aliquam partem cibariorum absumunt, sarciendo damna, fiunt agiliores.' Hoc prius scriptum est Aristoteli κηφῆνες δ' ὀλίγοι ἐνόντες ὠφελοῦσι τὸ σμῆνος. ἐργατικωτέρας ποιοῦσι τὰς μελίττας. *Fuci, si pauci, juvant: reddunt enim apes solicitiores in labore.* Habuerunt fortasse pro exemplo apiculas Romani illi, qui censebant, non esse evertendam Carthaginem, ne Roma otio torpesceret ademto hoste. *Idem.*

250 *Complebuntque foros*] Favorum cellulas, mellis receptacula, alveos. *forus* nom. sing. in usu est, ut Mar. Victorin. Gram. l. I. inde apud Gell. XVI. 19. *Stans in foro puppis*, pro tabulato et spatio in navi, teste Non. Marc. c. 5. et Suet. in August. c. 71. 'forum aleatorium calfacere,' id est, alveo aleatorio omne tempus impendere. Inde *foruli* pro armariolis et capsulis librorum, qua voce utitur Juvenal. Sat. III. 219. 'Hic libros dabit et forulos.' aliud apud Livium I. 35. 'ubi spectacula sibi quisque facerent, fori appellati.' *Emmeness.*

Horrea] Spatia alveariorum. *Phil.*

Horrea] Ita etiam Basil. Hom. Hex. VIII. ἀποθήκας μέλιτος. Et Ambros. 'intexta floribus horrea nectare quodam distendere.' *Cerda.*

251 *Q. casus nostros V. t.*] Quoniam vitæ longitudo sive Natura ipsa, iis æque morbos atque nobis tulit. *Taub.*

252 *Vita tulit*] Vitæ longitudo, morborum creatrix. Sic in Bucolicis, 'O Lycida vivi pervenimus.' *Servius.*

Vita tulit] Longa parenthesis usque ad illum versum: 'Hic jam Galbaneos suadebo incendere odores.' *Philarg.*

Si vero (quoniam casus apibus quoque nostros Vita tulit) tristi languebunt corpora morbo] In Oblongo codice, *sin* legitur. quod si admittas, superius *si diram* legendum erit. Nam quum ex duobus caussis melli calamitas inferatur, vel quia furto pereat, vel quia apes morbo languescant: prioris de-

trimenti remedium, *suffire Thymo* dixit: ita enim fugari noxia animalia. Post hæc ad reparandas exhaustas opes sufficere ipsarum Apum solicitudinem, et abundantem mellificationem. Quod vero pertinet ad earum morbos, nostrum esse negotium, ut convalescant: unde sequitur, 'Hic jam Galbaneos suadebo incendere odores.' Quare, ut hæc omnia connectantur, legere *sin* secundo loco non displiceat. Nam periodus illa, quæ incipit a *Siquando sedem*, ibi claudi videtur, *animasque in volnera ponunt*. Præterea parenthesis quædam longior, et in decem versuum numerum producta, non temere videtur observanda. Quippe ab eo versu, 'Continuo est ægris alius color,' usque ad, 'Æstuat ut clausis rapidus fornacibus ignis,' ea comprehenditur, estque ordo, 'Sin vero tristi languebunt corpora morbo, Quod non jam dubiis poteris cognoscere signis.' Ut jam prætereams parenthesim alteram '(Quoniam casus apibus quoque nostros vita tulit)' eo usque procurres, 'Hic jam Galbaneos suadebo incendere odores.' Quantum vero pertinet ad sententiæ varietatem, in hac periodo adnotatur, *casus apibus quoque nostros*. In aliquot antiquis codicibus, *nostris*, quod ad adblandiendum dictum esset, ac nimirum humiliter. Castior autem lectio, et erectioris sententiæ est legere, ut vulgata habent exemplaria, *casus nostros*. Quæ enim humano generi accidunt, mortaliumque mores, et effectus statim enumerat. *Pierius*.

253 *Signis*] Quorum sex ordine recenset. Colum. IX. 13. Plin. II. 18. *Taubmann*.

254 *Alius color*] Id est, pallidus. quia dixit supra, 'Ardentes auro, et paribus lita corpora guttis.' *Servius*.

Continuo est æg. al. color] 'Αλλοχροοῦσι, ut Aristoteles: Significat autem hic Poëta κακόχροιαν, et ἄχροιαν, unde et κακοχροεῖν. *Germanus*.

Horrida vultum Deformat macies] Locus ut apparet, sumtus ex Varr. 'Minus valentium signa sunt, pilosæ, et horridæ, ut pulverulentæ, nisi opificii eas urget tempus.' Colum. c 13. 'Ille morbus maxime est conspicuus, qui horridas contractasque carpit.' Contra Plinius c. 18. de illis loquens: 'nitore sanitas æstimatur.' *Cerda*.

256 *Exportant tectis*] *Exportare*, ut efferre, funebre verbum est. Hom. quoque de Hectoris cadavere Il. Ω. καὶ τότ' ἄρ' ἐξέφερον θρασὺν Ἕκτορα δακρυχέοντες· et sæpe apud Eurip. ἐκφέρειν νεκρόν. *Germanus*.

Exportant] Non solum ἐκφέρω Græcis, et *effero* Latinis est verbum funebre: sed etiam ἐκκομίζω, cui respondet *exporto*. Testimonium Aristotelis adduco in sequenti Nota. Inde Suidas unum per alterum explicat: ἐκφέρεται, λέγεται ἢ ἐκκομίζεται. Ælianus Var. Hist. VIII. 4. de Poliarcho dante sepulturæ honorem canibus et gallis, ait, ἐκκομίζειν ἀποθανόντας. Inde, sicut Græcis ἐκφορὰ, id est, *Elatio*, ita ἐκκομιδὴ, id est, *exportatio*. Lege Kirchmannum l. II. de funerib. Romanorum, quem vidi, postquam hæc scripseram. In Cedreno quoque bis aut ter reperi ἐκκομίζειν. *Cerda*.

Exportant] Donatus ad Ter. A. I. 1. 90. *efferre* habet, quod verbum evitatum a Virgilio addit. Idem notavit Herald. advers. I. 6. ubi multa de funeribus. *Emmeness*.

Funera ducunt] Cum exequiali scilicet pompa. Et *ducere*, proprie funerum est. Persius, 'Nereo jam tertia ducitur uxor.' *Servius*.

Tristia funera ducunt] Hanc notam humanitatis pariter, et religionis multi in apib. observarunt. Arist. ἐὰν δὲ ἔσω τις ἀποθάνῃ, ἐξάγουσιν ὁμοίως: *si qua intus obierit, cadaver statim foras efferunt*. Iterum, τὰς δ' ἀποθνησκούσας τῶν μελιττῶν ἐκκομίζουσιν ἔξω: *exportant foras apes vita functas*. Colum. c. 13. 'frequenter aliæ mortuarum

corpora domiciliis suis efferunt.' Plin. c. 18. 'Defunctas progerunt, funerantiumque more comitantur exsequias.' Porro verborum forma usurpata Val. Max. v. 8. 'funus duceretur.' Et Pap. Th. xii. 'qui justa ferant, qui funera ducant.' Et Albinovanus ad Liviam: 'Funera ducuntur Romana per oppida Drusi.' Iterum: 'funera ducenda.' *Cerda.*

Funera ducunt] Verbum funebre est. Juvenal. Sat. i. 146. 'Ducitur iratis plaudendum funus amicis.' Vide Kirchmann. de fun. Roman. ii. 1. nec tantum hæc pietas in apibus, sed et in aliis, imo feris bestiis locum habet, ut citatus Kirchm. in append. c. 1. *Emmeness.*

257 *Pedibus connexæ*] Hinc multi dictas apes volunt, quod se pedibus invicem tenent: licet crebrior sit illa opinio, quod sine pedibus primo esse dicuntur: ut, 'Trunca pedum primo.' *Servius.*

Aut illæ pedibus] In codicibus aliquot antiquis *atque illæ.* Pierius.

Aut illæ pedibus connexæ, &c.] Hanc rem ita expressit Arist. κρέμανται ἐξ ἀλλήλων ἐν τῷ σμήνει. Eustachius, ἐξηρτημέναι ἀλλήλων. Varro ita: 'multæ ante foramen, ut uvæ, aliæ ex aliis pendent conglobatæ.' Juven. Sat. xiii. 'Examenque apium longa consederit uva.' Hom. Il. ii. βοτρυδὸν δὲ πέτονται. Virg. pulcre, ut solet, in fine hujus l. 'lentis uvam demittere ramis.' Et in Æn. vii. cum respectu ad locum, in quo sum: 'pedibus per mutua nexis Examen subitum ramo frondente pependit.' *Cerda.*

Aut illæ pedibus connexæ ad limina pendent] Pro eo Sil. Ital. xii. 'connexæ glomerant ad limina.' et Plin. xii. 17. 'tunc ostenta faciunt privata et publica, uva dependente in domibus templisve sæpe expiata magnis eventibus.' de quo prodigio Juvenal. Sat. xiii. *Emmeness.*

258 *Intus clausis*] Ut in luctu homines solent. *Philarg.*

259 *Ignavæque fame*] Legitur, et *ignava.* quæ scilicet aut ignavis accidat, aut ignavos reddat. *Pierius.*

Frigore] Ἀνορεξία parit ignaviam, frigus torporem. Forte et, *contracto frigore*, dixit, pro, *contractas frigore*, ut Col. loquitur. *Taubmann.*

Ignavæ, pigræ] Arist. quoque inter notas morbidarum. ἄλλο δὲ νόσημα εἶον ἀργία τις γίνεται τῶν μελιττῶν. Ex eadem nota Col. c. 18. 'aliæ intra tecta, ut in publico luctu, mœsto silentio torpent.' Adhibet hanc notam Plin. c. 18. in defuncto earum Rege: 'Rege peste consumto, mœret plebs ignavo dolore, non cibos convehit, non procedit, tristi tantum murmure glomeratur circa corpus ejus.' *Cerda.*

Contracto frigore] Sic Phædr. fab. iv. 23. 'Cum bruma est, siles. Mori contractam quum te cogunt frigora.' Emmeness.

260 *Sonus gravior*] Ejusmodi ægrotantium suspiritus fracti et lamentabiles Hippocrati κλαυθμώδεες ἀναπνοαὶ dicuntur. *Taubmann.*

Tractim] Sine intermissione, jugiter. *Servius.*

Tractimque susurrant] Ἑλκηδὸν, σύρδην· Servius *sine intermissione, jugiter*, exponit: alii apud Plautum pro *lente* accipiunt: Erythræus quoque docet Nonium pro *diutino et longo tractu* interpretari, sed se existimare Poëtam hanc vocem sensu Lucretii intelligere: sed sensum illum Lucretii nos nihilominus celavit eo loco: 'Ire alios tractim gelidi vestigia leti.' Ego certo assentiri solicitor Nonio Maronis Lucretiique auspiciis, qui *flammarum longos tractus* in suo quisque poëmate usurpent, et eo verbo continentiam, continuitatem, συνέχειαν et consequentiam innuere videantur: ut Lucretius hominem tractim interire dixisse videatur, quem grassante leto, serpente, et per membra se diffundente deficere constet. Ita et Maro apes *susurrare tractim*, hoc est,

confertim, mussitationibus et susurris per omnes examinis et alvei ordines ductis et communicatis, ἐκ προσαγωγῆς, ἐκ διαδοχῆς, κατὰ διαδοχάς. Nicand. περιστελλίδην αὐνύθουσι. Tusanus ἀμυστὶ *tractim* interpretatur, quod a Cicerone 'uno spiritu' dicitur, hoc est, sine interspiratione, ἀπνευστί. *Germanus.*

261 *Frigidus ut quondam silvis immurmurat auster*] Tres comparationes singulis impletæ versiculis de Homero translatæ sunt; quas ille binis versibus posuit. *Servius.*

Silvis immurmurat] In Longobardico, *silvas*, quippe *murmurat in silvas*. *Pierius.*

Silvis immurmurat] De hac lectione consulendus Nobiliss. Heinsius ad Metam. VIII. 142. qui *silvas* probat. *Emmeness.*

262 *Ut mare*] In Mediceo codice, *aut mare* legitur. Sed quia sequitur tertium membrum per *ut*, quippe *æstuat ut clausis rapidus fornacibus ignis*, magis probatur, *ut mare*, particula ea ter repetita. *Pierius.*

Mare sollicitum] Ad littus propulsum. Nam *Solicitare* motum in se continet; suoque *solo*, id est, sedibus quid evomere valet. Eaque vera et prima notio hujus verbi est. Ita *solicitus* est, inquietus, mobilis, celer. Donatus ad illud Ter. 'Solicitos habui,' id est, variis ministeriis distinctos exercui. Vide Gifan. Indic. Lucret. *Taubmann.*

Mare sollicitum] Mobile et inquietum. Ut longa sit prima, geminatur *l.* proprie *solicitare* est *solo citare vel movere*, ut Festus. inde noster Georg. II. 418. 'sollicitanda tellus.' Improprie de mari, de quo tamen Horat. od. III. 1. 'neque Tumultuosum sollicitat mare,' sic Maro Georg. II. 503. 'Sollicitant alii remis freta cæca.' *Emmeness.*

Refluentibus undis] Ita Stat. 'refluum Euripum.' et Ovid. 'flumen refugum.' *Cerda.*

Refl. undis] Quæ reciprocatio Gr. ἄμπωτις est, q. ἀνάπωσις. *Taubmann.*

264 *Hic jam galbaneos*] Id est, cum hic processerit morbus, galbanus incendenda est; non, ut supra dixit, *thymus;* mel etiam in alvearia, medicatum tamen inferendum: non ut supra *ceræ inanes.* Servius.

Hic jam galbaneos] In antiquis aliquot codicibus *calbaneos* per *c:* propter cognationem scilicet, ut *Gortynia*, et *Cortynia.* Pierius.

Galbaneos odores] Recurre ad Ge. III. ad illud: 'Galbaneoque agitare graves nidore chelydros.' Ibi de vi galbani. Vide etiam Plin. XXIV. 5. ubi variæ galbani medicinæ. Nec sunt postremæ, quæ de odore, et suffitu. Columel. etiam cap. 13. virtutem ejus celebrat ad medelam apum, ex odore ipso. *Cerda.*

265 *Canalibus*] Varro Divinarum l. VI. 'canales eas dispicit.' Templa fœminino genere *canales* dixit. *Phil.*

Mellaque arundineis inferre canalibus] Ab Nostro Colum. c. 13. 'id cum acoidit arundineis infusi canalibus offeruntur cibi maxime decocti mellis, et cum galla, vel arida rosa detriti.' *Cerda.*

266 *Ad pabula*] Ad mel: ut apum vires, hausto melle, reparentur: *Vocat* autem, qui cibum protendit. *Cerutus.*

267 *Gallæ saporem*] Multi pilas cyparissi accipiunt; 'Est etiam flos in pratis.' Plene hanc herbam, ut etiam supra arborem felicis mali exequitur. Nam dicit ubi creetur, qualis sit, quid possit. *Servius.*

Tunsum gallæ saporem] Candidæ et nigræ meminit Theophrast. III. 6. 8. 9. et Plin. XVI. 7. et XXIV. 4. ubi plures enarrat species. Græce κηκὶς, καὶ καρπός ἐστι δρυὸς, ut Dioscor. I. 127. ubi de ejus medicinis; male in Commeliana *tonsum*, cum 'arida contusa et cribrata adjici debent defruta.' Juxta præceptum Columell. XII. 20. quod discere etiam ex vs. seq. 'arentisque rosas.' *Emmeness.*

268 *Aut igni pinguia multo Defruta*] Quæ coquendo spissitudinem acceperunt, et probe decocta sunt, illa *pinguia multo igni* nuncupantur. Porro *defrutum a deferrendo dictum, ubi ad spissitudinem fortiter despumaverit, effectum est*: ut Pallad. tit. XII. 18. 'Vinum est, seu mustum ad tertiam vel ad dimidiam partem decoctum, quod nonnulli etiam *sapam* appellant.' Servius autem a *defraudando* derivari mavult, quia *patitur fraudem*.' Ge. II. 93. Unde noster Ge. I. 295. 'aut dulcis musti Vulcano decoquit humorem.' Quomodo fiat Columell. tradit XII. 19. 20. 21. et Plin. XIV. 9. Quod apibus prosit in alimentum ex Aristot. discimus hist. animal. I. 1. μελιττῶν γένος μέλιτι καὶ τισιν ἄλλοις ὀλίγοις τῶν γλυκέων χρῆται τροφῇ: *Apes pro alimento melle utuntur, et dulcibus nonnullis aliis.* Idem IX. 11. ὅταν δ' ὑπολίπῃ τὸ μέλι, τοὺς κηφῆνας ἐκβάλλουσι, καὶ παραβάλλουσι σῦκα καὶ τὰ γλυκέα αὐταῖς: *Cum mellis non suppetit copia, fucos expellunt, et adponunt iis ficus et dulcia.* et paulo post, καταφυσῶσι τὸ σμῆνος οἴνῳ γλυκεῖ οἱ μελιττουργοί: *Apiarii perspuunt alveos vino dulci.* De Psythia vite Ge. II. 93. *Emmeneas.*

269 *Defruta*] *Defrutum* Græcis, ut Grammaticis placet, σειραῖος οἶνος, ἕψημα, et σειραῖον, ἑψημένον γλεῦκος· et galla καρίς. Ulp. de fund. instr. leg. 1. quæsitum, 'Vas æneum,' inquit, 'in quo sapa coqueretur, et defrutum fieret.' Item de vino et tritic. leg. 1. 'Qui vinum, mulsum, passum, defrutum.' *Germanus.*

270 *Cecropiumque thymum*] Ut *Cecropias apes* supra vs. 177. sic passim *mel Atticum* quod et *Cecropium* celebratur pro optimo. *Emmeneas.*

Et grave olentia centaurea] Lucret. IV. 'et tristia centaurea.' quippe quæ *suo*, ut addit, 'acrem de corpore odorem Exspirant.' Est autem hoc herbæ genus a Chirone centauro repertum: unde et χειρώνιον et κενταύριον nominatur: estque majus et minus; quorum hoc et *fel terræ* et *febrifuga* appellatur: de quibus Galenus. *Taubmann.*

Et grave olentia centaurea] A Chirone, ut Festus, dicitur κενταύριον et κενταύρειον inde *centaureum*, teste Salmas. Plin. exerc. p. 605. pro *grave* vs. 31. 'graviter spirantis copia thymbræ.' *Emmeness.*

271 *Cui nomen amello*] Græca locutio, sæpe monui. Ita: 'cui nomen Iulo;' et: 'cui Remulo cognomen erat.' Ex Latino canone dixisset, cui nomen amellus, vel cui nomen amelli. Alibi ista latius. *Cerda.*

Amello] Explicui notas hujus floris sequutus auctoritatem And. Matthioli in Diosc. IV. Existimat ille ex notis positis a Virgilio omnino significari florem illum, quem *asterem Atticum* nominant Scriptores herbarum. De quo multa Diosc. Gal. IV. Simpl. Med. VI. Plin. XXVII. 5. Dicta vero herba est aster ab flore, quem habet micantem instar stellulæ; ideo Virg. 'aureus ipse.' Vide, ut conferat Matthiolus notas asteri cum notis amelli, ut inde eliciat eundem esse florem. Reclamant aliqui; in primis Hadr. Junius in Nomencl. Sed quod dixi approbat quoque auctoritas Cor. Gemmæ, et Joan. Meyenus in notationibus ad Virgilium, alii etiam. Vidi ego sæpe in Hispania hunc florem, et omnino respondet notis, quas hic Virg. constituit. Qui videat florem, et legat Poëtam, idem fatebitur. Neque vero omittenda observatio Turn. XIX. 18. scribentis, vidisse se in vetere lexico, *amellum* μελίφολλον. et iterum, *amellus* στρούθιον; ut hinc videatur diversa esse herba in neutro genere, et masculino. *Idem.*

Amello] Apiastri, sive mellissophylli flore olim etiam coronari solitæ deorum aræ, Virgilius hoc loco indicat. Amellum enim hic est μελισσόφυλλον. Glossæ: *Amellum*, μελίφυλλον. quem florem ita describit his tribus versi-

bus: 'Aureus ipse, sed in foliis,' &c. Florem vocat, apices illos croceos vel aureos, qui in medio sunt calice; folia vero calicem ipsum, qui purpureus est. Sic Ovidius de Narcisso: 'Croceum pro corpore florem Inveniunt, foliis medium cingentibus albis.' *Silvamque* hic pro frutice accipit, sed frutex *pro silva* vel nemore, nunquam legitur. Salmas. exercit. Plinian. p. 102.

Amello] Non ignoravit Maro *amellum* hic esse *μελισσόφυλλον*. Sed utitur tali nomine, inquit Stephanus ad hunc locum, quod agricolis pervulgatum est. ut Ge. III. 'Cui nomen asilo Romanum est; Œstron Graji vertere vocantes.' *Emmeness.*

273 *Namque uno ingentem tollit de cespite silvam*] Ut veteres præteream codices, in quibus *de vertice* scriptum est, id minime dissimulandum, quod in plerisque manuscriptis exemplaribus, *imo ingentem tollit de cespite*, scriptum invenimus. *Pierius.*

Uno ingent.] Una radice multiplices caules sive thyrsos producit; est enim surculosissima herba. Nam *cespes* hic non terra, sed radix intelligitur. *Taubmann.*

De cespite] Non de terra, sed de radice. *Philarg.*

274 *Aureus ipse*] Flos scilicet. *Serv.*

275 *Violæ sublucet purpura nigræ*] Mire ait *sublucet*, ut ostendat purpurei coloris folia, quodam virore esse perfusa. *Idem.*

Violæ sublu. purp. nigr.] Sic et Epig. VII. Poëta *ὑποπόρφυρον ῥόδον* vocat, quod et *κυαναυγὲς ἴον*. Ut autem hic *sublucet*, Hesiod. *ἠλέκτρῳ δ' ὑπολαμπὲς ἔην*, hoc est, *ὑπολάμπει* et *ὑποστίλβει· ἰῶδες ἄνθος* significat. *Germanus.*

276 *Nexis torquibus*] Coronis ex eo flore consertis. Et laus est herbæ eximia, quæ et coronaria sit, et diis etiam digna. *Taubmann.*

Sæpe deum nexis ornatæ torq. aræ] Coronatas fuisse aras, præter Saubertum c. 18. Passchalius manifeste disputat de Coron. IV. 3. et 18. *Emmen.*

277 *Tonsis in vallibus illum*] Non silvosis. Unde est contra, 'Intonsi montes.' *Servius.*

278 *Prope flumina Mellæ*] *Mella* fluvius Galliæ est, juxta quem herba hæc plurima nascitur. Unde et *Amello* dicitur; sicut etiam populi habitantes juxta Lemannum fluvium, *Alemani* dicuntur. Lucanus, 'Deseruere cavo tentoria fixa Lemanno.' *Idem.*

Mellæ] *Mella* amnis in Gallia Cisalpina, vicinus Brixiæ, oritur ex monte Brenno. *Philarg.*

Et curva legunt prope flumina Mellæ] In Romano codice, *per flumina* legitur. Est vero *Mella* fluvius in Gallia Cisalpina, Brixiæ opulentissimo municipio vicinus, emissus ex monte Brenno. Quod vero Servius de Lemano fluvio, unde Alemani populi dicti sint, sibi comminiscitur, lacum non fluvium esse scimus, quem magna ex parte Helvetii Sequanique circundant. Populique, ad Lemanum, vulgo mox Alemani vocari cœpti, a quibus id nominis in totam inde Germaniam propagatum est, ut apud eosdem Itali a viciniore regione Longobardi omnes nuncupantur. *Pierius.*

Curva legunt pro. flu. Mellæ] Melas multorum fluviorum nomen est: hic pro Galliæ fluvio Servius accipit. Mygdonii Melæ meminit Ovid. Met. l. II. Et Plin. v. 27. Melam alium memorat, qui Ciliciam a Pamphylia disterminet: alium Thracem idem facit IV. 11. Et alterius meminit Callimachus in hymno in Jovem: *πολλὰς δὲ μέλας ὤχησεν ἁμάξας*. Sed et Statius a Parnasso alium in Bœotia deducit Minervæ sacrum, quod olivis ejus ripæ sint vestitæ: 'Palladiusque Melas Hecateïa gurgite nutrit Flumina.' Hujus fluminis aquas oves nigras facere dixit Plin. ut Xanthi flavas. Ovidius et in Sicilia alium collocare videtur Fast. l. IV. 'Sacratumque Melam pascua læta boum.' Nescio an ad hanc denigrandi effectionem respi-

ciens Nicander Melam innuere voluerit eo Θηρ. loco: ἄγρει καὶ πάνακες φλεγύηϊον, ὄφρα τε πρῶτος παιήων μέλανος ποταμοῦ παρὰ χεῖλος ἀμέρσεν quod certe posterius carmen respondere illi Virgiliano videtur, 'legunt prope flumina Melæ:' ubi et Gorræus vertit, 'Melæ quod nactus ad oras.' Scio quidem quosvis fluvios, fontesque Poëtas μέλανας et μελανύδρους vocitare, ut in *nigro Galæso* docuimus. *Germanus.*

279 *Odorato rad. incoq. Baccho*] Græcis ἀνθοσμίας, vinum odoriferum, generosumque, οἶνος ἡδὺς καὶ εὔοσμος· Aristoph. in Pluto: ἀμφορεῖς οἴνου μέλανος ἀνθοσμίου μεστοί. Vult autem Eustathius, ἀνθοσμίαν ἠρτυμένον καὶ σκευαστὸν οἶνον, καὶ οὐχ ἁπλῶς οἶνον εἶναι. Vide ejus comm. in eum Od. Β. locum, πίθοι οἴνοιο παλαιοῦ ἡδυπότοιο. *Id.*

Odorato incoque Baccho] Horat. Epod. III. 'num viperinus his cruor incoctus herbis.' *Emmeness.*

280 *Pabulaque in foribus plenis adpone canistris*] In Romano codice, et aliquot aliis, *expone* legitur. Quod ideo probaverim, quia dixit *in foribus.* Nihilo secius et *adpone* idem significabit. *Pierius.*

281 *Sed si quem proles subito defecerit omnis*] Miro usus est ordine. Nam primo ait, quemadmodum animalia, apibus inimica, pellenda sint: deinde quibus medicaminibus morbo possit carere: nunc dicit penitus amissæ, qua possint ratione reparari. *Servius.*

Sed si quem] In Mediceo, et aliquot antiquis codicibus legere est, *sed siquidem proles.* Pierius.

283 *Tempus*] Subaudi *est nunc.* Serv.

Arcadii magistri] Aristæi. *Idem.*

Magistri] Aristæum dicit Apollinis et Cyrenes filium, qui primus invenit, quemadmodum apes possint reparari. *Philarg.*

Arcadii magistri] Est hic Aristæus; de quo elogio Opp. Cyn. IV. μυρία δ' ἀγραυλον βιοτὴν ἐδιδάξατο φωτῶν: *Docuit infinita circa agrestem vitam virorum.* Mox ista explicans, ait, illum primum omnium pecuariam informasse, oleum expressisse, coagulo lac compegisse. et absolvit: καὶ ποτὶ σίμβλους Ἐκ δρυὸς ἀείρας ἀγανὰς ἐνέκλεισε μελίσσας: *et ad alvearia De quercu exemtas dulces inclusit apes.* Interpres Apoll. in Arg. II. Ἀρισταῖος δ' ἐν τῇ Κέῳ εὗρεν τὰ μελισσουργικὰ πρῶτος, καὶ τὴν τοῦ ἐλαίου κατεργασίαν, καὶ καταπαλαισάμενος τοὺς ἐτησίας, ζεὺς ἀρισταῖος ἐκλήθη, καὶ ἀπέλλων ἀγρεὺς, καὶ νόμιος. Et Apollon. ipse l. IV. Κούρῃ Ἀρισταίοιο μελίφρονος, ὃς ῥα μελισσάων Ἔργα πολυκμήτοιο τ' ἀνεύρατο πῖαρ ἐλαίης. Interpres etiam Pind. in Pyth. ait Aristæum primum omnium invenisse κτηνοτροφίαν, κυνηγίαν, ἐλαιουργίαν, μελιττουργίαν: *rationem pascendi pecoris, venandi, conficiendi olei, mellis.* Id ipsum late scribit Nonnus Dion. l. XV. a quo multa in hunc locum possent transferri. Justinus l. XIII. inter alia, quæ late de Aristæo, tum ista: 'Aristæum in Arcadia late regnasse, eumque primum et apum, et mellis usum, et lactis, et coaguli hominibus tradidisse.' Higinus Thebarum Regem facit. Quæpiam etiam suggerunt Interpretes aliqui ex Germanico Cæsare in Phænomenis Arati. Tu vide, ut Justinus adducto loco conformet fabulas Aristæi ad veritatem Historiæ. *Cerda.*

284 *Cæsis juvencis*] Verberibus occisis. Bono autem sermone usus est: nam cædi interdum occidi, interdum verberari significat. *Servius.*

Cæsis juvencis] Plinius est auctor de bobus apes, de equis crabrones, de mulis fucos, de asinis vespas procreari: ἵπποι μὲν σφηκῶν γένεσις, ταῦροι δὲ μελισσῶν. *Germanus.*

285 *Insincerus cruor*] Vitiatus, corruptus. Nam ideo verberantur, ut ex putrefacto cruore vermes creentur, unde apes sint. *Servius.*

Insincerus] Est hoc, quod Archelaus dixit apud Varr. III. 16. βοὸς φθινομένης πεποιημένα τέκνα, ubi apes vocat filias bovis corrupti. Quod ipsemet

Var. Rust. II. 5. 'Denique ex hoc putrefacto nasci dulcissimas apes, mellis matres, a quo eas Græci βουγόνας appellant. Quod Æl. ἀποθανὼν δὲ βοῦς γενναῖόν τι χρῆμα, καὶ ἀξιέπαινον, μέλιτται γοῦν ἐκ τῶν ἐκείνου λειψάνων ἐκφύονται: *Bos mortuus generosum quiddam est, et plenum dignitatis; quando ex ipsius putrefacti reliquiis apes nascuntur.* Quod Ovid. Met. XV. 'delectos mactatos obrue tauros (Cognita res usu) de putri viscere passim Floriger̄æ nascuntur apes, quæ more parentum Rura colunt, operique favent, in spemque laborant.' Et Fast. I. 'fervent examina putri De bove: mille animas una necata dedit.' Omnes isti idem dicunt, suo quisque flexu. Philo in lib. de offerentibus victimas ait, ideo vetitum a Mose offerri apem inter sacra, quia 'apis animal est immundum, ut quod natum ex putribus, et corruptis cadaveribus boum.' *Cerda.*

Tulerit] Pro *genuerit*, ut alibi: 'Si duo præterea tales Idæa tulisset Terra viros.' *Philarg.*

Altius omnem Expediam] Contra in Æneide, 'sed summa sequar fastigia rerum.' Sane sciendum Plinium dicere de bobus apes; de equis crabrones; de mulis fucos; de asinis vespas procreari. *Servius.*

287 *Pellæi Canopi*] Canopus civitas est juxta Alexandriam, quam Alexander condidit instar chlamydis suæ: qui fuit de civitate Macedoniæ, quæ Pella nominatur. *Canopus* autem dicta est quasi *canobus*, a Canobo Menelai gubernatore illic sepulto. *Idem.*

Pellæi] *Pellæi Canopi* ideo dixit, quoniam Macedones Alexandriam condidere; est autem Macedoniæ civitas Pella, patria Alexandri, a qua dicta Alexandria est; a qua urbe XII. millia passuum distans vicus est *Canopus*, a Canopo, Menelai gubernatore, ita appellatus. Longo autem epitheto *Pellæi Canopi* sic usus est, ut alibi: 'Tyrios et Agenoris urbem,' et 'Assaraci domum,' Romam. *Philarg.*

Nam qua Pel. g. f. C.] Pella est oppidum Macedoniæ, patria Alexandri. Omnes autem Alexandrias Alexander constituit, ergo Canopi Pellæi dicti sunt. *Probus.*

Pellæi] Multarum regionum oppidum est, sed nobilissimum Macedoniæ, de quo Stephanus: ὁ δὲ μακεδονίας, βοίνομος τὸ πρότερον ἐκαλεῖτο καὶ βουνόμεια. ἐκλήθη πέλλα ἀπὸ τοῦ κτίσαντος. Videtur in Servio legendum *pella* pro *Appella*, quod expunximus. Meminit hujus urbis Liv. XLIV. 46. et Mela II. 3. 'Tum Macedonum populi centum quinquaginta urbes habitant, quarum, Pella et maxima et illustris. Alumni efficiunt, Philippus Græciæ domitor, Alexander etiam Asiæ:' ad hunc locum vide notas Cl. Vossii. Appellat eam Strabo l. XVI. μητρόπολιν τῶν μακεδόνων, τὴν φιλίππου καὶ ἀλεξάνδρου πατρίδα. Hodie *Zuchria.* Inde a Poëtis Alexander *Pellæus* nominatus passim. *Emmeness.*

Fortunata] Propter agri fertilitatem, inquit Probus. Inde potest dici ζείδωρος ἄρουρα, qua locutione utitur Hom. Iliad. B. 548. de Ægypto: sic Mela I. 9. 'Mire fertilis, et hominum aliorumque animalium perfecunda generatrix.' Justinus II. 1. 'nulla terra feracior.' Vide illic Berneggerum. causa est limus quem 'nigram arenam' appellat vs. 291. 'Et viridem Ægyptum nigra fœcundat arena.' *Id.*

Canopi] Canopum, oppidum in Ægypto, hoc cognomentum a Canopo gubernatore traxisse, auctor est Tacit. l. II. sub his verbis: 'Sed Germanicus nondum comperto profectionem eam incusari, Nilo subvehebatur, orsus oppido a Canopo. Condidere id Spartani, ob sepultum illic rectorem navis Canopum, qua tempestate Menelaus Græciam repetens diversum ad mare, terramque Libyam delatus.' Canopi et meminit Æschyl. in Prom. ἔστι πόλις κάνωβος ἐσχάτη χθονὸς νείλου πρὸς αὐτῷ στόματι, καὶ προσχώματι. *Ger,*

Canopi] Nomen a *Canobo*. ἐπώνυμος κανώβου τοῦ μενελάου κυβερνήτου, ἀποθανόντος αὐτόθι. ut Strabo l. XVII. Inde Stephano κάνωβος πόλις ab Alexandria abest 120. stadia. *Insulam* nominat Mela II. 7. ' quæ ostio Canopico nomen dedit.' Nota est insula nautis, quibus præbet tutam satis stationem: posita est inter promontorium Becur et Rosettam oppidum, in sinu dicto Madi. nonnullis hodie *Bechir*, aliis *Bichieri*. Emmeness.

288 *Effuso stagnantem flumine Nilum*] Nempe Nilus ἑπτάστομος, ἑπτάπυλος, ἑπτάῤῥοος dictus, et Theocr. ἑπτάπορος· unde, ' septem discurrit in ora,' a Marone. De æstu autem Nili, et exundatione, vide Lucret. VI. eo loco, cui initium est: ' Nilus in æstati crescit:' Herod. et Plutarchum in caus. Phys. *Germanus*.

Effuso stagnantem flumine Nilum] ' Æstivo sidere exundans irrigat Nilus Ægyptum aquis efficacibus ad alendum,' &c. ut Mela I. 9. præter Strabonem aliosque Geographorum filios, testes satis luculentos, consulendus Cicer. de nat. Deor. II. 52. *Emmeness*.

289 *Faselis*] Brevibus naviculis, quibus utuntur cum stagnaverit Nilus. *Servius*.

Pictis faselis] Cum aquæ stagnantes rura obruerunt, et occuparunt, vel, ut Lucan. IV. 135. ' cum tenet omnia Nilus, Conseritur bibula Memphitis cymba papyro.' ab urbe in Ægypto ad urbem non pedibus, sed parvorum navigiorum adminiculo commeatur, eodem modo ut Veneti utuntur suis *Gundolis*: faselus enim minus est navigium, ut Sceff. de re Nav. II. 2. σκαφίδιον in vet. Gloss. haud valde dissimile myoparonibus et lemnis, teste Baifio p. 80. Campanos inventores laudat Non. Marc. c. 13. inter navigiorum nomina recenset Gell. X. 25. Non tantum breviores, sed et testaceas naviculas fuisse vult Juvenal. Sat. XV. 127. ' Parvula fictilibus solitum dare vela faselis.' Ideo Horat. od. III. 2. ' fragilem faselum' appellat. Catullus commendat a celeritate Carm. IV. ut noster *pictis* sic Martial. Epigr. X. 30. ' Viva sed quies ponti pictam phaselon adjuvante fert aura.' Græci nominant φασήλους νῆας: per *f* et unum *l* inveterata scribit consuetudo: saxa tamen stare videntur pro Cerda, qui duplici *ll* utitur, et *ph*. vide Dausq. *Emmeness*.

290 *Pharetratæ vicinia Persidis*] A crebro pharetræ et sagittarum usu. Æn. XI. 649. *pharetrata Camilla*. Sic Semiramis apud Juvenal. Sat. II. 108. ' Quod nec in Assyrio pharetrata Semiramis orbe.' Ovid. amor. Eleg. I. 1. *pharetratæ virginis* meminit pro *Diana*. Sed cur hic mentio *Persidis*, cum Nilus a Perside absit longissime? Expedire videtur Vossius in Comment. ad Melam I. 8. qui secutum Virgilium dicit opinionem eorum, qui putarunt Nilum iisdem, quibus Indus et Arcesines concipi fontibus, ac deinceps per multas vastasque fluere solitudines, donec Æthiopiam contingat, atque illic demum Nilum vocari. Quod ex Arriano in princ. l. VI. Congeriem sententiarum complexus est in hunc locum Cerda, qui eraso vs. 291. tres primos dictos arbitratur de Nilo, tres seqq. de Indo. *Vicinia* a *vicinium*, qua voce utitur Sen. de brev. vitæ, ' invidia in vicinia versatur.' *Emm*.

291 *Et viridem Ægyptum nigra fecundat arena*] Versus hic in Romano codice locum habet post versum *usque coloratis*, hoc scilicet ordine: ' Quaque pharetratæ vicinia Persidis urget, Et diversa ruens septem discurrit in ora: Usque coloratis amnis devexus ab Indis Et viridem Ægyptum nigra fecundat arena.' *Pierius*.

Viridem Ægyptum] Propter segetum et omnigenarum plantarum ubertatem: nam et primo vitis puerperio insignis est Ægyptus: et sunt, qui παρὰ τὸ αἶγας πιαίνειν, a *pabuli lætitia*, Ægyptum vocatam opinentur. *Taub*.

Nigra fœcundat arena] Novum enim semper limum trahit, qui efficit fœcunditatem. Unde et Nilus dictus est, quasi νέαν ἰλὺν, id est, novum livum, trahens. Nam antea Nilus Latine *Melo* dicebatur. *Servius.*

Nigra arena] Pullo fertilique limo. Ita Propert. IV. 6. 'nigras si quid sapis inter arenas.' Sunt et, qui ad primum et natale Ægypti nomen allusum putent, quo χώρα τῶν μελαμπόδων dicebatur. *Taubmann.*

292 *Ruens*] Abundat enim scopulis et saxis acutis, per quæ præcipitatur. Vide Strab. l. ult. *Idem.*

Septem discurrit in ora] De Nilo hoc dictum, non de Indo, ut Cerda. sic noster VI. 800. 'Et septem gemini turbant trepida ostia Nili.' IX. 50. 'septem amnibus.' Inde Ovid. Met. I. 422. *Septemfluus* II. 255. septem ostia, septem valles factas esse propter exustas aquas l. v. 187. 'qui se genitum septemplice Nilo.' l. IX. 773. et 'septem digestum in cornua Nilum.' Tot frugi homines non reperiri queritur Juvenal. XIII. 27. 'quot divitis ostia Nili:' de his passim Poëtæ. Græca quædam Epitheta collegit Germ. ad vs. 288. *Emmeness.*

293 *Usque coloratis*] Terentius: 'Ex Æthiopia usque hæc est.' Sallustius item: 'Quem trans stagnum omnis usque ad flumen.' hic ergo, *usque*, e loco: ut ipse: 'Italiam longe prospexit ab usque Pachyno.' *Philarg.*

Usque coloratis devexus] A nigris usque Æthiopibus defluens. Nam *Indiæ* nomine olim et *Æthiopiæ* maxima pars censebatur: Turneb. XI. 9. Quidam *Coloratos* stigmatis variatos exponunt. *Taubmann.*

Devexus] Pro *devectus*: Turneb. XXVI. 28. *Idem.*

Coloratis devexus ab Indis] Simulacra reliquis fluminibus ex lapide candido fieri solebant, ut undarum nitorem exprimerent: Nilo vero ex nigro, ut Pausanias ait, propterea quod ex Æthiopia delabitur, ut hic dicitur; sic enim licet interpretari *coloratos Indos.* Et ipse fluvius a nigrore, Melonis olim cognomentum habuit. Unde Catull. eum ait æquora colorare. *Pontanus.*

294 *Omnis regio*] Ægyptiaca scilicet: quæ tota fere ab arte reparandarum apum pendebat. Apiaria enim una cum apibus, propter magnam Nili inundationem sæpe obruuntur, sic ut nullæ apes reliquæ sint: quare fluvio ad alveum remeante, restituendis apibus operam navare cogebantur: quod, putrefacto vituli sanguine, facere consueverunt. *Meyen.*

Omnis, &c.] Tota Ægyptus in hac Aristæi arte spem apum reparandarum ponit. *Taubmann.*

Jacit salutem] *Jacit* pro *habet*, et ponit apum reparandarum salutem. Cicero, 'Jacta sunt fundamenta defensionis meæ.' *Servius.*

Jacit salutem] Citat Non. Marc. c. 4. Cicer. Philipp. I. 'in quo templo posui fundamenta pacis.' Quæ ex congestis lapidibus eriguntur et struuntur, *jaci* dicuntur: sic *jacere mœnia*, Græce τεῖχος βάλλειν vel τειχοβολεῖν, pro ponere. Solinus c. 25. ad quem locum Salmas. p. 309. *Emmeness.*

295 *Ipsos contractus*] Ad sustinendum tantum et coarctandum bovis cadaver. *Servius.*

Exiguus primum] Hinc incipit ratio restaurandarum apum ex cæso bove. Rem istam tantum attigit Arist. Varro, Ovid. Fast. I. Galenus de compos. Pharmac. l. IX. et apud illum Philo (nescio, an Judæus) qui apes vocat *natas tauri*, et alii. In uno Auctore Geoponicarum præceptionum res ista late describitur. *Cerda.*

Exiguus primum, &c.] Coartatus, non latus, aut transpirabilis: ut nimirum citius hic sanguis putrescat, ex quo apes generentur. *Meyen.*

296 *Angustique imbrice tecti*] Licet et *hic imbrex* lectum sit, melius tamen secundum Plautum, *hæc imbrex* dicimus: namque ait, 'Fregisti im-

brices meas, dum te dignam sectaris simiam.' *Servius.*

Angustique imbrice tecti] Dilatatio est poëtica, nam sententia tantum est, debere esse angustum tectum juxta angustias parietum: sed decurrit ad imbrices, et canales. *Cerda.*

Imbrice] *Imbrex* dicta, quod imbrem arceat: vel, 'quæ possit subitos effundere nimbos.' Est enim tegula cava et semirotunda. *Taubmann.*

297 *Parietibusque premunt artis*] Quantum ad versum pertinet, quærunt multi quæ sit hujus metrici numeri ratio *parietibus*. Sed ut aliorum opiniones prætercam, satis nunc fuerit, eam posuisse, quam Fl. Sosipater Carisius comminiscitur: 'Fieri quippe syllabam positione longam, etiam si post brevem vocalem subjuncta sit consonanti vocalis: et correptam vocalem habeat consequentem, ut *parietibus textum cæcis iter.*' Pierius.

Artis] Plurimæ editiones *arctis*. Priscian. VI. ab *artatus* per Syncopen *artus* format, ut ex *potatus*, *potus*. Vide Pierium Æn. II. 146. *Emmeness.*

298 *Quatuor*] *Quatuor* eos accipiendum, quod Homerusnotavit Eurum, Zephyrum, Boream, Notum: omnes autem venti præter enchorios, id est, regionales, sunt duodecim: Subsolanus, Eurus, Fœnix, Notus, Libonotus, Zephyrus, Argestes, Thracias, Aparctias, Boreas, Cæcius. *Philarg.*

Obliqua luce fenestras] Quæ ex obliquo lumen infundunt, ut in horreis cernimus. *Servius.*

Obliqua luce] Id consulto fit, ne locus perfletur; nam si, per fenestras, ad 4. mundi cardines constructas, recta lux ingereretur, plane locus hic refrigeraretur, neque vaporosus et humidus permaneret: unde non tam cito putresceret sanguis. Quin, hoc amplius ex physicorum doctrina addo, etiam unicam, in meridionali pariete, fenestellam, suffecturam esse: propter Austrum, calidum et humidum ventum, putredinemque quam maxime inducentem. *Meyen.*

Obliqua luce] Non nulli codices *adversa luce*, sed prior potior lectio, quæ in omnibus editionibus meis confirmatur; rationem tradit supra Meyen. *Emmeness.*

Spiritus oris Multa reluctanti] Hoc est, ἐπιστομίζεται. Ut autem, *multa reluctanti*, sic Hom. Od. N. ἀπέσσυτο ἐς ἀνέμοιο πόλλ' ἀνακαζομένους. Suffocationem autem Aristot. lib. περὶ ἀναπ. ita definit: τῆς δὲ μαράνσεως ἡ διὰ τὸ ψύχεσθαι φθορὰ καλεῖται πνίξις. *Germ.*

301 *Multa reluctanti*] Pro *Multum*, nomen est pro adverbio. *Servius.*

Obsuitur] Plerique codices habent *obstruitur*. Sed *obsuitur* legendum ex venerandæ antiquitatis Mediceo docet Nobiliss. Heinsius ad Fast. II. 578. 'obsutum Mænæ torret in igne caput.' *Emmeness.*

Plagisque perempto] Verberibus. recte Non. Marc. c. 1. Sic Ter. E. II. 2. 12. 'neque ridiculus esse, neque plagas pati possum.' inde Servi apud Plaut. Most. IV. 1. 19. 'Plagigeruli.' Capt. III. 1. 11. 'Laconas plagipatidas.' De hoc apum instaurandorum remedio Ovid. Fast. I. 363. et seqq. *Idem.*

302 *Solvuntur viscera pellem*] Liquescunt et putrescunt. *Servius.*

303 *Ramea fragmenta*] De ramis fracta, id est, fragmina ramorum. Dicimus et hic *ramus*, et hoc *ramale*. Persius, 'Ut ramale vetus.' *Idem.*

304 *Fragmenta*] Id est, posteaquam subjecerunt ramea fragmenta. *Phil.*

Casiasque recentis] Statim carptas. *Servius.*

Thymum casiasque recentis] Antiqua omnia exemplaria quotquot legi, *recentis* habent pro *virentes*; puto vero *Recentis*, paraphrasin fuisse. *Pier.*

Casiasque recentis] Cum de origine vocis *Casia* disputat Salmas. Plin. exercit. p. 405. hanc etymologiam probat, *quod prope casas rusticorum in alveariis apum sereretur:* nec tantum thymo casiaque delectantur apes, ut Plin. XXI. 12. 'sed circumseri eas

herbas alveariis jubet.' Quo recentior, eo melior, quæque sit mollissimi odoris, eodem teste xix. 12. *Emmen.*

305 *Zephyris primum impellentibus undas*] Incipiente unda; vult hoc sub occasum hiemis fieri. *Servius.*

Zephyris primum impellentibus undas] Notas nostras consule Georg. i. 44. descriptio veris adventantis, cum, ut noster Æn. iii. 69. 'prima fides pelago placataque venti Dant maria.' Nec ineleganter Stat. iv. 'Aquilones refractos zephyris,' commemorat. *Emmeness.*

306 *Ante novis rubeant quam prata*] Separatim, non invenuste, pro conjuncta particula *antequam:* sic seq. vs. 'ante Garrula quam tignis,' &c. Cic. pro Rabir. c. 9. 'quæ causa ante mortua est, quam tu natus esses.' *Idem.*

Novis rubeant quam prata coloribus] Inde *Ver purpureum* noster Ecl. ix. 40. et Georg. ii. 319. *cum vere rubenti.* Taubmann.

Ante novis rubeant quam prata coloribus, ante Garrula quam] In antiquo codice legere est *coloribus, et ante,* facta ex *s* et *s* collisione more veterum, quod apud Virgilium, et insequentem ætatem inventu rarissimum. Eloquutio hæc præterea absque ulla copula elegantior est, nec dignitatis expers. *Pierius.*

307 *Garrula quam tignis nidum suspendat hirundo*] An Philomela, an Progne mutata sit in hirundinem, contenditur, ut videre est ecl. vi. 79. et hujusce libri vs. 15. Nec non in ind. Erythræi, in *Philomela.* 'Tecta petit,' ut Ovid. Met. vi. in Fab. Prognes, vs. 169. et Fast. i. 157. 'ignotaque prodit hirundo: Et luteum celsa sub trabe fingit opus.' Inde apud Anton. Liberal. f. 11. recte: χελιδονεὺς ἐγένετο ξύνοικος ἀνθρώποις. Me vide, si tanti est, Georg. i. 377. ubi has aves aliquid præscium habere monuimus, cujusque rei testem habemus Salmasium Plinian. exercitat. p. 166. Sed juxta Plinium, x. 24. hirundines Thebarum tecta non subeunt, quoniam urbs illa sæpius capta est, nec Biziæ in Thracia, propter scelera Terei. De solertia in nidificando Aristot. hist. animal. ix. 7. Plin. x. 33. quibus accedit Isidorus xii. 7. cujus verba hæc sunt: 'In nidis construendis educandisque fœtibus, solertissima est hirundo.' Qui etiam illic eam appellat *avem garrulam.* Sic Maroni dicitur Ge. i. 377. interpretatur *garrulam* Nonius Marcell. i. 4. *Canoram et hilarem,* an satis recte, merito dubitatur; Græci enim, hirundinem ἐλεεινὸν καὶ θρήνῳ ὅμοιον ᾄδειν, μεγάλως θρηνεῖν, ψιτυρίζειν, ut ex Polluce et aliis. Auctor Philomelæ hirundines *zinzilulare* ait, a *zinsilla,* quod Italis idem ac hirundo. 'Regulus atque merops, et rubro pectore Progne, Consimili modulo zinzilulare sciunt.' Verni temporis prænunciam esse, nulli non constat. Ovid. Fast. ii. 853. 'veris prænuncia venit hirundo.' Oppian. Halieut. iii. 244. Εἰαρινὴ ζεφύρου πρωτάγγελος ὄρνις. Sed de his ex Columella, Plinio et aliis luculentas disputationes memoriæ prodiderunt Bochartus hist. anim. i. 10. Gesnerus de hirundine l. iii. et Aldrovandus in l. xvi. ornithologiæ. *Una tamen hirundo,* ut tritum est dictum, *non facit ver:* vel ut Aristoteles mor. i. 6. μία χελιδὼν ἔαρ οὐ ποιεῖ. *Emmeness.*

308 *Teneris tepefactus in ossibus humor*] Utpote bimi vituli, in quo plurimum ferventis est sanguinis. *Servius.*

309 *Visenda modis animalia miris*] Et quod ex cadavere nascuntur animalia, et quod apes ex vermibus procreantur. *Idem.*

310 *Trunca pedum*] Id est, sine pedibus. Et bene addidit *primo.* Nam postea, tam pinnas, quam pedes accipiunt. *Idem.*

Trunca pedum primo] Ovid. Met. xv. 'Nonne vides quos cera tegit sexangula fœtus Melliferarum apum

sine membris corpora nasci? Et seroque pedes, serasque assumere pennas.' Imo hinc apes dictas volunt, quod sine pedibus nascantur. Vide Isid. XII. 8. et alios. Locutio Græcorum more est. Illi dicunt, ἀπάτερος, et κόλοβος χειρῶν. et χωλὸς ποδῶν. Lucr. quoque hellenice l. V. 'Orba pedum partim, manuum viduata vicissim.' Amant etiam Græci locutionem istam in verbis. Opp. Hal. IV. αὐτοῦ μὲν παύσαντο πόθου, παύσαντο δὲ δειλῆς ζωῆς: *Ibi quidem desinunt amoris, desinunt etiam miseræ Vitæ.* Pari structione Horat. 'desine querelarum.' Idem Opp. Hal. V. ὀδυνάων μεθύει: *ebriatur dolorum.* Cerda.

Mox et stridentia pennis Miscentur, tenuemque magis magis aëra carpunt] In antiquis aliquot codicibus *pinnis*, uti sæpe dictum, reclamante Capro. *Et tenuemque magis, ac magis.* Pronomen primo tertia sede posito *cumque magis*: vel secundo, quarta: quod in hac eloquentionis figura copula semper interponi consuerit. Neque mirandum alios pedes præter Dactylum et Spondeum ingredi Versum Heroicum. Missum enim facio Proceleusmaticum, qui ratione temporum cum Dactylo et Spondeo consentit. Sed de his loquor qui temporibus quinque constant, quos Terentianus adnotavit: sed enim hæc locis quæque suis recitabuntur. Illud, quod majoris est momenti, referam, scriptum esse in antiquo codice, *aëra captant*, pro *carpunt*. uti, *Frigus captabis opacum*: et *Captavit naribus auras.* Quanquam et, *auras vitalis carpis*, alibi legatur. *Pierius.*

Pennis Miscentur] Inter se pinnarum levitate conveniunt. *Serv.*

312 *Effusus*] Hoc verbum ipsis apibus dat Apoll. R. Argon. I. πέτρης ἐκχύμεναι σιμβλήϊδος. *Cerda.*

Donec ut æstivis effusus nubibus imber, Erupere] *Erumpere* alibi Maro active extulit: ut *erumpere nubem.* Neutraliter hic dicitur, ut et Græcis ἀναρρήγνυσθαι τὸ ἀναρρήγνυσθαι. Aristot. Meteor. II. ubi de concussione et tremore terræ agit: ἤδη γὰρ ὁ σεισμὸς ἔν τισι τόποις οὐ πρότερον ἔληξε, πρὶν ἀναρρήξας εἰς τὸν ὑπὲρ τῆς γῆς τόπον φανερῶς ὥσπερ ἐκνεφίας ἐξῆλθεν ὁ κινήσας ἄνεμος. Germanus.

313 *Erupere, aut ut*] In codicibus aliquot antiquis *eripuere* legitur: imperfecto sensu. In aliquot aliis, *erupere solet.* Hoc sunt sancimus, illud vero primum numerosius. *Pierius.*

Aut ut, nervo pulsante sagittæ] Sic sæpe Hom. ἀπὸ νευρῆφιν ὀϊστούς. *Germanus.*

Aut ut, nervo pulsante sagittæ] Perinde ac si dicat: Erumpunt apes, ut sagittæ ab nervo sonante. Nam Homer. ἀπὸ νευρῆφιν ὀϊστούς. *Cerda.*

314 *Leves ineunt*] *Leves* nunc ad armaturam. *Philarg.*

Prima leves ineunt] Hoc est, ἀκροβολίζουσι, unde et ἀκροβολιστής, et pugnæ proludium ἀκροβολισμός. *Germanus.*

Parthi] Ut Poëta spiculum apium cum sagittis Parthorum comparat, ita Opp. Hal. II. pastinacæ piscis telum horridum cum jaculis venenatis Persarum. *Cerda.*

315 *Quis deus hanc, musæ, quis nobis extudit artem*] In codice Longobardico, et in Mediceo, *extulit* legitur. Sed enim *extudit* agnoscit Servius. Sunt etiam veteres codices, in quibus *quis* non geminatur, sed *qui nobis*, habetur. *Pierius.*

Extudit] Studiose repperit. *Serv.*

Extudit] Id est, unde sagacitas hominum hos ingressus cepit. *Philar.*

316 *Ingressus*] Exordia. *Servius.*

Nova experientia] Nullo docente, ars per usum reperta. *Idem.*

Nova experientia] Nullo enim docente ars per usum reperta. Manilius l. I. 'artem experientia fecit, Exemplo monstrante viam.' *Taubmann.*

317 *Pastor*] Aristæus. Filius fuit Apollinis et Cyrenes filiæ Penei fluminis Thessaliæ: qui cum Eurydicen

Nympham uxorem Orphei vitiare voluisset, et illa fugiens a serpente fuisset occisa; Nympharum iracundia cunctis animalibus perditis funditus et cunctis apibus, matris auxilium petiit. *Servius.*

Pastor Aristæus fugiens Peneïa Tempe] Peneus est Thessaliæ flumen, quod in Pindo monte ejusdem terræ oritur. *Tempe* autem sunt loca frigida, opaca, frondosa, copiosa fontibus vel fluminibus; hoc commune omnium ejusmodi locorum est: et idcirco additum *Peneïa Tempe*, quia poterant et alia intelligi: dicitur quidem et in eis locis præcipue, ubi Peneus oritur, ut in Ovid. metamorph. I. refert, dicens: 'Est nemus Æmoniæ, prærupta quod undique claudit Sylva, vocant Tempe: per quæ Peneüs ab imo Effusus Pindo, spumosis volvitur undis.' Insula Carpatho dicta, quæ existimatur objecta Peneo. *Probus.*

Pastor Aristæus] A nonnullis Rex appellatur, cui simile Græcorum *ποιμὴν*, quod præter propriam significationem etiam *βασιλέα* significat, ut Scholiast. Hom. ad Iliad. A. 263. unde et quid *Tempe* diximus Ge. II. 469. Aristæum esse Apollinis et Cyrenes filium, tradit Hygin. Fab. 161. *Emmeness.*

Peneïa Tempe] Quia per ea transit Peneus fluvius. *Philarg.*

319 *Extremi amnis*] Id est, summi, unde nascitur. et sic dicimus, *Proh supreme Jupiter*, id est, summe. *Serv.*

Extremi] Extremum caput sic dixit, ut, 'Tu sanguinis ultimus auctor,' id est, primus. *Philarg.*

Tristis ad extremi] In codicibus aliquot antiquis legere est, *ad extremum*, quippe *caput:* solent enim Flumina pluribus esse capitibus prædita; quod vero extremum est, nomen plerunque solet indere, quamvis idem significat *ad caput amnis extremi*, quod pluribus est in exemplaribus. *Pier.*

Extremi amnis] Id est, summi; ubi *caput* ejus et origo est. Cicero pro Plancio, 'Ad caput et ad fontem generis veniamus.' Atque ita quidem Serv. et alii hoc explicant. Contra Lambinus *non caput fontis*, id est principium, intelligi pertendit; sed *caput fluvii*, sive *ostium:* quo in mare se exonerat. Cæsar B. G. l. IV. de Rheno: 'Multisque capitibus in Oceanum influit.' *Taubmann.*

Sacrum c.] *Omnis* enim *fons in origine sacer est:* ut notat Horatii Commentator ille hybrida, sive is *Acron*, sive *Porphyrio*, sive et neuter sit; ad Od. I. Etiam Servius Æn. VII. 'Nullum fontem non sacrum esse' ait, 'propter deos eis attributos.' Vide et Scalig. Fest. in *Manalis fons.* Idem.

Ad caput adstitit amnis] Lucret. III. 'Et nec opinanti mors ad caput astitit ante.' *Germanus.*

321 *Mater Cyrene, mater*] Invidiosum est, nomine parentes vocare. Unde paulo post, 'Et te, crudelem nomine dicit.' Sic in duodecimo in desperatione ait, 'Ruitque implorans nomine Turnum.' *Servius.*

Mater Cyrene] Vide et Not. nostras Plaut. Amph. act. III. sc. 1. item Æn. I. 80. *Taubmann.*

Gurgitis hujus] Id est, Penei fluminis. *Servius.*

322 *Ima tenes*] Deorum marinorum domicilia in imo vado esse docet Turn. XII. 12. *Taubmann.*

Præclara stirpe deorum] In Romano codice, *a stirpe* legitur, in quodam aliquo *â* cum circunflexo accentu cernitur. *Pierius.*

323 *Si modo, &c.*] Dubitatio admodum invidiosa. Ita Phaëthon ad matrem Clymenem, Met. I. 'At tu, si modo sum cælesti stirpe creatus, Ede notam tanti generis, meque adsere cælo.' *Taubmann.*

Pater est Thymbræus Apollo] Dii cognomenta a locis, in quibus coluntur, sæpe accipiunt. Locus prope Trojam a copia herbæ thymbræ dictus est Thymbra: ibi templum Apol-

lini dedicatum: inde *Tymbræus* dictus. *Pont.*

324 *Invisum fatis genuisti*] Si natus ex diis, invisus est fatis. Sic in primo Æneidos, 'Nos, tua progenies, cœli quibus annuis arcem.' Item, 'Quis te, nate dea, per tanta pericula casus Insequitur?' *Servius.*

Invisum fatis] Pari affectu Eurip. Orest. τὴν θεοῖς στυγουμένην—Ἑλένην. *Cerda.*

325 *Quid me cœlum sperare jubebas*] Infra: 'cœli quibus annuis arcem.' *Germanus.*

326 *Vitæ mortalis honorem*] Bene *honorem* ait, quia arare, animalia pascere, apes etiam habere, erat honor. Nam in ingenti honore fuit rusticitas. Alibi, 'non ullus aratro Dignus honos.' *Servius.*

327 *Quem mihi vix frugum et pecudum custodia sollers Omnia tentanti extuderat*] Quattuor dictiones in hoc membro aliter, quam vulgata habeant exemplaria, leguntur. In codicibus antiquis primum est *pecorum* pro *pecudum*: ut armenta etiam complectatur. Alterum *sollers* duplici *ll*, ut plerisque aliis locis. Tertium *temptanti* inserto *p*, ex cujusdam ætatis consuetudine. Quartum *exstuderat*, *s* post *x* apposita, quum verbum ab *s* non incipiat: id quod Scaurus, et Velius reprehendunt. Sed, ut alia, quæ per abusum invaluere, missa faciamus, non est id prætereundum, quod *Sollers* duplici *ll* recte scribi ex eo conjicimus, quod *sollum* Oscum nomen: a quo et *arte*, deductum nomen fatentur omnes: duplicato *ll* scribi Verrius Flaccus ostendit, ubi de immolatione quæ *Solitaurilia* dicebantur, disputat, cur nomen id tantum ex iis, quæ a *sollo* veniunt unico *l* scriptum inveniretur. Sed enim ejus verba ex antiquo Pomp. Festi codice subjunxisse minime videatur importunum: 'Quod si a *sollo* et *tauris*, earum bestiarum ductum est nomen, antiquæ consuetudinis per unum *l* enuntiari, non est mirum. Quia nulla tunc geminabatur littera in scribendo. Quam consuetudinem Ennius mutavisse fertur, utpote Græcus Græco more usus: quod illi æque scribentes ac legentes duplicabant mutas, et semivocales.' *Pierius.*

Pecudum] Non solum quadrupes animal, verum omnia animalia pecudes vocantur. Vide Non. Marc. cap. 2. ut hic apud nostrum de apibus, sic apud Lucretium de piscibus l. II. 'Præterea genus humanum, mutæque natantes Squammigerum pecudes.' Plura Gifan. in conjectaneis. *Emm.*

Custodia sollers] Diligens et perita industria. *Servius.*

Sollers] Sic appellatur, monente Festo, *qui in omni re prudens est.* a *solus*, vel quemadmodum non nulli contendunt *sollus*, quod Osca lingua idem ac *totus*, ut apud citatum videre est. In Pandectinis Florentinis scriptum est, juxta testimonium Dausquii, per geminum *ll*. Sed per simplex non raro pronunciari, docet usus; Donati origo probanda, qui ab ὅλος deducit Latinum *solus*. *Solers* enim inquit est quasi *totus in arte consistens*, ut ὅλος ἀρετή. cui opponitur *iners*. Eum vide ad Ter. Eun. III. 2. 25. *Emmeness.*

328 *Omnia tentanti*] Ἐκπονουμένην Eurip. Med. νῦν μὲν τάδ' ἡμῖν ἐκπονουμένοισιν εὖ Πόσις ξυνοικῇ, μὴ βίᾳ φέρων ζυγόν: *Quod si vir, nobis nihil non molientibus, bene et humane consuescat.* Germanus.

Te matre relinquo] Ac si diceret: Sub ea perdo usum laboris, sub qua augere debueram. *Servius.*

Te matre] Eleganter hic absolute ponitur ablativus, pro eo quod est, σοῦ μητρὸς οὔσης, καὶ ὑπαρχούσης, οἷον εἰ θεᾶς, ἢ νύμφης. Pari omnino phrasi infra Æn. VII. 'Non vobis, rege Latino, Divitiis uber agri, Trojæve opulentia deerit.' et Cicero: 'Te consessore libentius spectarem:' ut et 'te Consule, te judice.' Tale quoque est

apud Propert. l. III. 'Non hæc Roma fuit tanto tibi cive verenda.' Propert. 'Et nimium, remis audent, prope turpe, Latinis, Principe te, fluctus regia vela pati.' *Germanus.*

Relinquo] *Relinquo*, pro amitto. *Philarg.*

329 *Quin age*] Sæpe hæ duæ particulæ conjunguntur, ut Ecl. III. 'Quin age, si quid habes:' et frequenter hac formula concedimus, quæ fieri nolumus, ut hoc in loco, et Stat. Thebaid. l. I. 'Quin age si tanta est thalami discordia sancti, Et Samon et veteres armis exscinde Mycenas,' &c. Ideo Gellius increpandi vim inesse voculæ *quin* demonstrat XVII. 13. Quas vero habeat significationes hæc particula, Donatus explicat ad. Ter. An. II. 2. 9. *Emmeness.*

Felices] Fertiles. *Servius.*

330 *Fer*] Infer. *Idem.*

Inimicum ignem] Epitheton ex Homero, qui crebro δήϊον πῦρ. *Germ.*

Interfice messis] Secundum Pythagoram, qui habere animam dicit cuncta crescentia. Unde et alibi, 'Aret ager vitio moriens.' *Servius.*

Interfice messis] Firmabo verba singula auctoribus singulis, poëticum plusculis. De verbo *neco*. Plin. VIII. 21. loquens de basilisco, 'necat frutices non contactos modo, verum et afflatos.' De *eneco*, idem XVIII. 17. 'Est herba, quæ cicer enecat, et ervum.' De *morior*. Virg. Ecl. VII. 'moriens herba.' et X. 'moriens liber in ulmo.' De *demorior*. Justin. Instit. l. II. 'in vinearum demortuarum vel arborum locum alias debet substituere.' De *intereo*. Pacuv. in Tragœd. 'Sol si perpetuo sit, aut nox flammeo vapore, aut frigore Fructus omnes interire.' De *occido* Alcimus l. II. 'Non faciet vivum radix occisa cacumen.' De *exspiro*, Papin. Syl. III. 'Aut ubi verna novis exspirat purpura pratis.' De *interficio*, Tullius in Œcon. apud Nonium: 'Nullo modo facilius arbitror posse neque herbas arescere, et interfici.' Arnob. l. III. 'cur quotidie gemmulas et pubescentes herbas adurit, atque interficit nocentissimum frigus?' Lucilius traduxit ad rem affinem: 'Durum molle voces, fragmenta interfice panis.' *Cerda.*

Interfice messis] Improprius hujus verbi usus est pervenustus. Quemadmodum Nonius Marc. cap. 4. pro *perdere*, *adimere*. Sic in Solino c. 6. Salmas. legit juxta Cod. regium *memoriam interficit*. Plin. exercitat. p. 138. eodem modo apud Apulejum mentio fit *interfectæ virginitatis*, *sermonis interfecti singultu*, *interfecti officii*. Vide Pricæum p. 253. et notas nostras Ecl. VII. 57. *Emmeness.*

331 *In vitis*] Contra vites. *Serv.*

Mollire bipennem] Ut eas succidas. *Id.*

332 *Tædia laudis*] Tædium est angor mentis et animi, non corporis invaletudo. *Idem.*

Tædia laudis] Similem locutionem observat Dausquius et Tibull. El. I. 4. 'Sed te ne capiant primo si forte negabit, Tædia.' ubi per bivocalem scribendum docet. *Emmeness.*

333 *Sonitum thalamo sub fluminis alti*] Cur non etiam vocem audivit? Scilicet quia in ima fluminis parte erat, lanificiis occupata. *Servius.*

At mater sonitum] Non dissimile illud Homeri de Neptuni regia Il. N. ἔνθα δέ οἱ κλυτὰ δώματα βένθεσι λίμνης, χρύσεα, μαρμαίροντα τετεύχαται, ἄφθιτα αἰεί. Et Il. Σ. de Thetide: ἄκουσε δὲ πότνια μήτηρ Ἡμένη ἐν βένθεσσιν ἁλὸς παρὰ πατρὶ γέροντι, Κώκυσεν τ' ἄρ ἔπειτα, θεαὶ δέ μιν ἀμφαγέροντο, Πᾶσαι ὅσαι κατὰ βένθος. Vide autem eodem loco hunc pene catalogum Nympharum. *Germanus.*

Thalamo] Usitatissimum Poëtarum figmentum est, assignare Diis marinis et Nymphis in profunditatibus aquarum domos, cubicula, thalamos, ædificia, columnas, varias demum structiones, ubi quiescant, unde exeant, qua vagentur, quo se recipiant. Hesiod. in Theog. loquens de Tritone:

insula. Propert. II. 18. 'Candida Nesaee, cærula Cymothoë.' *Taubm.*

Spio] Ἀπὸ τοῦ σπείου, a *specu* Nympharum. *Idem.*

Thalia] A *viriditate* seu florum amœnitate. *Idem.*

Cymodoce] Ἀπὸ τοῦ κυμάτων, ab *undis* et *fluctibus*. Idem.

339 *Cydippe*] Velut κῦδος ἵππων, *gloria equorum*. Idem.

Lycorias] Sive a lapino habitu: sive ab *Apolline*, qui et λυκωρεὺς dictus. *Idem.*

Cydippeque, et flava Lycorias, &c.] Hujusmodi rationem, in qua primum fit collectio, deinde distributio, aptam esse orationi grandi conficiendæ ex Hermogene notavit Robortellus Emendationum II. 34. qui et multa Virgilii loca adnotat, eodem filo ducta. Sic Ecl. VII. primum colligit, 'Compulerantque greges Corydon et Thyrsis in unum.' Deinde distribuit: 'Thyrsis oves, Corydon distentas lacte capellas.' In Æn. XI. colligit: 'manibus jam tangeret æquis.' Distribuit postea ita: 'Læva aciem ferri, dextra nervoque papillam.' Demum observat duo alia loca ex Æn. XI. et tria ex X. *Cerda.*

Flava Lycorias] Referenda flavities non tam ad os, quam ad capillos aureos et rutilos. In hac enim re principem partem pulcritudinis ponunt fœminæ. Pind. Pyth. od. IX. hac sententia de puella pulcra, χρυσοστεφάνου ἥβας: *Pubertatis auro coronatæ.* Noster inf. de Arethusa: *flavum caput*. et Capitol. in Vero: 'dicitur sane tantam habuisse curam flaventium capillorum, ut capiti auri ramenta respergeret, quo magis coma illuminata flavesceret.' Eadem ferme Lampridius de Commodo: et Trebellius de Gallieno: et de Circe Orpheus: ἀπὸ κρατὸς γὰρ ἔθειραι Πυρσαῖς ἀκτίνεσσ' ἐναλίγκιοι ἠώρηντο: *At rudii similes solaribus undique crines Se fundunt humeros circum.* Et de capillis Anthol. III. ξανθαῖσιν χαρίτεσσιν. et l. VII. ξανθίσματι χαίτης. His apparet flavorem ad caput commodissime referri posse. *Idem.*

340 *Altera tum primos Luc. exp. lab.*] Hom. Il. P. μήτηρ πρωτοτόκος κινυρὴ, οὐ πρὶν εἰδυῖα τόκοιο. Euripidi ἀνειλείθυια dicitur ἡ μὴ γεννήσασα γυνή. *Germanus.*

Lucinæ labores] Parientium dolores *labores*, Latine appellantur. ὠδῖνες Græce. Ovid. Metam. IX. 674. 'minimo ut relevere labore: utque marem paria.' Inde Ter. An. I. 5. 34. 'laborat e dolore.' *Emmeness.*

341 *Clioque et Beroë soror*] Venit mihi in mentem, an legendum, *Thoëque, Ocyroë soror:* nisi in *Thoë*, repugnaret syllaba. Nam Nympharum marinarum nomina. Clio alia nomenclatura insignis sub Musarum numero. *Cerda.*

Clio] Κλείειν, *laudare*. Hoc nomine et una est e Musis. *Taubmann.*

Beroë] A sonitu. *Idem.*

Oceanitides] Hesiod. in theog. et Callimach. in hym. Dianæ alia forma dicunt ὠκεανίνας. *Cerda.*

Oceanitides] De filiabus Oceani Hygin. Fab. 182. fuerunt tria millia, τρισχίλιαι ὠκεανίτιδες, ut Apollod. Biblioth. I. *Emmeness.*

342 *Pictis incinctæ pellibus ambæ*] Nebridas habentes. sed hic venatricum est habitus, quem ideo Nymphis dat, quia multas eas legimus ex venatricibus factas. ut, 'Et tandem positis velox Arethusa sagittis.' Notanda autem est figura honestissima facta ex repetitione sermonis: ut, *Oceanitides ambæ, Ambæ auro, pictis incinctæ pellibus ambæ.* Servius.

343 *Atque Ephyre, atque Opis, et Asia, Deïopea*] Qui versum corrigere voluere, ita scripserunt, *atque Asia Deïopea*, sublato *et*. At non adverterunt ex antiquis codicibus legi debere, *atque Ephyre, atque Opis, et Asia Deïopea.* In Ephyre enim nulla Synalœpha, sed spondeus est *re at.* Inde Dactylus *q'Opis et.* inde alii duo Dac-

tyli cum pede bissyllabo finali *Asia Deïopea.* Pierius.

Ephyre] Hæc Corintho nomen dedit: unde Ge. II. *Ephyreia æra.* Taub.

Opis] Ab *oculis:* ab adspectu. *Id.*

Asia Deïopea] Alii leg. e v. codd. *Atque Ephyre, atque Opis, et Asia Deïopea.* Turneb. ita: *atque Asia, Deïopea:* ut duarum Nereidum nomenclatura sit, auctore Hygino, qui et nomina eodem plane contexuit ordine, quo versui Maro intexuit: XXVIII. 43. *Idem.*

Asia] Ab Asia forte palude: de qua Æneid. VII. 'sonat Asia longe Pulsa palus.' *Idem.*

Deïopea] De hac Æneid. I. *Idem.*

344 *Et tandem*] Id est, tandem virginitate deposita. *Philarg.*

P. sagittis] Venatrix enim fuerat, et Dianæ comes. Vide Ovid. Met. V. *Taubmann.*

345 *Curam inanem*] Definitio est amoris. *Servius.*

Curam Clymene narrabat inanem] In antiquo exemplari *curas inanis* numero multitudinis. *Pierius.*

Curam inanem] Diffinitio *amoris,* auctore Servio. Alii curam Vulcani nil proficientem in custodienda uxore Venere intelligunt. Quidam et de ærea plagula fabricanda exposuerunt, qua Mars et Venus irretiebantur. De qua re Homerus Oδ. Θ. et Ovid. Met. IV. et de Arte II. Jam vero, secundum Donatum, hoc ita distinguendum, *Vulcani Martisque dolos et dulcia f.* atque sic inferendum, ut *Dolos* ad Vulcanum; *Furta dulcia,* id est, furtivos concubitus, ad Martem referamus. Tale furtum Poëtæ Græci ad verbum *φόριον εὐνὴν* dicunt. Silius l. VII. *Et furto genitus, &c.* Taubm.

Clymene] Ab insigni gloria. *Idem.*

346 *Volcani*] In antiquo codice *Volcani* prout ejus exigit etymologia. non *Vulcani.* Pierius.

Volcani Martisque dolos] Secundum Donatum hic est distinguendum: ut *Dolos* ad Vulcanum; *Furta dulcia,* id est, adulterium, referamus ad Martem: scimus enim quod, Sole indicante, Mars cum Venere deprehensus est, et per artem Vulcani est religatus catenis. *Servius.*

Volcani Martisque dolos] Hujus cantionis et fabulæ argumentum ex decoro videtur Maro Naiadi nymphæ tribuere, idque allegorica ratione, a physico et elementari aquæ et ignis dissidio: tum in Vulcani invidiam et ludibrium, tum quod et Harmonia ipsa Martis ex Venere filia a poëtis fingitur, *διὰ τὸ τὸν θυμὸν καὶ τὴν ἐπιθυμίαν κεκρᾶσθαι ἀλλήλοις,* ut docuit Eustath. in eum Il. Φ. locum, *Τὸν δ' ἄγε χειρὸς ἑλοῦσα Διὸς θυγάτηρ ἀφροδίτη.* Eandem autem hanc cantilenam Demodoco tribuit Hom. Od. Θ. *Αὐτὰρ ὁ φορμίζων ἀνεβάλλετο καλὸν ἀείδειν, Ἀμφ' ἄρεος φιλότητος, ἐϋστεφάνου τ' ἀφροδίτης.* *Germanus.*

Dulcia furta] Vocat dulce furtum adulterium Martis cum Venere, insigni contumelia in Vulcanum. Vox ipsa ducit nos ad Homer. Od. VIII. Ab hoc enim accepit Noster sententiam horum versuum: *Αὐτὰρ ὁ φορμίζων ἀνεβάλλετο καλὸν ἀείδειν Ἀμφ' ἄρεος φιλότητος, ἐϋστεφάνου τ' ἀφροδίτης, Ὡς τὰ πρῶτα μίγησαν ἐν ἡφαίστοιο δόμοισι Λάθρη: Ceterum ipse citharœdus cœpit pulcre canere De Martis amore, pulcreque coronatæ Veneris, Ut primum commisti fuerint in Vulcani ædibus Furtim.* Est etiam Odys. XXII. *μίσγοντο λάθρη,* et Il. II. *ὁ δέ οἱ παρλέξατο λάθρη.* et in Dion. Chrys. de re eadem: *ἐν σκότει,* et *κρύφα.* Tu expende, quam suaviter Virgilius tres versus Homeri duobus incluserit. *Cerda.*

Dulcia furta] Sic rapti amores, furtivi concubitus, et adulteria Latine nominantur; Græce *λέχος κρυπτόμενον,* quo cum gaudebat Jupiter, inde *δολόπλοκος* appellatus, quia nihil non moliebatur, ut furtivos concubitus obiret suos: de Jove Ovid. Met. I. 606. 'Deprensi toties jam nosset furta mariti.' idem Epist.

Heroid. XVII. 141. 'Sum rudis ad Veneris furtum.' et Epist. XVIII. 'furti tempora prima mei.' Tibull. El. I. 2. 'celari vult sua furta Venus.' sic El. V. 4. jurat per *dulcissima furta*. Emm.

347 *Aque Chao*] Et a Chao narrabat crebros amores deorum. *Servius.*

Aque Chao densos divum numerabat amores] In vetustis aliquot exemplaribus, *atque* legere est. Quod etiam habetur in exemplis Arusiani, sed enim mihi non satisfacit. Cæterum *eque Chao* legendum esse colligitur ex Servio: ubi in Bucolicis versum hunc citat in ejusdem eloquutionis argumentum quæ est Ecloga septima, *eque cava resonant examina quercu*. Ait enim *eque sacra*, et de sacra, ut, *Eque Chao densos divum enumerabat amores:* id est, a Chao: ultimum hoc multi postea in contextum recepere. Illud etiam observatione dignum quod *enumerabat* non invenuste legitur a Servio, qui numerus in hoc genere carminis multum decoris, et venustatis habet. Placet tamen *aque Chao* ut pleraque habent exemplaria. *Pier.*

Aque Chao] Hesiodum videtur respexisse, qui non solum principia rerum, sed generationem, propagationemque rerum Deorumque χάει videtur attribuere in Theog. ἤτοι μὲν πρώτιστα χάος γένετο· et post paulo: ἐκ χάεος δ' Ἔρεβός τε μέλαινά τε νὺξ ἐγένοντο, νυκτὸς δ' αὖ τ' αἰθήρ τε καὶ ἡμέρα ἐξεγένοντο. Nempe statim post Terram Amorem vult generatum Hesiodus: quam Terram nascendi ordine Deos omnes præcessisse, idem auctor est: ut non frustra poëta Chao Deorum amores subjunxisse videri possit. Servius *A que Chao* legisse videtur. Nescio autem, an incongruum huic loco erit, si nymphæ personæ Potameidis vel Nereidis convenire dixerimus hanc sententiam pro decoro et habitatione, ut accipiamus derivasse eam primordia rerum ab humore, quod χάος χύσιν, τὸ ὕδωρ. Plutarchus interpretetur in lib. πότερον ὕδωρ, &c. his: συμφωνεῖ δὲ καὶ ὁ Ἡσίοδος εἰπὼν, ἤτοι μὲν πρώτιστα χάος γένετο, τοῖς πλείστοις ἀνομακέναι δοκεῖ τὸ ὕδωρ τοῦτον τὸν τρόπον παρὰ τὴν χύσιν. Germanus.

Densos] Crebros confusosque. *Taub.*

348 *Moll. pensa*] Lanæ scil. Milesiæ. Ovid. 'versato ducentem stamina fuso.' *Idem.*

349 *Devolvunt*] Ita Æn. I. cum respectu ad lanificium: *volvere Parcas*. Inducit vero Poëta aquarum Nymphas, operam dantes lanificio, ut Najadas ante illum Homer. Od. XIII. Ἔνθα τε νύμφαι φάρε' ὑφαίνουσιν ἁλιπόρφυρα, θαῦμα ἰδέσθαι: *Illicque Nymphæ Lintea texunt cærulea, mirabile visu*. Cerda.

Impulit aures] Pari verbo frequentissime Græci. Apollon. lib. I. οὔατ' ἔβαλλε: *aures perculit*. Soph. Antig. φθόγγος βάλλει δι' ὤτων. Repetit in Philoctete. Synes. Epist. 57. ἐβαλλόμην ἀκοῇ. Sumsere omnes ab Hom. qui Il. X. ἀμφὶ κτύπος οὔατα βάλλει. Latinos quid numerem? Nunc mihi ante oculos Silius lib. II. Claudianus I. in Eutrop. Papinius Theb. IV. qui usi eadem phrasi. Illustravi verbum vatis, tendo ad variationem. Sophoc. Antig. flexu isto, παιδός με σαίνει φθόγγος. Synes. Epist. 123. ab apibus: ἐμβομβεῖ μοῦ ταῖς ἀκοαῖς ἠχώ: *Sonus aures meas bombo obstrepit*. Artemid. I. 25. μαστιγοῦσθαι τὰ ὦτα: *flagellari aures*. Hom. Od. XVI. περί τε κτύπος ἦλθε. Apollon. Arg. III. μὴ πατρὸς ἐς οὔατα μῦθος ἵκηται. Papin. Sylv. IV. 'Sonus geminas mihi circuit aures.' Par ferme locutio Claud. de VI. Cons. Hon. 'Nomen circumsonat aures.' Silius l. XIII. 'Subit vox diffusa per aures.' Ibidem: 'Vox attigit aures.' Quod hemistichium etiam est in Val. Arg. II. et in Claudian. de Bel. Get. et in Ovidio. Papinius Theb. IX. 'lapsa est ad aures.' in XII. 'accessit sonus aures.' Plaut. Amph. 'vox aures verberat.' Serviunt istæ variationes auspicantibus Poësin, *Id.*

350 *Vitreisque sedilibus*] Ergo vellera similia esse debent, ubi perlucidus et cæruleus est color. *Philarg.*

Vitreisque sed.] Quod aqua sit pellucida, ut vitrum. Unde et *Nymphas* in aquis habitantes *Vitreas* appellamus. Statius: 'vitreæ juga perfida Circes.' quibus et vellera ejusdem coloris noster tribuit Poëtice admodum; supra vs. 335. *Taubmann.*

352 *Summa flavum caput extulit unda*] Mire per transitum veritatem tetigit. Namque Arethusæ fons dulcia fluenta inter medios habet fluctus. *Servius.*

Summa flavum caput extulit unda] Mirifice placet, quod in plerisque codicibus antiquioribus *flavum caput* legitur, Epitheton quidem cultui muliebri congruum: nam *Placidum* hic otiosum videretur. Quod alibi Neptuno signate est attributum, procellosa dispulsa tempestate, tranquillitatem inducturo. *Pierius.*

Flavum caput extulit unda] Simili sæpe inventione lusum a Poëtis. Nam extulisse capita ex imis gurgitibus de Arethusa Ovidius scribit Met. v. et de Tiberi Fast. v. De eodem Tiberi Albinovanus ad Liviam. De Ismeno amne Papinius Theb. IX. et de Vulturno Sylvar. IV. de Neptuno Silius VII. et de Nymphis eod. lib. de Thetide Homerus Il. I. Sed qua forma hoc dicunt Virgilius, Ovidius, Silius, *extulit*. Ovidius, Albinovanus *sustulit*. Papinius bis *levat*. Silius *emersere*. Homerus ἀνεδύσατο. Contrariam sententiam extulit Apollon. l. IV. per ἐδύσατο, quod oppositum Homerico ἀνεδύσατο. Idem Apollon. eod. l. dixit, καταδῦναι βένθος. Silius l. XII. per *condidit*. et l. XVII. *mergo*. et l. I. *demergere*. Ovidius Met. IX. *abdidit*. et Fast. v. *subiit*. Multa amputavi ex hac nota. *Cerda.*

354 *Cyrene soror*] Propter similitudinem potestatis, ait *soror*. Nam Cyrene, Thessaliæ: Arethusa vero de Elide. *Servius.*

Tua maxima cura] Quem plurimum diligis. *Idem.*

Tua maxima cura] Alibi: *Mea maxima cura.* et, *Veneris justissima cura.* Papin. Sylv. IV. 'Tua cura potissima Gallus.' *Cerda.*

355 *Tristis Aristæus, &c. Stat lacrimans*] Similia de Aristæo Ovid. Fast. I. 363. 'Flebat Aristæus, quod apes cum stirpe necatas Viderat inceptos destituisse favos. Cærula quem genitrix,' &c. *Emmeness.*

Penei genitoris ad undam] Aut tui genitoris, aut honoris est. ut, *Tibri pater*. Servius.

356 *Et te crudelem nomine dicit*] Explicat locum istum Serv. Æn. I. observans, minoris esse majorem compellare meritis, non nomine: ut cum ait Æolus, 'Tuus o Regina quid optes Explorare labor.' Qui ordo non corrumpitur, nisi per indignationem, ut hoc loco. Aristæus enim indignans Cyrenem ipsomet nomine compellat, non matris merito. *Cerda.*

Crudelem] Quod filii calamitate non movearis. *Taubmann.*

357 *Perculsa*] In Mediceo, et nonnullis aliis codicibus pervetustis, *percussa* legitur: de quo alibi. *Pierius.*

Nova formidine mater] Magna. ut, 'Pollio et ipse facit nova carmina.' *Servius.*

358 *Fas illi limina divom Tangere*] Utroque enim deo parente nascebatur. Ideo *fas tangere* ait. *Idem.*

359 *Simul alta jubet discedere*] Sic Hom. Il. N. de Neptuno curru mare percurrenti, γηθοσύνῃ δὲ θάλασσα διΐστατο· et infra, 'video medium discedere cælum.' Et Il. Ω. ἀμφὶ δ' ἄρα σφι λιάζετο κῦμα θαλάσσης. Item M. Tull. Off. l. III. 'cum terra discessisset magnis quibusdam imbribus.' et Calab. III. ἀμφὶ δ' ἄρα σφιν Νισσομένῃσι θάλασσα διΐστατο. *German.*

361 *Curvata in montis faciem circumstetit unda*] Multa sunt loca Homeri, quibus potuit hærere. Ex Macrobii mente, et Hartungi Decuria 2.

versib. ex Od. xi. Πορφύρεον δ' ἄρα κῦμα περιστάθη οὔρεϊ ἶσον, Κυρτωθὲν, κρύψεν τε θεόν: *Cæruleum circa fluctum circumstetit monti æqualem, Curvatum, absconditque Deum.* Ex Ursini Il. xviii. περὶ δέ σφισι κῦμα θαλάσσης ῥήγνυτο: *Circum vero ipsas se fluctus maris rupit.* et Il. xxiv. Ἀμφὶ δ' ἄρα σφι λιάζετο κῦμα θαλάσσης: *Circum autem ipsas diduxit se unda maris.* Ex Jul. Scaligeri Odys. v. Τὸν δ' ἐφόρει μέγα κῦμα κατὰ ῥόον ἔνθα καὶ ἔνθα: *Hunc autem ferebat ingens fluctus per undarum impetum huc atque illuc.* Ad hunc, etiamsi diversa ratione, allusit, ait Scalig. nam illud, ἔνθα καὶ ἔνθα, expressit per *circum*. et μέγα per *montis*. Scaliger ipse *molis* legit. Lege in illo, quo vitio Homerum notet. Ovid. Met. xv. ad Nostrum ita accessit: 'Cum mare surrexit, cumulusque immanis aquarum In montis speciem curvari, et crescere visus.' *Cerda.*

Curvata, &c.] Hunc v. committit Scalig. cum Homerico Ulysseæ v. 3. Caussam incurvationis hujus reddit Aristot. iv. 4. Meteorol. *Taubmann.*

Curvata unda] Sic Sil. Ital. l. i. 'Curvatis pavidas transmittit Cycladas undis.' Ubi consulendus Dausqnius. Hujus etiam loci meminit Macrob. Saturn. v. 3. *Emmeness.*

362 *Accepitque sinu vasto*] Sic et Sophocles ὠκεανὸν εὐρύκολπον vocat. *Germanus.*

364 *Speluncisque lacus clausos*] *Mirans*, per omnia subaudimus. Lacus autem dicit fontium et fluviorum receptacula. Hæc autem non sunt per poëticam licentiam dicta, sed ex Ægyptiis tracta sunt sacris: nam certis diebus in sacris Nili, pueri de sacris parentibus nati, a sacerdotibus Nymphis dabantur: qui cum adolevissent, redditi narrabant, lucos esse sub terris, et immensam aquam, omnia continentem, ex qua cuncta procreantur. Unde est illud secundum Thaleta; 'Oceanumque patrem rerum.' *Serv.*

Speluncisque lacus clausos, &c. ingens. mot. stupef. aquarum, &c.] Haud dubie videtur respicere Maro opinionem physiologorum illorum, ab Aristotele confutatam Meteor. l. i. de fluviorum generatione, ita statuentium: aquam scilicet solaribus radiis levatam, in sublime, cum pluta rursum, aggregata, congestaque fuerit in terræ visceribus, tanquam ex alvo prægrandi erumpere, et aut fluvios omnes ex uno, aut alium ex alio scaturire, nec nihilum gigni aquam; sed quæ hibernis mensibus in hujusmodi conceptacula collecta fuerit, hanc in amnium evadere multitudinem, et ob id majores semper hieme, quam æstate profluere, quosdam perennes esse, quosdam secus. Cæterum dat quidem Aristoteles fluminibus fontem, principiumque aliquod, non a quo, quasi e vase quodam promatur aqua, sed in quod primum, quæ assidue fit, concurrere, atque coagmentari soleat: ὅτι δεῖ νομίζειν, inquiens, οὐχ ὥσπερ ἐξ ἀγγείου ταμιευόμενον, τὴν ἀρχὴν εἶναι πηγὴν, ἀλλ' εἰς ἣν ἀεὶ γινόμενον καὶ συρρέον ἀπαντᾷ πρώτην. *Germanus.*

367 *Diversa locis*] Pro diversis locis. *Philarg.*

Phasimque] Fluvius Colchidis. *Servius.*

Phasimque] *Phasis* amnis in Colchide. *Philarg.*

Phasimque, Lycumque] Fluvii sunt Colchorum, ideo utrumque conjungit, ut etiam Strab. l. xi. ποταμοὶ δὲ πλείους μέν εἰσιν ἐν τῇ χώρᾳ, γνωριμώτατοι δὲ Φᾶσις μὲν, καὶ Λύκος: *Multi fluvii in regione sunt, sed clarissimi Phasis et Lycus.* Cerda.

Phasimque] De hoc amne Plutarch. libello περὶ ποταμῶν: et Mela i. 19. 'Hic Colchi, hic Phasis erumpit.' Inde Colchorum regina Medea '*Phasias*' et *Phasis*, apud Ovid. Epist. Heroid. vi. *Emmeness.*

Lycumque] Fluvius Asiæ. *Servius.*

Lycumque] *Lycus* in Syria. *Philarg.*

Lycumque] In Syria *Lycos* est, Plin.

v. 27. et quidem in Antiochena ponit hunc fluvium Mela I. 12. 'amneaque inter eas eunt Lycos,' &c. Meminit hujus subsidentis sub terra Ovid. Metamorph. XV. 473. 'Sic ubi terreno Lycus est epotus hiatu.' *Emmeness.*

368 *Caput*] Lambinum arguit Robert. Titius Controvers. IV. 24. qui *caput* non pro origine, sed pro fine fluminis dici arbitratur. Eum adito, si exemplis indigeas. *Idem.*

Enipeus] Thessaliæ fluvius. *Servius.*

Primum se erumpit Enipeus] In Romano codice legere est, *primum se rumpit*. In Oblongo illo, quem Pomponius Lætus delitias suas est appellare solitus, *primum erumpit*, sine ulla prorsus collisione, et ita erat prius in codice Mediceo. In aliquot aliis, *Enipheus* est per φ. Sunt enim qui *Enipheu* fluvii nomen ab Enipeo Trojano viro, cujus Homerus mentionem fecerit, hac scriptura distinguant. *Pierius.*

Se erumpit Enipeus] Pari forma Lucret. IV. 'Tandem ubi se erupit nervis collecta cupido.' Sic et Euripides in Oreste mare ipsum ταυρόκρανον vocavit, ἢ πόντον, ὠκεανὸς ὃν ταυρόκρανος ἀγκάλαις ἑλίσσων κυκλεῖ χθόνα. et Sophocl. in Trach. de Acheloo, ἀνδρείῳ τύπῳ βούκρανος, vel a mugitu, vel quod ut boves terram fluvii scindant, vel quod loca fluviis irrigua, vel vicina pabuli lætitia vigere soleant. Vide Aristot. in quæst. διατί ἐν τοῖς ἕλεσι τοῖς περὶ τοὺς ποταμοὺς γίνονται οἱ καλούμενοι βόμμυκοι, οὓς μυθολογοῦσι ταύρους ἱεροὺς εἶναι τοῦ θεοῦ. *German.*

Se erumpit Enipeus] Enipeus numeratur inter flumina Thessaliæ a Plinio IV. 8. Meminit Homer. Odyss. Λ. 237. ποταμοῦ Ἐνιπῆος θείοιο. Recte *se erumpit*, ut vs. 78. *se* subauditum vult Sanctius, ita expressum hoc loco, et XIX. 445. 'diversi sese erumpunt radii.' Sic a non nullis legitur hic versus. Vide Pier. et Sanctii Minervam p. 159. *Emmeness.*

369 *Pater Tiberinus*] Tiberis et Anio Italiæ sunt fluvii. *Servius.*

Pater Tiberinus] *Pater*, ut docet Turneb. advers. XIII. 8. nomen est divinitatis: ita *Tiberinus* dicitur Deus Æn. VIII. 31. 'Huic Deus ipse loci fluvio Tiberinus amœno.' Eo tamen nomine potissimum compellatur in precibus, ut Serv. Æn. VIII. 72. 'Tuque o Tibri tuo genitor cum flumine sancto.' Quem versum Ennio debet noster, testante Macrobio Saturn. VI. 1.: sic Æn. X. 421. 'Da nunc Tibri pater.' Et Horatius Cocles, cum, interrupto ponte, se præcipitaret in Tiberim: 'Tiberine pater,' inquit, 'te sancte precor,' &c. de quo lege Liv. II. 10. *Emmeness.*

Aniena fluenta] Pro *Aniene*: sic *Aniena unda* apud Propert. Eleg. I. 20. Antiquus nominativus est *Anien*, de quo Priscian. l. VI. pro quo in usu nunc est *Anio*. *Gelidi Anienis* meminit noster Æn. VII. 683. Tiburtini agri fluvius est, unde Propert. El. III. 21. 'Hic Anio Tiburte fluit.' 'Ortus in monte Trebanorum,' ut Plinius III. 12. 'tres amœnitate insignes lacus defert in Tiberim.' Idem testatur Strabo l. V. quare Horatio dicitur *præceps Anio* Od. I. 7. Et quemadmodum in libello de Cult. Hort. Columella meminit *pomosi Tiburis*, sic Propert. El. IV. 7. 'Ramosis Anio qua pomifer incubat arvis.' Hodie *Teverone*. Emmeness.

370 *Saxosumque sonans Hypanis*] Ponti fluvius. Et *saxosum* legendum est, non *saxosus*, ne sint duo epitheta: quod apud Latinos vitiosum est. *Servius.*

Saxosumque sonans] Alias *Saxosusque sonans*, non ut duo intelligendum, saxosus et sonans, sed ob saxa sonans. *Philarg.*

Saxosumque sonans Hypanis] In Romano codice, *saxosus* legitur, quod improbat Servius, ne duo sint epitheta, quod apud Latinos vitiosum est. Erat tamen in illo Oblongo perveteri, atque etiam in Mediceo, *saxo-*

sus: aliena inde manu *saxosum* est repositum. Sed quod Servius ait de duobus Epithetis, videtur *sonans*, loco verbi potius quam pro Epitheto positum. Neque hujus elocutionis exempla desunt. Quod vero *Misus* per *ψιλὸν* scribitur in codicibus nonnullis, antiqui aliquot per *y* scribunt. *μόνια γὰρ χῶρα καὶ πόλις* apud Stephanum reperitur. Quod autem ad denominativum pertinet, et *Mysi*, et *Mysii* populi dicuntur. Et Æolum lingua *Mysadi*. Illud addam, in Longobardico pro *Hypanis*, *Hypanus* per *u* legi ultima syllaba, ita etiam in Mediceo. *Pierius.*

Hypanis] *Hypanis* Scythiæ amnis. *Philarg.*

Hypanis] Ejus aquæ se exonerant in Pontum Euxinum, ubi cursum habuit per Vossiniam et Podoliam. *Bog* Geographis nunc appellatur. Hypanis mentionem infert Ovid. Metam. xv. 285. 'Quid? non et Scythicis Hypanis de montibus ortus Qui fuerat dulcis, salibus vitiatur amaris.' *Emmeness.*

Mysusque Caïcus] Qui per Mysiam labitur. *Servius.*

Mysusque Caïcus] De hoc Mysiæ flumine Strabo l. xiii. et Mela i. 18. nec non Ovid. Metam. ii. 243. 'Theutranteusque Caïcus.' a Theutrantia Mysiæ oppido, et xv. 277. 'Et Mysum capitisque sui ripæque prioris Pœnituisse ferunt, alia nunc ire, Caïcum.' *Emmeness.*

371 *Auratus cornua*] Ductum epitheton e cælesti ejus imagine. Eridanus enim triginta quatuor stellis insignitum sidus in cælo est. *Pontan.*

Taurino cornua vultu Eridanus] Sive Padus. Et ideo *taurino vultu*, quia ejus sonus, ut tauri mugitus: et ripæ flexuosæ sunt, ut cornu. *Probus.*

Taurino v.] Græcis *ταυρόμορφος*, *ταυρόκρανος*. Horat. Od. iv. 14. 'Sic tauriformis volvitur Aufidus.' V. N. Æn. viii. 65. *Taubmann.*

Taurino cornua vultu Eridanus] Ea enim est fluviorum natura, ut angues lapsu imitentur, obliquasque reddant ripas. Ovid. Metamorph. i. 'Fluminaque obliquis cinxit declivia ripis.' Unde qui præesse fluminibus existimati sunt dii, cornuti fingebantur propter riparum, alveorumque curvitates, flexusque ad cornuum bovinorum similitudinem. Quare hic Virgilius Eridano cornua et taurinum vultum tribuit. *Pontan.*

372 *Eridanus*] Fluvius Italiæ, qui et Padus vocatur. *Servius.*

Eridanus] Galliæ Cisalpinæ, qui et Padus dicitur. *Philarg.*

Auratus Eridanus] *Vel* propter auri ramenta: *vel* propter stellas, quibus ille inter astra insignis est: *vel* quia agri ubertate divites efficit. Alio nomine *Padus:* quem Ligures *Abodingum* appellant, quasi sine fundo, Bodemloss. De quo Polybius, et Plin. iii. 16. Et hinc fortasse est, quod postea Servius *purpureum* interpretatur, *nigrum* ex altitudine. *Taubmann.*

Eridanus] Alius a Rhodano fluvius, ut disputatum Ge. ii. 482. ibi de amne plura: quod et liquidum ex Ovid. Metam. ii. 258. 'Hesperiosque amnes Rhenum Rhodanumque Padumque.' Bene *taurino vultu*, nam ipse Fluviorum Deus apud Hesiodum in scuto Herc. vs. 104. *ταύρεος ἐννοσίγαιος.* sic tauriformes fluvii a violento strepitu, quem, dum fluunt, excitant: inde Festus designari ait, 'taurorum specie simulacra fluminum: id est, cum cornibus, quod sunt atrocia, ut tauri.' Quod passim videre est in numismatibus Antonii Augustini. Sed hæc jam vidit et docuit Cl. Grævius in addendis ad lect. Hesiod. p. 138. *Emmeness.*

373 *Purpureum*] Nigrum ex altitudine accipimus. Nam Padus non in Rubrum mare, sed juxta Ravennam in Adriaticum cadit. Et *purpureum* Græcum est epitheton: mare rubrum etiam dixit Homerus, εἰς ἅλα πορφυ-

ρόεσσαν. Unde apparet Victorinum hoc loco errasse, qui *purpureum mare* Rubrum esse dixit, quod est juxta Indiam. *Servius*.

Purpureum] Altum, et per hoc nigrum tropice: legitur et *influit*. Philarg.

In mare purpureum] Cæruleum. Etiam Hom. ἅλα πορφυρόεσσαν, et κῦμα πορφύρεον frequentat. Propert. el. II. 18. 'Qualem purpureis agitatam fluctibus Hellen.' Intelligit autem mare Adriaticum, in quod Padus quinque ostiis se exonerat, triginta secum flumina deferens. Philargyr. *purpureum* exponit *altum*, id est nigrum. *Taubmann*.

Violentior] De rapiditate hujus fluvii Georg. I. 'Proluit insano,' &c. *Idem*.

Effluit] Non *influit*. In Romano, et in codicibus perveteribus *effluit* legitur, quod veriti sunt *in* geminatum vitiosum esse, quum tamen hujusmodi exempla pleraque etiam apud Oratores inveniantur, quæ longum esset enumerare. *Pierius*.

374 *Thal. pend. p. tecta*] Περίφρασις antri. Eleganter autem *pendentia*; unde Senecæ toties, 'suspendere ædificia.' de Benef. VI. 16. Nat. Q. VI. 1. et Epist. XLI. 'Etsi quis specus saxis penitus exesis montem suspenderit,' &c. *Pensiles* etiam *horti* ideo dicti, quia columnis suspensi nutabant. De qua re copiose Laur. Ramirez. ad Mart. *Taubmann*.

375 *Fletus inanis*] His enim movebantur rebus, quarum erat facilis reparatio; ideo *inanes* dixit. *Servius*.

Inanis] *Inanes* pro levibus, et quibus succurri posset. *Philarg*.

376 *Dant ordine fontis*] Rite secundum ordinem epularum. *Servius*.

377 *Mantelia*] Quibus manus terguntur. *Idem*.

Mantelia] Hujus singulare *Mantelum*. Plautus in Captivis: 'Nec Sycophantiis, nec fucis ullum mantelum obviam est.' Lucilius autem *mantela* dicit mappas: 'Mantela, merumque.' *Philarg*.

Tonsis mantelia villis] Nam et villosa erant, λάσια Polluci. Ovid. Fast. IV. 'Duxerat ad dextram villis mantile solutis.' Martial. XIV. 138. 'Nobilius villosa tegant tibi lintea citrum.' Χειρόμακτρον autem et *Mantile* ejusmodi: ὠμόλινον et ἐκμαγεῖον dicitur Eustathio. V. N. Æneid. I. et Plaut. Capt. act. III. 3. *Taubmann*.

Mantelia] Telæ manuum. Varro de L. L. l. v. *manterum* quasi *manuterum*. Rom. Cod. et Oblongus per *e*: inde apud Lucill. *mantella*, ut Dausq. in Orthogr. sic *mantelia* vel *a tergendis manibus*, vel *mandelia a mandendo* dici vult Isiod. XIX. 26. Glossæ vet. et Poll. VI. 14. χειρεκμαγεῖον *mantela*; pro quo et *mantelum* et *mantele* ut Salmas. Aug. Script. t. 2. p. 445. et 446. de usu mantelium disputat. Etymologus exponens quid sit χειρόμακτρον, inquit, ὃ παρὰ Ῥωμαίοις καλεῖται μανδίλιον. est etiam in usu *mantile* per *i*. de hac voce Salmas. Plin. exercit. p. 765. Casaub. ad Athenæum IX. 18. et Ferrar. de re vest. p. 1. c. 7. *Emmeness*.

378 *Plena reponunt Pocula*] Iterant, sæpe offerunt. *Servius*.

379 *Panchæis adolescunt ignibus aræ*] Id est, ture, Arabicis odoribus. *Adolescunt* autem pro incenduntur. κατ' εὐφημισμὸν ponitur. *Idem*.

Panchæis] Thura Panchæorum in honore. Noster supra Ge. II. 'Totaque thuriferis Panchaïa dives arenis.' Ovid. Metam. X. 'Cinnamaque, costumque suam, sudataque ligno Thura ferat, floresque alios Panchaïa tellus.' Claudian. Rap. II. 'Quicquid thuriferis spirat Panchaïa silvis.' De hoc thure capiendi Lucretius, Claudianus, Tibullus, Arnobius sub nomine odorum, ramorum, mercium, resinæ. Ait primus l. II. 'Araque Panchæos exhalat propter odores.' Alter de III. consulatu Honor. 'Indus ebur, ramos Panchaïa, vellera Seres.' Ter-

tius l. III. 'Illic, quas mittit dives Panchaïa merces.' Quartus l. VII. 'Panchaïcas ardere resinulas.' *Cerda.*

Adolescunt] Hic vim habet frequentationis, et *Panchæis adolescunt*, id est, Panchaicis odoribus incenduntur aræ. *Philarg.*

Adolescunt] *Adolescere* pro *incendi* usurpari Scottus nod. Ciceronian. IV. 4. monet, quia non patiebatur prisca superstitio scæva verba proferri, quibus vitiabantur Sacra: inde *mactare* pro *occidere: fuisse, abiisse, vixisse,* pro *mortem obiisse*: non pœnitebit de hoc verbo Sanctii Minervam consuluisse. p. 418. *Emmeness.*

380 *Cape*] Duo hic dicam: Primo de propinatione, qua se veteres excipiebant: deinde, de forma, qua illa fieret. Propinationis multa vestigia, præsertim in Athen. Nam l. I. Ulpianus sibi petit propinari. Et l. X. παρὰ μηδείῳ τῷ θεσσαλῷ δειπνῶν ἀλέξανδρος, εἴκοσιν οὖσιν ἐν τῷ συμποσίῳ πᾶσιν προὔπιε: *Alexander cum cœnaret apud Medium Thessalum, essentque in convivio viginti, omnibus propinavit.* Omitto hoc, tum quia obvium, tum quia alibi credo a me observatum. Pergo ad formam. Solemne fuit verbum *cape.* Hic Poëta: *cape Carchesia.* Seneca in Thyeste: 'Poculum infuso cape Gentile Baccho.' Silius VII. 'En cape, Bacchus ait, nondum tibi nota, sed olim Viticolæ nomen pervulgatura Falerni Munera.' Variata hæc forma per verbum τίθει ab Athen. l. X. per τίθει ab Homero Odys. III. et per *lacesso* a Val. Flacc. Arg. l. V. 'Et juxta Æsonidem magno cratere lacessit.' per *do*, ab Nostro Æn. I. 'Tum Bitiæ dedit increpitans.' et Athen. l. II. τῇ δεξιᾷ διδοὺς τὸ ποτήριον: *dans dextra poculum.* Hanc formam sæpe Homerus infert. Porro is, cui propinabatur, dicebat Latinis *capio*, Græcis λαμβάνω. Seneca in Thyeste: 'Capio fraternæ dapis Donum, paternis vina libentur Diis.' De Græcis, Anacr. τὸ μὲν οὖν πῶμα λάβωμεν: *Itaque poculum capiamus.* Athen. l. X. παρὰ πάντων τὰ ἴσα λαμβάνων: *omnium propinationes accipiens.* Et l. VI. δημοσθένης παρ' ἁρπάλου τὴν κύλικα εἴληφη: *Demosthenes ab Harpalo accepit calicem.* Cerda.

Mæonii Bacchi] Lydii vini. *Carchesia* autem poculorum sunt genera. *Servius.*

Mæonii] Quæ nunc Lydia, olim *Mæonia* vocabatur. In hac regione mons est Tmolus, ferax boni vini. *Phil.*

Bacchi] Quæ Baccho, id est, vino impleri solent; ceterum Nymphis libari vino Pontifices negant; et sane mox interdictum evidenter apparuit, cum ait: 'Ter liquido ardentem perfudit nectare Vestam.' *Idem.*

Mæonii Bacchi] Id est, præstantissimi vini, quale in Mæonia sive Lydia nascitur. Ea enim regio Sole perusta, arboribus omnino exsuta scribitur, præter vitem. unde et κατακεκαυμενίτης οἶνος appellatur: quod hic notari Cæl. Rhodiginus auctor est VII. 14. *Taubmann.*

Carchesia] Ita Æn. V. 'mero libans carchesia Baccho.' Fuit autem *Carchesium, poculum procerum et circa medium partem compressum mediocriter, ansatum, ansis a summo ad infimum pertinentibus*: ut ex Athenæo (pag. 475. Edit. Casaubonicæ) refert Macrob. V. 21. *Idem.*

381 *Oceano libemus ait*] Quasi Nympha Oceano sacrificat. *Servius.*

Libemus] Sacrificemus. *Philarg.*

Libemus] In omni convivio id quod offerebatur in honorem Deorum, exprimebatur verbo *libo.* Athen. l. IV. Homerum laudat, quia is convivas faciat σπονδοποιοῦντας: *libantes.* Atque id ipsum fecisse Platonem, et Xenophontem observat, reprehenditque Epicurum, quod οὐ σπονδὴν, *libamen nullum* Diis offerret, sed sacra comederet, ut ait Simonides, ἄθυτα, *illibata.* Cerda.

382 *Oceanumque patrem*] Secundum Thaleta, ut supra diximus. *Servius.*

Oceanumque] Secundum Physicos dixit, qui ajunt omnium rerum elementum aquam esse: in quibus Thales primus. *Philarg.*

Oceanumque patrem rerum] Ex opinione eorum, qui *aquam* rerum omnium principium statuerunt; unde non solum Juppiter, sed et Neptunus φυτάλμιος Græcis. De quo Aristot. Metaphys. I. V. et N. Georg. I. 12. *Taubmann.*

Sorores] *Sorores*, aut inter se, aut suas. *Philarg.*

383 *Centum quæ silvas, centum quæ flumina servant*] Aut ducentas esse dicit: aut finitus est numerus pro infinito. *Servius.*

Servant] Pro incolunt, et obtinent: ut ipse alibi: 'Servantem ripas alta non vidit in herba.' *Philarg.*

384 *Perfudit nectare Vestam*] Id est, in ignem vinum purissimum fudit: post quod, quia magis flamma convaluit, bonum omen ostendit. *Servius.*

Vestam] Pro igni; et videtur superius de aqua sensisse, non de vino. *Philarg.*

Ardentem perfudit nectare Vestam] Vinum intelligit, cujus effusio fausta semper in sacris. In Il. XVI. Achilles Λεῖβε δὲ οἶνον Οὐρανὸν εἰσανιδών: *Libavit vinum cælum suspiciens.* Exempla obvia. Inde ab eodem Hom. Odys. l. XII. notatur ut infaustum vinum non libari, sed sacrum fieri aqua, vini inopia: Οὐδ' εἶχον μέθυ λεῖψαι ἐπ' αἰθομένοις ἱεροῖσι, 'Αλλ' ὕδατι σπένδοντες: *Neque vinum habuerunt ad libandum super incensa sacra, Sed libantes aqua.* Par locus est apud Apollonium l. IV. ubi vini inopia libatio fit aqua, atque ob id ipsam Heroës illi, qui sacrum peragebant, ridentur ab mulierculis Medeæ. Est etiam ad hanc rem aliquid in Silio l. VII. apud quem Bacchus, visa libatione absque vino, ne hoc in ea deesset, Falernum creavit. *Cerda.*

Ter flamma ad summum tecti subjecta reluxit. Omine quo firmans animum] Cum flamma subito, et sponte in sacris, et libamentis exiliebat, et sursum altissime se efferebat, boni erat ominis indicium. Consule Turneb. advers. XIX. 27. et Maronem nostrum Ecl. VIII. 105. 'corripuit tremulis altaria flammis Sponte sua, dum ferre moror, cinis ipse: bonum sit.' Vide ad hunc locum Servium. Ovid. Metam. X. 278. 'et amici numinis omen Flamma ter accensa est; apicemque per aëra duxit.' Eum in finem vinum infundebatur in ignem, ut luculentior inde surgeret flamma; nam, ut Ovid. alibi, 'Solet effuso surgere flamma mero.' *Emm.*

387 *Est in Carpathio*] Carpathos, insula contra Ægyptum, a qua vicinum pelagus *Carpathium* appellatum est. Hic aliquando regnavit Proteus, relicta Pallene civitate Thessaliæ; ad quam tamen reversus est postea: quod ostendit hoc loco; dicens, 'Patriamque revisit Pallenen.' *Servius.*

Carpathio] Ægyptio. *Carpathos* enim insula est Ægypti. vel ut Pompejus dicit, insula Rhodiorum. Alii sic: *Carpathium* mare inter Rhodum et Alexandriam, quod abesse dicitur a Carpatho insula, ut Lucilius: 'Carpathium mare transvectus, cœnabis Rhodi.' *Philarg.*

Est in Carpathio] Vide eum locum Æn. v. 'Carpathium Siculumque secant mare.' Ut autem *vates cæruleus*, γέρων ἅλιος Hom. Totus autem hic locus, sequentesque versus pene omnes ex Od. Δ. ubi Menelaus ex consilio Idotheæ extorquet vinculis vique vaticinium. *Germanus.*

Est in Carpathio, &c.] Totus hic locus ex Odyss. Δ. est. Quanquam P. Victorius x. 21. a Pherecyde sumptum dicat. Tot autem fere allegorias huic figmento induerunt, quot Proteus ipse sibi formas. Diod. Siculus ad historiam regum Ægyptiorum refert, qui diadematum formas subinde variarint. Lucianus Protea

ludium facit et histrionem. Plato de fallaciis Sophistarum exposuit. Alii de Natura varias species gignente: alii de variis vestimentorum formis, quibus uterentur populares Protei. Cæs. Calcagninus per Protea Veritatem intelligit, quæ in abdito latens difficulter deprehenditur. Alii imaginem habere censent Viri Prudentis. Melanchthon conversiones istas ad Intelligentiam refert, quæ se in omnes q. species transformet. Natalis de Comitibus vim aëris interpretatur, quem vide in Mytholog. VIII. 8. *Taubmann.*

Est in Carpathio, &c.] Sic Ovid. XI. 249. 'Donec Carpathius medio de gurgite vates,' &c. *Emmeness.*

388 *Cæruleus Proteus*] Hom. γέρων ἅλιος. de pari aquarum Deo Ovid. Cæruleum Tritona. Cerda.

Magnum qui piscibus æquor] Equi enim marini prima parte equi sunt, postrema resolvuntur in pisces. *Serv.*

Piscibus] Eosdem et pisces et equos dicit. *Philarg.*

Magnum æquor] Observat Gifan. Græcorum ἅλα δῖαν, redditum per mare magnum a Latinis. Horum princeps fuit Livius Andron. qui apud Festum: 'Celsosque ocris, arvaque patria, et mare magnum.' Sicuti deinde alii; nam Ennius apud Cic. de Divin. I. et Epist. ad Atticum: 'Jamque mari magno classis cita texitur.' Lucret. l. VI. 'Fluminibus, magnoque mari, cum frangitur æstu.' Virgil. hic: 'magnum æquor.' Val. Flac. Arg. I. 'Quantibus, et magni numen maris excitat Helle.' Hi omnes reddunt ἅλα δῖαν. *Cerda.*

389 *Juncto curru*] Pro adjunctis simul equis, ut hunc locum interpretatur Scheff. de re vehic. I. 12. sic absolute *Junctum vehiculum* I. 14. quales hi fuerint equi, docet idem Scheff. de re vehic. I. 18. *Emmeness.*

Metitur] Æmulatur. Ovid. Met. l. IX. 'Ægeas metiris aquas.' Sil. l. XV. 'ducens pelagi terræque laborem Diversum emensos.' Claud. de Bel. Get. 'Metimur flumina.' Cum vero Poëta conjungat verbum istud cum magno mari, videtur omnino hæsisse versui Lucillii. Hic apud Nonium: 'Vir mare metitur magnum, se fluctibus tradit.' Non abludit, 'mare immensum,' quod frequentissimum Poëtis. *Cerda.*

390 *Emathiæ*] *Emathiæ*, id est, Macedoniæ, propterea meminit hoc loco, quia contermina est Thraciæ. Alii sic: *Pallene* insula secundum Thermodontem, dicta a Palla Sithonis filia, quæ nunc Chersonesus vocatur; hanc Proteus quondam, propter Busiridis crudelitatem relicta Ægypto, petiit. *Philarg.*

391 *Pallenen*] Hoc ideo dixit, quia Proteus antequam in Ægyptum commigraret, Thraciæ fuit incola, ubi habuit uxorem Coronem: filios, Telegonum, et Polygonum: qui cum advenas luctari secum adigerent, et excruciarent; ad postremum victi et interempti ab Hercule, animum patris perculerunt. Quapropter cum tædio præsentium rerum, vellet solum vertere, Neptunus illic super mare specum fecit, per quam in Ægyptum commeasse dicitur. *Pallene* autem est Chersonesus in Thracia, cujus in faucibus Corone est oppidum, ab uxore Protei cognominatum. *Idem.*

Pallenen] Scribit Isacius in Lycoph. Proteum fuisse Ægyptium genere. Plato etiam in Euthyd. πρωτέα αἰγύπτιον σοφιστήν: Proteum Ægyptium sophistam. Et Hom. πρωτεὺς αἰγύπτιος. Addit Isac. ex Ægypto migrasse Phalagram Pallenen, ubi uxorem Toronem duxit, et filios habuit Tmylum, (aliqui male legunt Tmolum) et Telegonum. Inde itaque et Phalagreus, et Pallenius dictus: non tantum Ægyptius. Pallenæ meminit Demosthenes in Halonneso. *Cerda.*

Pallenen] Hanc Stephanus dicit esse πόλιν Θρᾴκης καὶ χερρόνησον. De peninsula Strabo in excerpt. l. VII.

χεῤῥόνησος κεῖται ἐν τῷ ἰσθμῷ, ἡ πρὶν μὲν ποτιδαία, νῦν δὲ κασσάνδρεια, φλέγρα τὸ πρὶν ἐκαλεῖτο. Meminit ejus Mela II. 2. *inter Athon et Pallenen, &c.* Emmeness.

392 *Grandævus*] Ita Æschylo παλαιγενὴς, Homero γέρων, Nostro statim *senis*. Porro Dii omnes marini, ut plurimum, senes finguntur ab spuma et canicie maris. *Cerda.*

Grandævus] Παλαιγενὴς Æschylo, πρεσβύτατος Hesiod. *Taubmann.*

Novit namque omnia] Homer. πάντα εἰδώς. Et de Proteo νημερτὴς: *veridicus.* Nonnus Dionys. XXI. παντιπόλῳ πρωτεῖ, *vati Proteo.* Ibidem νοεροῖο πρωτῆος, *sapientis Protei.* Cerda.

393 *Quæ sint, quæ fuerint*] Ut Homerus, ὃς ᾔδει τά τ' ἐόντα, τά τ' ἐσσόμενα, πρό τ' ἐόντα. *Servius.*

Quæ sint, quæ fuerint] Ab ipso trium temporum complexu non abeunt aliorum sententiæ. Hom. Il. I. de Chalchante: ὃς ᾔδει τά τ' ἐόντα, τά τ' ἐσσόμενα, πρό τ' ἐόντα: *Qui noverat et præsentia, et futura, et præterita.* Empedoclis apud Arist. Metaph. III. πάνθ' ὅσα τ' ἦν, ὅσα τ' ἔστι, ὅσα τ' ἔσται ὀπίσω: *Omnia, quæ fuerunt, quæ sunt, quæ erunt deinde.* Platon. leg. X. τῶν ὄντων, καὶ γεγονότων, καὶ ἐσσομένων. Lucret. l. I. 'transactum quid sit in ævo, Tum quæ res instet, quod porro deinde sequatur.' Plauti Bacch. 'Quicunque ubique sunt, qui fuere, quique futuri sunt posthac.' Catul. 'Quot sunt, quot fuere, Marce Tulli, Quotque post aliis erunt in annis.' Ita ferme ex aliorum judicio; quæ ipse reperi dabo ad illud Æn. IV. 'Nunc, olim, quocunque dabunt se tempore vires.' Verba Virgilii ita redde ex Dione Chrys. Orat. XXXVII. τῶν οὐσῶν, τῶν γεγενημένων. *Cerda.*

394 *Ita Neptuno*] Ubi deest ratio, sic loquitur. Nam ita et in tertio Æn. dixit, 'Sic visum superis.' quum præmisisset *immeritam.* Servius.

395 *Armenta et turpis phocas*] Magnas. ut, 'Cui turpe caput.' *Phocæ* sunt boves marini. *Idem.*

Turpis] Hic truces: ut, 'Cui turpe caput:' vel potius, enormes. *Philarg.*

Et turpis phocas] Videtur, ut Ursinus testatur, imitatus versum incerti Poëtæ apud Victorinum: 'Non phocæ turpes, non marcentes balænæ.' Vide quæ dicta sunt Georg. III. 543. Quas hic *turpis* Ovid. Epist. Heroid. X. 87. *magnas*, et Metam. I. 300. *deformes* nominat. Sunt qui ob teterrimum odorem phocas turpes appellandas censent, a qua sententia non abit illud Homeri Odyss. Δ. 406. Πικρὸν ἀποπνείουσα ἁλὸς πολυβενθέος ὀδμήν. et vs. 442. Φωκάων ἁλιοτρεφέων ὀλοώτατος ὀδμή. Eodem circiter loco plura de phocis, easque etiam vocat νέποδας, non quod pedibus destitutæ sint, sed exiguos habeant, secundum sententiam pereruditi Bocharti in Hierozoic. I. 7. Ideo forte Aristoteli Hist. anim. II. 1. *læsa et imperfecta quadrupes est*, ὥσπερ πεπηρωμένον τετράπουν. De fœdo et insuavi hujus bestiæ odore Cerda testes advocat Suidam et Oppianum Cyn. l. III. qui φώκην δύσοδμον ζῶον θαλάττιον esse affirmant. *Emmeness.*

396 *Hic tibi, nate, prius vinclis capiendus*] Aliter non edebat vaticinium. Videndus Hom. dicto loco, et Hygin. in Fabul. c. 118. Paria de Sileno, qui nisi captus, non edebat. Phrasis ipsa Græcorum est. Sophocl. in Philoct. δόλῳ λαβεῖν. *Cerda.*

397 *Expediat morbi causam, eventusque secundet*] Duo enim ista requiruntur in oraculis, causa mali, et remedium. *Servius.*

398 *Sine vi non ulla dabit præcepta*] Ne eum speraret posse precibus flecti. *Idem.*

Nam sine vi] Pars ista, præter Hom. sumta a Platone, qui in Euthyph. καὶ οὐκ ἀφετέος ἂν εἶ, ὥσπερ ὁ πρωτεὺς, πρὶν ἂν εἴπῃς: *Dimittendus non es, quemadmodum Proteus, priusquam dixeris.* Cerda.

Præcepta] Responsa. *Philarg.*

399 *Orando flectes*] In Mediceo codice, *orando vinces* legere est. Alterum ex his paraphrasis omnino fuit. *Pierius.*

Vim et vincula] Violenta vincula: ἐνδιαδύς. *Taubmann.*

400 *Doli circum hæc demum*] Circa vincula novissime ejus desinent doli, id est, formarum varietates: cujus figmentum physicam volunt esse rationem: nam homo habet in se libidinem, stultitiam, ferocitatem, dolum: quæ dum in eo vigent, pars illa, quæ vicina divinitati, id est, prudentia, non apparet: quæ tunc potest suas vires tenere, cum fuerint illa religata; id est, cum quis caruerit omnibus vitiis. Unde sacerdotem hunc dicit posse vaticinari, et suscipere divinitatem, cum religata in eo fuerint ignea cupiditas, silvestris asperitas, lapsusque animi, aquarum mobilitati similis. *Servius.*

Doli circum hæc demum] In Mediceo dictionum ordo ita habet. Et meliori numero. In aliis autem 'doli demum circum hæc,' &c. *Pierius.*

Frangentur inanes] *Circum hæc*, secundum hæc, id est, cum quis caruerit omnibus vitiis; et *inanes doli*, non quia inanes sunt, sed inanes eos facies, si adhibueris vim. *Philarg.*

401 *Medios cum Sol accenderit æstus*] Fere enim numina tunc videntur. Lucanus, 'Medio cum Phœbus in axe est, Aut cœlum nox atra tenet: tunc ipse sacerdos Accessum dominumque timet deprendere luci.' *Servius.*

Medios cum Sol accenderit æstus] Nituntur ista auctoritate Homer. asserentis tunc Proteum e mari emergere, quasi se tunc det conspectandum. Ἦμος δ' ἠέλιος μέσον οὐρανὸν ἀμφιβεβήκει Τῆμος ἄρ' ἐξ ἁλὸς εἶσι γέρων ἅλιος νημερτής: *Quando ergo Sol medium cælum ascenderit, Tunc mari emerget senex marinus veridicus.* et partem istam illustrat Cælius xviii. 25. Locutionem porro diei medii ita extulit Herod. l. iii. καυμάτων τῶν θερμοτάτων ἐόντων. *Cerda.*

402 *Sitiunt herbæ*] Ita dicuntur herbæ sitire, ut arbores esurire a Plin. xvii. 2. Græci quoque δένδρα, et λάχανα, dicunt διψῆν, et πεινῆν. *Idem.*

403 *In secreta s. d.*] Fere omnes dii marini senes sunt. Albent enim eorum capita spumis aquarum. *Serv.*

404 *Se recipit*] Proteum dicit. *Philarg.*

405 *V. tenebis*] Horat. Epist. i. 1. 'Quo teneam vultus mutantem Protea nodo?' *Taubmann.*

406 *Tum variæ eludent species*] Hoc loco plurimum variatur: nam in Romano codice *ludent*. In Oblongo perveteri *eludunt* præsenti tempore. In Longobardico, in Mediceo, et plerisque aliis *eludent* futuro; in multis quoque *illudent*. Pierius.

Variæ eludent species] Vide Adag. Πρωτέως ποικιλώτερος: in versipelles. Apud Hesiodum *Periclymenus* etiam Nelei et Polymelæ filius, frater Nestoris, dicitur a Neptuno hanc facultatem consecutus, ut se in omnia, quæ vellet, converteret. Itemque *Thetis*, et *Mestra* Erysichthonis F. De *Vertumno* extat Fabula apud Propert. iv. 2. et Ovid. Met. xiv. 15. *Taubm.*

407 *Sus horridus*] Ovid. 'nunc erat hirtus aper.' *Idem.*

Sus horridus, &c.] Ex Homeri hæc desumpta Odyss. Δ. 456. Ἀλλ' ἤτοι πρώτιστα λέων γένετ' ἠϋγένειος, Αὐτὰρ ἔπειτα δράκων, καὶ πάρδαλις, ἠδὲ μέγας σῦς, &c. Quem imitatus videtur Horat. Sat. ii. 8. 'Effugiet tamen hæc sceleratus vincula Proteus Cum,' &c. 'Fiet aper: modo avis: modo saxum: et cum volet, arbor,' &c. *Emmeness.*

Atra tigris] Id est sæva. *Servius.*

408 *Squamosusque draco*] Noster in Culice: 'Squamosos late torquebat motibus orbes.' Et: 'Horrida squamosi volventia membra draconis.' *Cerda.*

Fulva cervice leæna] Lucret. l. v. 'corpora fulva leonum.' *Idem.*

409 *Aut acrem flammæ sonitum*] Hinc fortasse Tibull. l. i. 'Sic ubi Bellonæ motu est agitata, nec acrem Flammam, non amens verbera torta timet.' *Idem.*

Vinclis Excidet] Sic et ἐκπίπτειν Græci pro elabi et effugere. *Germ.*

410 *In aquas dilapsus*] Sic Horat. 'Dilapsam in cineres facem.' et Virg. Æn. iv. vs. ult. 'Dilapsus calor.' *Emm.*

411 *Formas se vertet in omnis*] Hom. Odys. iv. de eodem Proteo: *πάντα δὲ γινόμενος πειρήσεται, vertens se in omnia tentabit.* Cerda.

Formas se vertet in omnis] Ideo Ovid. Metam. ii. 9. 'Protea ambiguum' appellat: et viii. 730. 'Sunt, quibus in plures jus est transire figuras: Ut tibi, complexi terram maris incola, Proteu. Nam modo te juvenem, modo te videre leonem; Nunc violentus aper: nunc, quem tetigisse timerent, Anguis eras: modo te faciebant cornua taurum. Sæpe lapis poteras, arbor quoque sæpe videri. Interdum, faciem liquidarum imitatus aquarum, Flumen eras: interdum, undis contrarius ignis.' *Emmeness.*

412 *Tanto, gnate, magis*] Alii legunt, 'Tantum nate magis.' *Pierius.*

Tanto, gnate, magis] Ad verbum pene Hom. ὑμεῖς δ' ἀστεμφέως ἐχέμεν, μᾶλλόν τε πιέζειν: *vos autem firmiter tenete, magisque premite.* Cyrene ipsa loquens cum Aristæo apud Ovid. Fast. i. 'Decipiat ne te versis tamen ille figuris, Impediant geminas vincula firma manus.' *Cerda.*

413 *Donec talis erit, &c.*] Sic Ovid. Metam. xi. 252. 'Ignaram laqueis vincloque innecte tenaci: Nec te decipiat centum mentita figuras: Sed preme quicquid erit: dum, quod fuit ante, reformet.' *Emmeness.*

415 *Liquidum ambrosiæ diffundit odorem*] Unxit eum, quo posset esse videndi numinis capax. *Servius.*

Liquidum ambrosiæ diffundit odorem: Quo totum nati corpus perduxit] Sic editio habet Heinsiana. Utrumque verbum in Romano codice diversum est, ubi legitur *depromit odorem*, et *corpus perfudit*. In aliquibus etiam *ambrosia* ablativo casu; integrum autem Lectoribus sit, quam maluerint lectionem admittere, quum neque hæc neque illa mihi reprehensione digna videatur. *Pierius.*

Diffundit] Turneb. leg. i. 1. *defudit*; alii, *depromit*: ut et vs. seq. *perfudit*. Ideo autem Aristæus ungitur, ut possit videndi numinis capax esse, auctore Servio: *vel*, ut aliptæ in morem, gratior et robustior esset: *vel*, denique, ne offenderetur maris et phocarum fœtore. *Taubmann.*

Liquidum ambrosiæ diffundit odorem] Horat. od. i. 5. 'Perfusus liquidis urget odoribus.' Noster Æneid. xii. 411. 'spargitque salubris Ambrosiæ succos.' Pro quo Stat. Thebaid. xii. 139. 'Ambrosiæque rigat succis.' De Nectare sic Ovid. Metam. iv. 250. 'Nectare odorato spargit corpusque locumque.' Teterrimi fœtoris remedium petitum ex Homero Δ. 444. 'Αλλ' αὐτὴ ἐσάωσε, καὶ ἐφράσατο μέγ' ὄνειαρ· Ἀμβροσίην ὑπὸ ῥῖνα ἑκάστῳ θῆκε φέρουσα, &c. *Emmeness.*

416 *Perduxit*] Prius unxit. *Phil.*

Perduxit] Id est oblevit: sicut contra, *Inducere*, delere est. Aliud est *perducere*, in illo Persii Sat. ii. 56. 'auro sacras quod ovato Perducis facies:' nempe totas statuas ex auro tropæorum ducere: ἐλαύνειν. Notat Bersmanus esse etiam, qui respici putent ad morem conviviorum, quo coronati et unguentis delibuti epulabantur. *Taubmann.*

417 *Dulcis compositis spiravit crinibus aura*] *Crinibus*: nempe, nimis anxie ornatis et curatis, quibus opponuntur neglecti, incomti, incompositi, vel, ut Poëta, qui sine lege sunt positi. Plaut. Mostell. i. 3. 97. 'suo quique loco viden' capillus satis compositu' est commode?' quod offi-

cium fuit *ornatricum*, ut erudite Wouverius ad locum citatum, nec non Pignorius de servis p. 191. sic *nihil magis compositum* apud Ter. E. v. 4. 13. et *componere* pro ornare apud Ovid. Met. iv. 318. *auram* pro *vento* hic sumit Non. Marc. *Emmen.*

Auræ] In Romano codice *auras* est, quod non placet. *Pierius.*

418 *Habilis*] Vegetabilis. *Servius.*

Habilis vigor] Tanquam palæstritarum, quorum corpora εὐεκτεῖν oportet. Terent. 'Si qua est habitior paulo, pugilem esse ajunt.' Idem: 'quæ habitudo est corporis.' *Taubm.*

Specus ingens] In singulari numero *hoc specus*, in plurali *hi specus* dicimus. *Servius.*

Est specus ingens] Ad verbum Hom. Il. xiii. Ἔστι δέ τι σπέος εὐρύ. Non abludit versus iste ex Odys. iii. Ἔστι δέ τις λισσὴ, αἰπεῖά τε εἰς ἅλα πέτρη: *Est autem quædam levis, præruptaque in mare petra.* Cerda.

419 *Exesi*] Hinc Sid. epith. i. 1. 'exesi sale montis apex.' *Idem.*

420 *Inque sinus scindit sese unda*] Sic et Apollon. κόπτεν ὕδωρ. l. ii. οἱ δ' ἀλαλητῷ κόπτον ὕδωρ. *Germ.*

421 *Deprensis*] Periclitantibus. *Servius.*

Deprensis] *Olim*, pro aliquando: et *deprensis*, verbum proprie nauticum, cum tempestate occupantur: sic alibi: 'Argolicove mari deprensus.' *Philarg.*

Deprensis olim] Ut Latinum deprendere ad tempestatem refertur, ita ἀπολαμβάνειν apud Græcos: Plato in Phædone de nave in Delum ab Atheniensibus quotannis mitti solita, cujus reditus mortem Socratis suspenderat: τοῦτο δὲ ἐνίοτε ἐν πολλῷ χρόνῳ γίγνεται, ὅταν τύχωσιν οἱ ἄνεμοι ἀπολαβόντες αὐτούς. Catull. 'velut minuta magno Deprensa navis in mari.' *Germanus.*

Deprensis] Ad rem pertinet nauticam. Ovid. Heroid. Epist. vii. 65. 'Finge, age, te rapido, &c. Turbine deprendi.' et Metam. iv. 366. 'Utque sub æquoribus deprensum polypus hostem.' Sic deprehendi dicuntur, qui inopinantes in periculum incidunt. Phæd. f. v. 5. 'qui deprensi perierint.' Flor. ii. 12. 'deprensa Macedonia.' Horat. Sat. i. 2. 'deprendi miserum,' &c. *Emmen.*

Statio] Ulpianus l. . Ait prætor. De Flumin. 'Stationem,' inquit, 'dicimus a stando.' Is igitur locus demonstratur, ubi naves stare possunt. *Germanus.*

Statio tutissima nautis] Contrarium ejus, quæ habes Æn. ii. 23. 'statio malefida carinis.' Pomp. Mela ii. 3. 'Aulis, Agamemnonis Grajorumque classis in Trojam conjurantium statio.' *Emmeness.*

422 *Tegit*] Tegere consuevit. Nam tunc illic non erat. *Servius.*

Objice] Objectione. Et melius *hic obex*, quam *hæc obex* dicimus. *Idem.*

423 *In latebris Conlocat*] Reddit Hesiodicum illud in Theog. εἷσε δέ μιν κρύψασα λόχῳ. De hac re Sil. l. xii. 'Cyrenem monstrasse ferunt nova littora matrem.' *Cerda.*

Aversum a lumine] Paululum obliquum a lumine. Et sciendum Proteum temporalem suscipere divinitatem; alioquin potuit Aristæum cognoscere latitantem. *Servius.*

Aversum a lumine nympha] Romanus codex, et plerique perveteres, *aversum lumine* absque *a* præpositione separativa legunt. In aliquot *aversum a limine* habetur. *Pierius.*

424 *Resistit*] Vetera omnia exemplaria, quotquot habui *Resistit* legunt: hoc est, retro, vel in recessu sistit. In nonnullis tamen *recessit* invenias. *Idem.*

425 *Jam rapidus*] Hic distinguendum propter duo epitheta. *Servius.*

Sirius] Stella est in ore Canis, per quam nimios æstus accipimus. *Idem.*

Sirius] Stella in ore canis. Hac oriente maximi calores et ex his graves morbi: ideoque Romæ omnibus

annis sacrum Canarium fit per publicos sacerdotes. *Philarg.*

Rapidus] Istæ stellæ hujus notæ. Ideo *rapidus* cum allusione ad etymon. Nam Sirius dictus ἀπὸ τοῦ σύρειν, quod omnia rapiat suo calore. Ita et Lucan. in x. 'rapidos qua Sirius ignes Exserit.' Hanc rapiditatem per populationem expressit Val. Flac. Arg. I. 'Calabri populatur Sirius ardor.' Ideo *torrens* cum allusione ad aliud etymon. Ducunt enim ἀπὸ τοῦ σείεσθαι, quod est scintillare, et vibrari motu tremulo, quod proprium ignis. Ideo in x. 'Sirius ardor.' Et alibi, 'exurere Sirius agros.' Et Eurip. in Hecub. Ἢ σείριος ἔνθα πυρὸς φλογέας ἀφίησιν ὄσσων αὐγάς: *Aut ubi Sirius flammantes ignis radios oculis exspuit.* Hæc de duabus notis Virgilianis, de ipso Sirio dicam Æn. x. *Cerda.*

Sirius] Forsitan negotium facessat, quia *serius* in codicibus aliquot antiquioribus legitur. Sed enim id ea de caussa factum, quod quum σείριος, Græce per ει diphthongum prima syllaba scribatur: ex Latinis alii, primam ex diphthongo: alii secundam vocalem acceperint: syllaba tamen nihil imminuta. Quia vero sunt, qui *Sirium* hoc loco importune insertum a Poëta suspicentur, his responsum facio Virgilium ad antiquorum eruditionem respexisse, siquidem Sol et σεὶρ et σειρὸς, et σείριος, apud veteres appellabatur, quin etiam Ibicus Poëta Lyricus *astra omnia Siria* vocat. *Pierius.*

Torrens Sirius] Cic. *Fervidum* appellat: Avienus *Flammiferum astrum*, 'cui plurimus ardor Æstuat in mento, multus rubor imbuit ora.' P. Merula in Cosmograph. part. I. l. II. 25. Sirii appellatione *Solem* hic exaudit. Quin et Suidas tradit, Σείριον a multis exponi τὸν ἥλιον, id est, *Sirium Solem;* quod et Philarg. notavit. *Taubmann.*

Sitientis Indos] Populos subsolanos. *Servius.*

Sitientis Indos] Qui nos consulit Ecl. I. 65. facturus operæ videtur pretium, ubi *sitientis Afros.* ab æstu hæc natio siticulosior; inde Indi passim appellantur etiam Poëtis *tosti, colorati, nigri, fusci,* &c. *Emmeness.*

426 *Ardebat*] Id est, siccabat. *Philarg.*

Ardebat] Nota actionem verbi: ita Ecl. II. 'ardebat Alexim.' Horat. 'arsit turdos.' Apol. l. II. ἦμος δ' οὐρανόθεν μινώϊδας ἔφλεγε νήσους σείριος. *Cerda.*

Orbem] *Medium orbem* ideo dixit, quoniam in medio mundo terra est, et in hac omnis aqua, quam sidera in alimentum trahunt, maxime meridiano tempore, quo ardentissimus sol est. *Philarg.*

Med. Sol. ig. orbem Haus.] Unde et circulus ille meridianus μεσουράνημα appellatur: et *Sol medium cælum tenens,* μεσῶν ἥλιος Aristoph. Manil. l. I. ὁ μεσημβρινὸς elegantissime describitur: 'alter ab ipsa Consurgens Helice, medium præcidit Olympum, Discernitque diem sextamque examinat horam, Et paribus spatiis occasus cernit et ortus.' Vel dic: Exhauserat orbem dimidium, sive superius hemisphærium, exsiccato humore terræ. *Taubmann.*

427 *Hauserat*] Id est, invaserat. *Philarg.*

Cava flumina] Alta. Lucanus, 'Deseruere cavo tentoria fixa Lemanno.' *Servius.*

Cava flumina] Lucan. 'Cavo Lemano.' *Cerda.*

Siccis Faucibus] Arescentibus alveis. *Taubmann.*

428 *Ad limum*] Usque ad limum, qui fundo est. *Idem.*

429 *Consueta petens e fluctibus antra*] Sic Ovid. XI. 259. 'Consueta cubilia.' Pro quo sæpe *nota.* Vide Ecl. I. 51. *Emmeness.*

gunt. Hoc autem dicit, Quum omnia noveris, desine adventus mei caussam velle cognoscere. *Servius.*

Scis Proteu, scis ipse, nec est te fallere cuiquam] Hic subaudiendum monet Sanctius in Min. p. 295. *datum*, vel *concessum*. Talem ellipsin observavit Cerda in Horat. Sat. I. 5. 'Quod versu dicere non est.' *Emmeness.*

448 *Desine velle*] Hæsit huic Sil. l. II. 'parce oro, et desine velle.' Pari forma Sophocl. in Elect. ἐᾶτέ μ' ὧδε ἀλύειν: *desinite me ita mœrere.* Pari Latini sæpe. Trebel. in Claudio: *desine conqueri.* Silius l. XV. *desine certare, objectare, timere.* Illud *desine velle ista quærere*, subaudit Ruffinian. qui hic aut ellipsin, aut diacopen agnoscit. *Cerda.*

Deum præcepta] Propter matrem hoc posuit nomen. *Servius.*

449 *Hinc lapsis*] In Romano et aliquot aliis codicibus antiquioribus: non *huc* sed *hinc* legitur, membraque ita disposita sunt, ut *Deum præcepta secuti venimus*, continenter legatur: mox hypodiastole signata, *hinc lapsis quæsitum oracula rebus* subjungatur: quamvis in Oblongo *lassis* legatur, et aliquot aliis *labsis* per characteristicon præsentis. Erat etiam in Mediceo prius *hinc* scriptum, aliena inde manu factum *huc* altera lectione abrasa. *Pierius.*

450 *Tantum effatus*] Quod in Longobardico legitur, *tantus ad hoc fatus Vates.* In memoriam mihi adduxit Terentium Scaurum super hoc solicitum fuisse, quo pacto *effatus* scribendum esset, ubi semivocales ait geminare, ideoque *effatus*, non *exfatus*, vel *ecfatus* dicendum. Sane crediderim aliquid hujusmodi fuisse prius in eo codice, unde Longobardicus exscribebatur, datamque inde ansam reliqua subvertendi. *Idem.*

Vi denique] Hoc loco suscipit numen. *Philarg.*

Vi multa] Magno impetu. Hypotyposis est ἐνθουσιασμοῦ. Priusquam enim divinitatem accipiunt, corpore horrescunt, oculi scintillant, caput jactant, &c. Cujusmodi luculenta descriptio est Æn. VI. 77. *Taubmann.*

451 *Ardentis oculos intorsit lumine glauco*] Unico verbo γλαυκιᾶν Græci includunt totum hunc versum. Hom. γλαυκιόων dixit. Leoni et Palladi dant glaucos oculos ab terribili intuitu, atque instar ignis ardenti. Itaque *ardentes oculi* in Virg. et hi *intorti*, et cum *glauco lumine*, omnia signant furorem Protei. Apta ad hunc locum ea, quæ de cæsio colore scribit Thyles. l. de colorib. c. 2. Sententiæ Virgilianæ par illa Ovid. Met. IX. 'Talia dicentem jam dudum lumine torvo Spectat.' Et Dionis Chrys. Or. LVIII. de Chirone intuente Achillem iracunde: καὶ ὑποβλέψας δεινὸν ὥσπερ ἀστραπῇ, μόλις δ' ἀπεχόμενος τοῦ μὴ παίσειν αὐτὸν: *Intuitus est illum oculis instar fulgoris micantibus, vixque se continens, ne cæderet.* Homer. sæpe ad rem eandem ὑπόδρα, σμερδαλέον ἰδών: *torve, terribiliter videns.* Eadem nota furoris est in Val. Arg. II. 'cujus stellantia glauca Lumina nude tremunt.' Et l. VII. 'Torserat illa gravi jamdudum lumina vultu.' Claudian. de Bel. Get. Alaricum loqui incipientem inducit cum 'fronte flammata: oculis obliquis.' *Cerda.*

452 *Graviter frendens*] Cum ingenti tumultu. *Servius.*

Graviter frendens] Grandem sonitum dentibus reddens, et aliter: hoc est, fata proferendo. *Philarg.*

Frendens] Notionem huic verbo propriam tradit Festus: *Frendere est frangere:* unde est *faba fressa:* unde et *dentibus* dicimus *frendere:* hinc Varro de r. r. II. 4. *nefrendes* appellat porcellos, qui fabam necdum *frendere*, id est, *frangere*, valent. *Frendunt dentibus*, vel *frendent* (nam utrumque in usu) qui atra bile perciti sunt. Sil. Ital. l. XII. 'amissaque posceret arma Invadit frendens,' &c. Plaut. Capt. IV. 4. 5. 'quasi lupus esuriens,

&c. ita frendebat dentibus.' Truc. II. 7. 41. 'dentibus frendit, icit femur.' *Emmeness.*

Ora resolvit] Arripuit sæpe Ovid. nam Fast. VI. 'Vesta fave, tibi nunc operata resolvimus ora.' Et I. 'Presserat ora Deus, tunc sic ego nostra resolvi.' Et I. de Ponto: 'Ora resolve.' Et in Metam. l. XI. 'sacer ora resolvit Tmolus ad os Phœbi.' Et de Ulys. l. XIII. 'exspectatoque resolvit Ora sono.' *Cerda.*

453 *Non te nullius*] Id est, non humilis, sed magni. *Servius.*

Non te nullius] Bene dixit, *non te nullius*. Hæc enim numinis non humilis sunt, sed magni; et significat Tisiphonem: id est, mortis ultricem. Nam ideo Tisiphone dicta est, quasi mortis ultio, quæ dicitur Græce τίσις φόνου: et aliter. Asper, *non nullius*, inquit, id est, non levis numinis. significat autem Nympharum, non, ut quidam volunt, Orphei manium. *Philarg.*

Non null.] Id est, non humilis, sed magni. Ita Æn. XI. 'At non hæc nullis hominum sator atque Deorum Observans oculis:' id est, curiosissimis. Servius *Tisiphonem* hic indicari ait, id est, *mortis ultricem:* ut et J. Philargirius. Asper aliique, et fortasse rectius, *Nymphas* intelligunt, quæ Aristæo iratæ, quod mortem Eurydices causatus esset, apes interemerunt. *Taubmann.*

454 *Magna luis commissa tibi*] Id est, magnorum scelerum est ista persolutio. Et alii ita distinguunt, ut sit, a te commissa. Alii, *Tibi has miserabilis Orpheus.* Non humile autem numen dicit. Tisiphonem, id est, mortis ultricem. nam ideo Tisiphone dicta est, quasi cui cura est τίσις φόνου, id est, mortis ultio. *Servius.*

Magna luis] Id est, magnum scelus. *Philarg.*

Magna luis commissa, tibi] Tale quid Od. Λ. οὐ γὰρ ὀΐω Λήσειν ἐννοσίγαιον, ὅ τοι κότον ἔνθετο θυμῷ, Χωόμενος ὅτι οἱ υἱὸν φίλον ἐξαλάωσας. *Germanus.*

455 *Haud quaquam ob meritum*] Id est, non tales quales mereris. Nam ejus uxori causa mortis fuisti. Inferret autem digna supplicia, nisi fata prohiberent: quibus faventibus ira numinum minora infert, licet majora non possit. *Servius.*

458 *Hydrum moritura puella*] Et ab hydro Philocteten morsum memorat Calaber hydrique inamabile virus l. IX. ἰοῦ ἀπὸ στυφελοῖο, τὸν οἱ ἀπομόρξατ' ὀδοῦσι Λυγρὸς ὕδρος, τόν φασιν ἀναλθέα τε, στυγερόντε Ἔμμεναι, ὁππότε μιν τέρσῃ περὶ χέρσον ἰόντα Ἠελίοιο μένος. *Germanus.*

Hydrum] Feram, quæ Eurydicem momordit: *serpentem* nominat Tzetzes; nam de hac re loquens ταύτην (εὐρυδίκην) ὑπ' ὄφεως φασὶ δηχθεῖσαν. Ovid. Met. X. *viperam*, sic scribens: 'Caussa viæ est conjux, in quam calcata venenum Vipera diffudit, crescentesque abstulit annos.' Supra tamen idem *serpentem* esse dixerat. Poëta signatius istis *hydrum* dixit, quia id est congruentius cum serpente latente juxta aquas: vel hausit ex Calab. qui l. IX. ita vocat serpentem, qui momordit Philoctetem: τὸν (ἰὸν) οἱ ἀπομόρξατ' ὀδοῦσι λυγρὸς ὕδρος: *Quod (telum) illi perniciosus hydrus impressit.* Accedit ad rem Maronis, dicere Nicandr. in Theriacis, solere Dryinam (quem serpentem ipse confundit cum hydro, et chelydro) mordere ex pede, et inde venenum diffundi in corpus reliquum. Ceterum similem historiam habes apud Ovid. Met. XI. de Nympha Hesperie, quæ fugiens ab Æsaco interiit morsa a serpente: 'Ecce latens herba coluber fugientis adunco Dente pedem strinxit.' Tu reliqua. Tale et illud Æn. II. 'Improvisum aspris veluti qui sentibus anguem Pressit humi nitens.' Vide, quæ ego late ad illud Ecl. III. 'Frigidus, o pueri fugite hinc, latet anguis in herba.' *Cerda.*

Moritura puella] Merito non vidit: quippe moritura. *Servius.*

459 *Servantem ripas*] Tenentem. ut, ‘Tantas servabat filia sedes.’ *Idem.*

Servantem] *Servantem*, hic, obtinentem. *Philarg.*

460 *At chorus æqualis Dryadum*] Ergo et Eurydice Dryas: et bono compendio ejus prætermisit interitum. *Servius.*

Dryadum] Putat Serv. ex comitatu ipso elici, Eurydicem fuisse unam e Dryadibus. Non puto. Hoc enim tantum ad apparatum pertinet, quo illi dat Nymphas comites. Nam Ovid. Met. x. inter Naïadas numerat: ‘Dum nova Naïadum turba comitata vagatur, Occidit, in talum serpentis dente recepto.’ Sic et Claud. Rap. II. Proserpinam inducit isto comitatu: ‘Comitantur euntem Naïades, et socia stipant utrinque corona.’ Atqui nunquam Proserpina numerata inter Naïades. (Comitatum ejusdem Proserpinæ, cum rapta est, vide in Ovid. Fast. IV.) Quid, quod postea Virg. Napæas ponit, quæ placandæ ab Aristæo ob mortem Eurydices: ut hic *æqualis* de his, quæ una nutritæ, ita Valer. Arg. VIII. ‘Colchides, æqualesque tibi, Medea, puellæ.’ Et de comitibus Proserpinæ Ovid. ‘At chorus æqualis, cumulatæ flore ministræ.’ *Cerda.*

Supremos Inplerunt montis] Summos. ut, ‘Proh supreme Juppiter.’ *Serv.*

Supremos] In Romano codice, et aliquot aliis *supremo* legitur: ut clamoris magnitudo declaretur. Sed enim *supremos*, quippe montes, Servius agnoscit, ut illud, ‘Pro Supreme Jupiter.’ *Pierius.*

Supremos Inplerunt montis] Eleganter ad signanda montium cacumina, sumtumque e Lucr. I. ‘montesque supremos Sylvifragis vexant flabris.’ *Cerda.*

461 *Flerunt Rhodopeïæ arces*] Rhodope mons est Thraciæ, sicut Pangæa. *Servius.*

462 *Altaque Pangæa*] In codicibus aliquot antiquis *Panchai* legitur, ut sit alta tellus *Panchai*. Sed enim πάγγαιον, est montis nomen: casta igitur lectio *Pangæa*. Panchaia enim pertinet ad Arabiam, de qua libro secundo Georgicon, ‘Totaque thuriferis Panchaia pinguis arenis.’ *Pier.*

Pangæa] *Pangæa* Thraciæ montes. *Philarg.*

Altaque Pangæa, et Rhesi Mavortia tellus] Pangæus mons est Rhodope, Thraciæ. *Rhesi tellus*, Thracia, quæ prius dicta est Aria, ab Areo rege, patre Thracis et Edoniæ, a quo Thracia dicta est. Et quædam gens est Edoni; Martia sive *Mavortia*. Mavors autem dicitur, magna vertens deus. *Probus.*

Rhesi Mavortia tellus] Quam postea Rhesus tenuit; et est Prolepsis ex persona poëtæ. Quo enim tempore Orpheus fuit, Rhesus necdum regnabat in Thracia. *Servius.*

Rhesi] *Rhesus* dux Thracum; et est prolepsis; quia Rheso Orpheus antiquior est. Idcirco autem Thracia *Mavortia* tellus dicitur, quia in divisione terræ Marti cessit. *Philarg.*

463 *Atque Getæ, atque Hebrus, et Actias Orithyia*] Hic quoque versus in codicibus omnibus antiquis, quos versare potuimus, eodem modo habet, quo superior ille, *atque Ephyre, atque Opis, et Asia Deïopea*, ita enim legitur *atque Getæ, atque Hebrus, et Actias Orithyia*: nulla in tritimemeri collisione facta: cujus pedes ita discludi debent, *atque Getæ atq' Hebrus et Actias Orithyia*. Si cui tamen *atque* illud ter repetitum magis placeat, quod ita versus scriptus sit in Val. Probi codicibus, malitque in pentimemeri potius brevem pro longa positam, ut locus ille communis est, non laboro. *Orithyiam* vero quadrisyllabam esse dictionem, ea dimensione, qua pæonicum quartum a majori circumscribimus duabus mediis syllabis per diphthongum notatis, indicant Homeri versus μαῖρα καὶ ὠρείθυια: et alibi ἐϋ πλόκαμός τ' ἀμάθεια καὶ ὠρεί-

thua. *Pierius.*

Hebrus] Fluvius Thraciæ gelidissimus. *Servius.*

Actias Orithyia] Atheniensis Nympha, quam Boreas in suum matrimonium rapuit. *Idem.*

Actias] *Actias* ideo dicta, quod Atheniensis fuit: quidam volunt Atticen primo vocitatam Actiacen, quia sit litoralis. *Philarg.*

Orithyia] *Orithyia* Erecbthei et Praxiotelis filia, ab Aquilone in Thraciam rapta Zethum et Calain filios ededit. *Idem.*

Actias Orithyia] Zethum et Calaim genuit. Propert. eleg. I. 20. 'fratres, Aquilonia proles,' &c. Est autem versus Spondaicus. *Taubmann.*

464 *Cava testudine*] Periphrasis citharæ, cujus usus repertus est hoc modo. Quum regrediens Nilus in suos meatus, varia in terris reliquisset animalia, relicta etiam testudo est: quæ cum putrefacta esset, et nervi ejus remansissent extenti intra corium, percussa a Mercutio sonitum dedit: ex cujus imitatione cithara est composita. *Servius.*

Ipse cava] Exemplum cultissimæ tristissimæque orationis; in *mediocri genere* laudat ista Scaliger Poët. IV. 4. ut *in grandi* illa Æn. XI. 148. 'At non Evandrum,' &c. in *humili* ista Ecl. V. 'Cum complexa,' &c. *Taubm.*

Cava testudine] Cithara: qua et Achilles apud Hom. Briseidis suæ raptum solatur. *Idem.*

Ægrum amorem] Mœstum, deceptum. *Servius.*

465 *Te, dulcis conjux, te, &c.*] Geminationi huic plenæ dulcedinis par illa Magni Vatis: 'Te nemus Angitiæ, vitrea te Fucinus unda, Te liquidi flevere lacus.' Huic videtur institisse Sid. Paneg. ad Anthem. 'Te prece ruricola expetiit, te fœdere junctus Assensu, te castra tubis, te curia plausu.' Et Paneg. ad Majorian. 'Te geminas Alpes, te Syrtes, te mare magnum, Te freta, te Libycas pariter domuisse catervas.' *Cerda.*

Solo in litore] Deserto, in quo sine uxore morabatur. *Servius.*

Solo in litore] Infra Æn. v. 'In sola secretæ Troades acta,' ex Apoll. l. IV. qui ἐρημαίῃ ἐνὶ ἀκτῇ dixit. *Germanus.*

Solo in litore] Id est, deserto: sic Noster XI. 544. 'Juga longa petebat Solorum nemorum.' et 569. 'Solis exegit montibus ævum.' Ter. Ph. v. 7. 86. 'Deportarier in solas terras.' Horat. od. I. 25. 'In solo angiportu.' Plautus in Rud. I. 4. 8. 'Neque magis solæ terræ sunt quam hæc loca.' *Emmeness.*

466 *Te decedente*] In Mediceo, et aliquot aliis antiquis *discedente* habetur. Sed enim *decedente* receptum est. *Pierius.*

467 *Tænarias etiam fauces*] Tænarus Laconiæ promontorium est, circa finem Maleæ; ubi inferorum dicitur esse descensus. *Servius.*

Tænarias] In Tænaro enim promontorio Laconiæ, demonstratur alta quædam vorago, per quam emersisse Hercules ab inferis dicitur, cum duceret Cerberum. *Philarg.*

Tænarias etiam fauces] Est Tænarus oppidum Laconiæ, portus, promontorium: cognomina omnia, quia vicina. De oppido Plin. IV. 5. 'Oppida Tænarum, Amycle, Pheræ,' &c. Solin. c. 12. percurrens hunc tractum: 'Est et oppidum Tænarum nobili vetustate.' Incolæ dicti sunt, *Tænaritæ.* Ab his natum adagium, de quo lege Erasm. De portu ita Papin. Theb. l. II. 'Interiore sinu.' et Pausan. Lacon. 'Excurrit in mare Tænarum promontorium, et infra portus Achillis.' Hoc etiam efficit historia Arionis, qui ductus a Delphino ad portum Tænarum. De promontorio, præter Pausan. quem jam legisti, Suid. ταίναρον ἀκρωτήριον λακωνικῆς. Meminit sæpe Plin. et Geographi. Pap. Th. III. 'Tænariumque cacumen.' Imo rara est mentio oppidi, et portus, si compares cum

mentione promontorii. Illud ita describit Pap. Th. II. 'Est locus Inachiæ, dixerunt Tænara gentes,' &c. Explicui notitiam oppidi, portus, promontorii. Tria hæc conjungit Interpres Apoll. in l. I. citans ista ex Pherecy. ταίναρος, ἀφ' οὗ ταίναρον καλεῖται, ἡ πόλις, καὶ ἄκρα, καὶ ὁ λιμήν. Pergo. Fuit in hoc loco antrum, per quod aditus erat ad inferos. Suid. post adducta verba, ἐν ᾧ στόμιον ἦν κατάγειον εἰς ᾅδου: *erat ibi os deducens ad inferos*. Eurip. in Herc. ταινάρου στόμα. Solin. c. 12. 'in Laconia spiraculum est Tænaron.' Apul. VI. de Tænaro, 'Ibi spiraculum Ditis, et per portas hiantes monstratur iter invium.' Virg. hic 'Tænarias fauces.' Et, 'alta ostia Ditis.' Ovid. Met. X. 'Tænaria porta.' Senec. in Hip. 'Tænarii specus.' Et in Œt. 'Tænarias fores.' Lucan. IX. 'apertum Tænaron umbris.' Idem VI. dicit Tænaron esse confinium nostri et Acherontici mundi: 'non Tænareis sic faucibus aër Sedit iners, mœstum mundi confine latentis, Ac nostri.' Papin. Theb. II. 'Hoc, ut fama, loco pallentes devius umbras Trames agit.' Val. Arg. I. 'semperque patentem Tænaron.' Est hæc ejus phrasis, nam ibidem postea: 'Hic geminæ æternum portæ, quarum altera dura, Semper lege patens, populos regesque receptat.' *Cerda.*

Fauces] In antiquis aliquot, modo *falces*, modo *valles* inveni: quæ consulto prætereo, quum omnino, *fauces*, scribendum videatur. *Pierius.*

468 *Caligantem nigra formidine lucum*] Hoc ita reddidit Val. Arg. l. II. 'mœsti steterant formidine luci.' Et l. III. 'arvaque nigro Vasta metu.' Eurip. χθονὸς μέλαιναν ὄρφνην. Orpheus in Argon. σκοτίην ὁδόν. *Cerda.*

Lucum] Inepte *lucus* de fruticetis et arbustis. Consistit enim ingen[ti]bus arboribus, et sacer est alicui [ve]rumque Deo, et incæduus. Vide, [qui] disputat de hac voce Salm. Plin. exerc. p. 583. *Emmeness.*

469 *Ingressus*] Descensum hunc Orphei ad inferos, ipse in primis Orph. in Arg. ita describit: Ταίναρον ἠνίκ' ἔβην σκοτίην ὁδὸν ἄϊδος εἴσω, Ἡμετέρῃ πίσυνος κιθάρῃ δι' ἔρωτ' ἀλόχοιο. *Tristia Tænarii petiit penetralia regni Confisus cithara, uxorisque coactus amore.* Ovid. Met. X. 'Ad Styga Tænaria est ausus descendere porta, Perque leves populos, simulacraque functa sepulcro Persephonen adiit, inamœnaque regna tenentem Umbrarum dominum.' Sed nemo sequat Virgilium in exprimenda hac audacia Orphei. Sententiam ejus jam expende, cum explicui. Est apud Ath. XIII. descriptus iste Orphei descensus ad inferos ab Hermesianacte. Versus non exhibeo, quia multi. Ibi uxorem Orphei vocat Agriopen, non Eurydicen. Scripsisse hoc idem Mimnermus citatur. Similem porro descensum celebrant Poëtæ in Hercule, Theseo, aliisque. Habes etiam hujus rei exemplum apud Herodotum l. II. apud quem Ægypti Rex Rampsinitus vivus it ad inferos, et ludit cum Cerere. *Cerda.*

Manisque adiit regemque tremendum] Hæc omnia ad laudem pertinent citharæ, qua fretus ista superavit. *Servius.*

Regemque tremendum] Periphrastice Plutonem intelligit, sicut per ista, *Stygio Regi, Jovi Stygio, Stygii fratris.* Hæc omnia Virgilii sunt variis locis. Hom. Il. I. ita circumscribit, ζεὺς καταχθόνιος, *terrestris Jupiter.* Pind. Nemeor. od. I. ζηνὸς αἰτναίου, *Jovis Ætnæi.* Ovid. Met. X. *umbrarum dominum.* Sen. in Fur. 'mortis arbiter, mortis dominus.' Et in Œdip. 'Tenebrarum potens, Rector umbrarum.' Et in Hipp. 'Regni tenacis dominus, et tacitæ Stygis.' Martial. epigr. VII. 46. 'taciti regnator Averni.' Pap. Theb. XI. 'avidus regnator, Tartareus rector.' Et Achil. II. 'Elysii tyranni.' *Cerda.*

470 *Nesciaque humanis*] Ad exitum futuræ rei respexit, non ad principium. Nam primo meruit Eurydicen. *Servius.*

Nesciaque humanis precibus mansuescere corda] Convicium hoc de Inferis, Plutone, Manibus, jactatum aliis. Hesiod. in Theog. de Plut. *νηλεὲς ἦτορ ἔχων*: *habens immite cor.* Poëta quispiam apud Athen. l. XIII. loquens de re ipsa et historia Orphei, *ἀπειθέα χῶρον* dixit. Horat. od. II. 3. 'victima nil miserantis Orci.' Et Epistol. l. II. 'Orcus — non exorabilis auro.' Virgil. infra: 'immitis Tyranni.' Claudian. Rap. I. 'indocilis flecti.' de Plut. contingit Germ. ista ex Epigr. *ἀΐδην δυσπειθῆ, ἄσπονδον, ἀμείλικτον, ἀνήλεον, ἄκαμπτον, ἀδάκρυτον*: *Plutonem impersuasibilem, sine fœdere, implacabilem, immisericordem, inflexibilem, illacrymabilem.* Extremum in Hor. est od. II. 14. 'Amice, places illacrymabilem Plutona tauris.' Seneca in Furen. 'difficiles Dei.' Et, 'immites umbrarum dominos.' Nominant Græci hos Deos, *θεοὺς ἀμαλθάκτους* (ait German.) *καὶ ἀπαραιτήτους καὶ δυσπαραιτήτους.* Putat idem Virgilianum hoc sumtum ex illo Platonis, *θεοὶ παρὰ τὸ δίκαιον παντάπασιν ἀπαραίτητοι*: *Dii præter omnem justitiam indeprecabiles.* Ab nostro Sil. l. X. 'mansuescere corda Nescia (proh superi) et nil non immite parata Gens Italum pro laude pati.' Et Claudian. Ruff. II. 'humano nescit mansuescere cultu.' *Cerda.*

Nescia precibus m.] Quibus *φρένες ἀμάλθακτοι*: qui *ἄτεγκτοι, ἀπαραίτητοι*, inexorabiles. Ita locum inferorum Hermesianax apud Athenæum, elegia in Orpheum, *ἀπειθέα χῶρον* dixit. Propert. IV. 11. 'Quum semel infernas intrarunt funera leges, Non exorato stant adamante viæ,' &c. Vide ibid. *Taubmann.*

471 *Cantu*] In codicibus nonnullis antiquioribus, *cantum* legas, nempe quod *at* conjunctionem, vel eo modo per *t* scriptam, præpositionem esse crediderint. Sed enim *cantu* lectio castior habetur. In Mediceo, *et* copulativa erat prius, inde *at* factum. *Pierius.*

At cantu commotæ] Hermesianax apud Athen. *παντοίους δ' ἐξανέπεισε θεοὺς*, *Omnigenos perculit ille Deos.* Iterum: *Ἔνθεν ἀοιδιάων μεγάλους ἀνέπεισεν ἄνακτας Ἀγριοπὴν μαλακοῦ πνεῦμα λαβεῖν βιότου.* Ovid. Met. X. paulo fusius: 'Tum primum lacrymas victarum carmine fama est Eumenidum maduisse genas, nec Regia conjux Sustinet oranti, nec qui regit ima, negare: Eurydicemque vocant.' Seneca iterum in Fur. 'Mulcet non solitis vocibus inferos, Et surdis resonat clarius in locis.' Et postea: 'Deflent et lacrymis difficiles Dei.' Et: 'Tandem, mortis, ait, vincitur arbiter: Evade ad superos.' *Cerda.*

At cantu commotæ] Fingit Orphei musica captos manes: idque partium inductione prosequitur. Tota autem hæc Orphei musica ad politicam scientiam ab Horatio in Arte poëtica refertur. *Ramus.*

Erebi de sedibus imis] De interioribus tenebris inferorum. *Servius.*

Erebi de sedibus imis] Signate, *imis*, nam Erebus est profunda pars inferorum Servio, et Pompon. Sabin. Inde alibi: 'imas Erebi descendit ad umbras.' Aliquid ad hanc rem Festus. *Cerda.*

472 *Umbræ*] Distinguit hic inter umbras, et simulacra ex doctrina veterum, qui distinguebant *εἴδωλον, σκιὰν, σῶμα, ψυχὴν*, *idolum, umbram, corpus, animam.* Idem.

Simulacraque luce carentum] Ex Lucr. III. 'cum sæpe figuras Contuimur miras, simulacraque luce carentum.' Supra Virg. 'tum corpora luce carentum Exportant tectis.' Vide vero flexum: *Umbræ tenues, simulacra luce carentum.* in VI. *tenues vitas.* Ennius in Hecub. *imagines mortuorum.* Idem.

Simulacraque luce carentum] Εἴδωλα

καμόντων dixit Homerus. Virgilius autem e Lucretio hemistichium mutuatus est l. IV. 'atque in somnis cum sæpe figuras Contuimur miras, simulacraque luce carentum.' *Ursinus.*

473 *In foliis avium se millia*] In antiquis omnibus exemplaribus, quæ versavimus, *in foliis*, non *in silvis*, legitur. et *milia* unico *l* tam hic, quam in Veterum monumentis sæpe legitur. Sunt qui substantivum *mille* et adjectivum scriptione distinguant. Præterea in Romano codice tres versus superabundant, ex Æneidos sexto huc importune translati, quodque magis indigneris, corruptissime scripti. *Pierius.*

Quam multa in foliis] Eadem comparatio est Æn. VI. ad explicandam hanc animarum multitudinem: 'aut ad terram gurgite ab alto Quam multæ glomerantur aves: ubi frigidus annus Trans Pontum fugat, et terris immittit apricis.' Homer. Odys. 24. procorum animas ductas ad inferos comparat cum vespertilionibus. 'Ὡς δ' ὅτε νυκτερίδες μυχῷ ἄντρου θεσπεσίοιο Τρίζουσαι ποτέονται: *Sicut autem quando vespertiliones secessu antri magni Strepentes volant, &c.* Claud. Rap. II. ita exornat hunc locum: 'Conveniunt animæ, quantas truculentior Auster Decutit arboribus frondes, aut nubibus imbres Colligit, aut frangit fluctus, aut torquet arenas.' Adi dictum locum Æn. *Cerda.*

475 *Matres, atque viri*] Locus Homeri ex Odyss. l. XI. Ψυχαὶ ὑπ' ἐξ ἐρέβους νεκύων κατατεθνειώτων, Νύμφαι τ', ἠΐθεοί τε, πολύτλητοί τε γέροντες, Παρθενικαί τ' ἀταλαὶ νεοπενθέα θυμὸν ἔχουσαι. *Ursinus.*

478 *Arundo*] Etiam Propert. II. 18. calamos arundinesque ad ripam Stygis collocat: 'Jam licet et Stygia sedeat sub arundine remex.' Ubi cymbam Charontis intelligunt: cum antiquitus ex arundine navigia conficerentur, auctore etiam Plinio VII. 2. qui et c. 56. 'Naves fieri,' ait, 'in Nilo ex papyro et scirpo et arundine.' Vide Not. J. Dousæ F. ad Propert. *Taubmann.*

479 *Cocyti*] *Cocytus* fluvius inferorum: et aliter, *Cocytus* amnis apud inferos, ex Styge profluens, ἀπὸ τοῦ κωκύειν, quod est gemere et flere. *Philarg.*

Inamabilis] Sunt codices, in quibus *innabilis* legatur. Sed enim probatiores omnes *inamabilis* legunt. Et Aulus Gellius eandem hanc lectionem agnoscit: dum dicit Virgilium, 'Stygiam paludem inamabilem dixisse κατὰ στέρησιν amoris.' Sicut *Illaudatum*, κατὰ τοῦ ἐπαίνου στέρησιν. Sed enim de hoc dictum loco suo. *Pierius.*

Inamabilis unda] Duplex explicatio, si *innabilis* legatur: vel irremeabilis; nam qui semel eo admissi, redire in vitam nequeunt, nec gradum revocare: vel tantum est negatio quædam, ad eum modum, quo Ovid. dixit Met. I. de prima rerum confusione: 'Quaque erat et tellus, illic et pontus, et aër. Sic erat instabilis tellus, innabilis unda, Lucis egens aër, nulli sua forma manebat.' Ita Virgil. dixit Æn. X. 'languentis pelagi.' Et Horat. od. II. 14. 'flumine languido Cocytus.' Hic enim aquarum languor adimit potestatem navigandi. Sunt tamen, qui in Virg. legant, *inamabilis unda:* id est, ἀνέραστος: ad eum modum, quo Ovid. de his locis dixit Met. IV. 'inamabile regnum.' Et X. 'inamœnaque regna tenentem Umbrarum dominum.' Et de Cocyto, et Phlegetonte, Claud. Ruff. II. 'inamœnus uterque Alveus.' Et Papin. Theb. I. 'inamœnum Cocytum.' Qua forma Nazianz. contra Jul. Orat. I. de hieme dixit, ἀτερπῆ χειμῶνα. *Cerda.*

480 *Adligat*] In codicibus aliquot manu scriptis, *atligat:* in aliis, *adligat* observes: quam antiquam non esse scriptionem, ex eo possumus conjectare (neque enim hic antiquitatem intelligo quæ vel Ennii vel Pacuvii temporibus, sed quæ circa Octavii

Augusti tempora vigebat) quod Terentius Scaurus Antiquos, *Pelligo*, non *Perlego*: *Colligo*, non *Conligo*: *Alligo*, non *Adligo*, dixisse asserit: hujusque pronuntiationis exempla ibi ex Virgilio desumit. Quare *alligat* geminato *ll* scribere deberemus. *Pier.*

Styx] Palus apud inferos. *Philarg.*

Styx interfusa] Hinc Claud. Rap. I. 'quos Styx liventibus ambit Interfusa vadis.' Papin. Th. II. 'Styx inde novis circumflua campis, Hinc objecta vias torrentum incendia cludunt.' Plat. in Phædon. de fluvio inferorum. κυκλῷ περιελθών: *revolutus in gyrum*: sed de hoc loco in Æn. VI. latius. Quod autem Virg. *alligat*, *coërcet*. Et Claud. *ambit*. Horat. dixit *compescit*, od. II. 14. nam de Pluton. 'Tityonque tristi Compescit unda.' Papin. *obstat*, l. IV. 'Et Styx discretis interflua manibus obstat.' Et in II. *implicat*, etiamsi de alio amne: 'Et quos Callirhoë novies errantibus undis Implicat.' *Cerda.*

482 *Inplexæ*] Involutæ, implicitæ, ἐμπεπλεγμέναι. *Servius.*

Inplexæ] In codice Longobardico, et aliquot aliis *amplexæ* legitur. In Oblongo, et altero admodum carioso *inplexæ*. In Romano *innexæ*: quem prætuleris, non laboro. *Pier.*

Cæruleosque inplexæ] Sunt qui hic *impexæ* malint, auctoritate et cognatione illius apud Tibull. 'Tisiphoneque impexa feros pro crinibus angues:' et Maronis Æn. VII. de Aventino: 'Ipse pedes tegmen torquens immane leonis, Terribili impexum sèta, cum dentibus albis, Indutus capiti.' *Germ.*

Inplexæ] Sic legunt plures, quos sequor. Itaque reddit Græcorum ἐμπεπλεγμέναι, id est, implicitæ, intortæ. Quidam malunt *impexæ* ex illo Tib. 'Tisiphoneque impexa feros pro crinibus angues.' Sed quid si in Tibul. *implexa* legi debeat ad imitationem Virg. Hoc prius scripseram, quam vidissem ita placitum Fruterio de Tibul. loco. Tu lege Notam Gifan. in Coll. ad Lucr. de voce *plexus*. *Cerda.*

Inplexæ crinibus anguis Eumenides] Eædem, quæ Furiæ, quæ Parcæ, de quibus alio loco. Harum capillis intorti angues, ut Horat. od. II. 13. inde Alecto torquata dicitur brevibus colubris, apud Ovid. Epist. Heroid. II. vide Æn. VI. 573. *Emmeness.*

483 *Tenuitque*] Id est, tacuit. *Phil.*

Tenuitque inhians] In antiquioribus aliquot cod. legi *tenuit inhians* nulla interposita particula copulativa. Nam et locus semiquinariæ communis est, si quis syllabæ timeat, et sententiæ concinnitas ipsum quodammodo hiatum repræsentat, cui, si *que* illud inserueris, fauces propemodum videberis obstruxisse. Non præteribo etiam *tenuitque minans* alicubi legi, sed id inemendate. *Pierius.*

Inhians Cerberus] Ex hoc loco Apul. As. IV. 'Iam faucibus ipsis hiantis Cerberi reluctabat.' Et l. V. ex correctione Colvii: 'hiantibus oblatrans faucibus.' Sed ut Cerberum silentem inducit, ita adloquentem Pluton. Claud. Rap. I. 'latratum triplicem compescuit ingens Ianitor.' De eodem cane Hor. od. II. 13. 'carminibus stupens Demittit atras bellua centiceps Aures.' Et od. III. 11. 'Cessit immanis tibi blandienti Ianitor aulæ Cerberus, quamvis furiale centum Muniant angues caput ejus, atque Spiritus teter, saniesque manet Ore trilingui.' *Cerda.*

484 *Ixionii vento rota constitit*] Deest *cum*: et hoc dicit, cum vento suo rota constitit: id est, cum causa volubilitatis quievit. *Servius.*

Vento] In codicibus aliquot *cantu rota* legitur, sed agnoscit *vento* Servius. *Pierius.*

Vento] *Vento* pro adventu significat, ut sit septimus casus: aut *vento* verbum gerundi est; nam intelligi debet adventu; fit enim gerundi sic: *ventum*, *ventu*. Ipse alibi: 'et pacem Romano ab rege petendum.' Quidam sic: *vento*, audiendum, consis-

tentem: ut est illud: ‘Cum placidum ventis staret mare.’ *Philarg.*

Rota constitit] Ad locum istum de cessatione pœnarum, quæ in inferno sunt, aspirarunt multi. Ovid. Met. x. ‘Talia dicentem nervosque ad verba moventem Exsangues flebant animæ, nec Tantalus undam Captavit refugam, stupuitque Ixionis orbis.’ Subjicit multa Seneca in Œt. ‘Hæsit non stabilis rota Victo languida turbine. Increvit Tityi jecur, Dum cantus volucres tenet.’ Tum reliqua Prudent. Hym. Cathem. v. ‘Marcent suppliciis Tartara mitibus, Exsultatque sui carceris otio Umbrarum populus liber ab ignibus, Nec fervent solito flumina sulphure.’ Et supra dixerat: ‘Sunt et spiritibus sæpe nocentibus,’ &c. Locum hunc longissime persequitur Claud. Rap. l. II. celebrans nuptias Plut. et Proserpinæ: ‘Pallida lætatur regio, gentesque sepultæ Luxuriant: epulisque vacant genialibus umbræ. Grata coronati peragunt convivia manes.’ Quæ restant, sunt multa. Lege. Inter reliquos lætantes, etiam Ixionem ita inducit: ‘Non rota suspensum præceps Ixiona torquet.’ Non abhorrent illa ejusdem Rap. I. ‘presso lacrymarum fonte resedit Cocytus, tacitisque Acheron obmutuit undis, Et Phlegethontææ requierunt murmura ripæ.’ Eodem pertinent versus Horatii, cum respectu ad Orpheum, etiamsi loquatur cum Mercurio: ‘Quin et Ixion, Tityosque vultu Risit invito, stetit urna paulum Sicca, dum grato Danai puellas Carmine mulces.’ *Cerda.*

Ixionii vento rota constitit] Hyginus fab. 62. hæc de Ixione memoriæ prodit: ‘Ixion, Leontei filius, conatus est Iunonem comprimere. Iuno, Iovis jussu, nubem supposuit, quam Ixion Iunonis simulacrum esse credidit. Ex qua nati sunt Centauri. At Mercurius, Iovis jussu Ixionem ad inferos in rota constrinxit, quæ ibi adhuc dicitur verti.’ Inde Tibull. Eleg. I. 3. ‘Illic Iunonem tentare Ixionis ausi Versantur celeri noxia membra rota.’ Ovid. IV. 460. ‘Volvitur Ixion, et se sequiturque fugitque.’ Noster VI. 616. ‘Radiisque rotarum Districti pendent.’ Imo Juvenal. per *rotam* simpliciter intelligit pœnam Ixioni impositam. Sat. XIII. 51. quam Ovid. Metam. X. 42. *orbem* appellat. *Emm.*

486 *Redditaque Eurydice*] Ita creditum a Poëtis, Virgilio hic, et Seneca in Furente, cum sit de vera Eurydice: ‘Evade ad Superos.’ Ovidio Met. X. ‘Hanc Rhodopeius accipit Orpheus,’ id est, Eurydicem. Boëthio de Consol. III. ‘Tandem vincimur, arbiter Umbrarum miserans ait, Donamus comitem viro, Emtam carmine conjugem.’ Demum aliis. At non Platoni, qui in Convivio: *ὀρφέα δὲ τὸν οἰάγρου ἀτελῆ ἀπέπεμψαν ἐξ ᾅδου, φάσμα δείξαντες τῆς γυναικὸς ἐφ' ἣν ἧκεν, αὐτὴν δ' οὐ δόντες*: *Orpheum Œagri filium voti impotem emiserunt ex inferis, neque enim uxorem, cujus gratia descenderat, restituere, sed illius phantasma monstrarunt.* Ex verbis Platonis lucem capit Hor. od. I. 24. qui de hac re loquens, *vanæ imagini* dixit, intelligens omnino *εἴδωλον*. *Cerda.*

Superas] Dicuntur *Superi* mortales ipsi cum relatione ad Inferos. Ex nostris non probo, quia id certum. Tantum adduco verbo Hieronymi Ep. 59. ad Avitum, qui hanc gentium locutionem attigit: ‘Quibus dictis nititur approbare, et firmamentum, id est, cœlum, ad comparationem superioris cœli esse inferos; et hanc terram quam incolimus, collatione firmamenti, inferos appellari; et rursum ad comparationem inferorum, qui subter nos sunt, nos cœlum dici; ut, quod aliis infernus est, aliis cœlum sit.’ *Idem.*

487 *Namque hanc dederat Proserpina legem*] Fuit veteribus hic mos, potius superstitio, ne quis discedens, locum retro respiceret, ex quo calamitosum quidpiam portenderetur: ne,

videlicet, quæ tristia essent revocarentur in memoriam, nam hoc ipsum ponebant mali ominis loco. Hanc rem docent me Apollonius, et Valerius, uterque Arg. III. Apud priorem ita præcipitur post peracta sacra magica: Ἂψ ἀπὸ πυρκαϊῆς ἀναχάζεο, μηδέ σε δοῦπος Ἠὲ ποδῶν ὄρσῃσι μεταστρεφθῆναι ὀπίσσω, Ἠὲ κυνῶν ὑλακὴ, μή πως τὰ ἕκαστα κολούσῃς. Apud posteriorem post violata jura hospitii amenti errore, et atroces cædes, peractaque sacra ad expiationem cædium: 'Continuo puppem petere, et considere transtris Imperat Ampycides, nec visum vertere terræ.' Ab hac superstitione non abeunt, quæ mihi fuse dicta Ecl. VIII. ad illud, *ne respexeris*. Ergo Virgilius vulgarem superstitionem transtulit ad legem Inferorum. Hanc probavit infelix exitus, nam respectionem Orphei secuta est ablatio uxoris. Par ferme lex illa Inferorum de Proserpina matri non reddita, tantum quia solvisset jejunium. Erant illa Ethnicorum mysteria, potius insaniæ. Cæterum locum ita tractat Seneca in Fur. Et Ovid. Met. X. 'Hanc simul et legem Rhodopeïus accipit Orpheus, Ne flectat retro sua lumina, donec Avernas Exierit valles: aut irrita dona futura.' *Idem.*

488 *Subita*] In Romano codice, et in aliquot aliis *subito* legitur: quod quidem adverbium eo loco non displicet. *Pierius.*

Incautum] Epitheton amantis est. *Servius.*

Incautum] P. Syri sententia, 'Amare et Sapere vix Deo conceditur.' *Taubmann.*

489 *Ignoscenda quidem, scirent si ignoscere Manes*] Participium sine verbi origine: non enim facit *ignoscor*, sicut nec *triumphor*, *regnor*. Servius.

Ignoscenda] Συγγνωστὸς, συγγνώμης ἀξία. Ut autem, *scirent si ignoscere manes*, dixit: sic et Epigr. l. III. ἤδη ἀλιτάνευτε, καὶ ἄτροπε· et ἀσυγγνώμονα alibi, δυσπειθῆ ἀΐδην, ἄσπονδον, ἀμείλικτον, ἀκήλητον, ἄκαμπτον, ἀδάκρυτον active: ut *illacrymabilem Plutonem* Horat. Et Æschyl. in Prometh. διὸς δυσπαραίτητοι φρένες. *Germ.*

Ignoscenda quidem] Eurip. in Androm. dixit: συγγνωστὰ μὲν οὔ σοι τάδε. Et de ipso Orpheo in Culice: 'Oscula cara petens, rupisti jussa Deorum. Dignus amor venia, parvum si Tartara vellent Peccatum ignovisse.' Vide Horatii od. I. 24. quæ scribitur ad Virgilium cum allusione ad historiam Orphei. *Cerda.*

490 *Iam luce sub ipsa*] Virg. ita signat exitum pene viæ: Ovid. vero: 'Nec procul abfuerant telluris margine summæ.' *Cerda.*

491 *Victusque animi*] Sic alio loco dixit, 'O præstans animi.' *Servius.*

Victusque animi] Ea forma, qua Æschyl. in Suppl. ἱμέρου νικώμενος. Sic et *falsus animi*, *saucius animi*, *fallor et crucior animi*, poëtis: et Æn. v. *furens animi*. Sic et Hom. de Cerere: ᾧ εἴξασα θυμῷ. et Catul. *vagus animi*. Sic et Aristot. lib. η'. Ethic. ἀκρατὴς θυμοῦ; impotens et iracundus: quamvis ἀκρατὴς, et ἀκρασία, simpliciter sine adjuncto, non tam θυμοειδὲς quam ἐπιθυμητικὸν καὶ σωματικὰς ἀπολαύσεις respiciat. Infra et *præceps animi*: et sæpe Arist. ἡττᾶσθαι θυμοῦ, καὶ ἐπιθυμίας. *Germanus.*

Victusque animi] Hac forma alii. Claud. Ruff. I. 'Ergo animi victus.' Et in Eutrop. II. 'exiguus animi.' Ita, 'lætus laborum, egregius morum, expertus belli, falsus animi.' Et multa hujusmodi. Sed sciant adolescentes hanc formam esse mere Græcorum. Arist. enim lib. η'. Ethic. pro iracundo dixit, ἀκρατὴς θυμοῦ. Tu hic expende, quot fulcra adjungat Poëta, excusans rem Orphei. Quasi dicat: Victus est: sed quid mirum, cepit illum *dementia*, et hæc *subita*: quem vero cepit? *amantem*, et hunc *incautum*. Deinde *immemor* fuit. Respexit vero *suam*, et hoc non statim, diu

enim toleravit, nam respexit illam *sub ipsa luce*, cum videlicet jam ferme esset in exitu. Ergo tametsi *victus* est, illi res fuit *ignoscenda*. Hinc jam tibi Lector sordebit Seneca, nitidus, si Virgilius abesset: 'Odit verus amor, nec patitur moras: Munus, dum properat cernere, perdidit.' Sordebit Ov. 'Hic, ne deficeret, metuens, avidusque videndi Flexit amans oculos.' Istorum enim affectus nequaquam conferendi cum Virgilianis, nec numero, nec vigore. *Cerda.*

Respexit] Id est, commisit in legem, sibi datam. *Servius.*

Ibi omnis Effusus] Id est, functus et frustratus. *Idem.*

Ibi omnis Effusus labor] Ovid. ita rem hanc: 'et protinus illa relapsa est, Brachiaque intendens, prendique et prendere captans Nil nisi cedentes infelix arripit auras.' Seneca in Œt. 'Sed dum respicit immemor, Nec credens sibi redditam Orpheus Eurydicem sequi Cantus præmia perdidit.' *Cerda.*

492 *Tyranni*] Id est, Plutonis. *Serv.*

Tyranni] Ἀθέλκτου, ἀκηλήτου: et Homer. ἄνακτος ἀμειλίχου, et ἀμειλίκτου. *Germanus.*

Tyranni] Ita etiam Plutonem nominat Claud. Rap. I. 'tremefacta silent dicente Tyranno Atria.' *Cerda.*

493 *Terque fragor stagnis auditus Avernis*] Quasi exultarent umbræ reditu Eurydices. Lucanus dicit in Orpheo strepitum factum redeunte Eurydice, ob hoc, quia 'gaudent a luce relictam Eurydicen, iterum sperantes Orphea manes.' *Servius.*

Terque fragor stagnis auditus Avernis] In Romano codice legitur, *terque fragor stagni est auditus Avernis*. Cæterum in eo litteræ omnino aliquot superfluæ. In Mediceo *Avernis* erat, nunc *s* ultima littera abrasa est, ut cum Servio sentiret lectio. *Pierius.*

495 *Iterum crudelia retro Fata vocant*] Ovidius: 'Bis rapitur, vixitque semel.' *Servius.*

496 *Natantia lumina*] In mortem reducta. *Idem.*

Conditque natantia lumina somnus] Dictum hoc, quia statim mors in ipsis apparet. Partem enim corporis principem horror illic invadit. Simonides apud Stob. Σίγα δ' ἐν νεκύεσσι· τὸ δὲ σκότος ὅσσε κατάῤῥει: *Silentium mortuos occupat, ac tenebræ in oculos defluunt.* Poëta rem mire expressit per *natantia lumina*. Vide, ut explicui. Sumsi explicationem a Lucretio, qui non alio sensu dixit l. III. loquens de ebriis: 'tardescit lingua, madet mens, Nant oculi, clamor, singultus, jurgia gliscunt.' Virgilium æmulati sunt multi, delectati eo attributo, ut qui proprius admodum. Pap. Theb. II. 'ille oculos etiamnum in luce natantes Sistit, et aspecta germani morte, resolvit.' Albinovan. de morte Drusi: 'Lumina cærulea, jam jamque natantia nocte.' Ovid. Met. V. 'Jam moriens oculis sub nocte natantibus atra.' Sil. l. II. 'Membra levat, parvaque oculos jam luce natantes Irrorat lacrymis.' Idem l. X. veluti explicans, quid sit *natare oculos* in morte, dixit: 'Exhalat lucem, et dubitantia lumina condit.' Pari lepore ad genas transtulit Papin. Silv. V. 'jam jamque natantes Exercere genas, dulcesque accersere somnos.' Et ad ebrietatem Ovid. Fast. VI. 'Nox erat, et vinis oculique animique natabant.' *Cerda.*

Somnus] Æn. X. 'Olli dura quies oculos et ferreus urget Somnus.' Nam Mors et Somnus fratres sunt. *Taubmann.*

497 *Jamque vale. Feror ingenti circumdata nocte*] Et hic ex Eurip. in Phœniss. versus sub persona Polynicis animam agentis, et hæc ad matrem et sororem: καὶ χαίρετ', ἤδη γάρ με περιβάλλει σκότος. *Germanus.*

Jamque vale. Feror ingenti circumdata nocte] Putatur hic versus conversus ex Eur. in Phœn. ubi Polynices agens animam, ita loquitur ad matrem et sororem, καὶ χαίρετ', ἤδη γάρ

με περιβάλλει σκότος: *valete jam, me circumdant tenebræ.* Ovid. rem Virgilii ita: 'Supremumque vale, quod jam vix auribus ille Acciperet, dixit: revocataque rursus eodem est.' Ut vero Noster *noctem*, pro tenebris quæ suboriuntur in oculis morientium, ita Calab. l. III. ἀμφὶ δέ μιν νὺξ μάρψεν. *Cerda.*

498 *Invalidas palmas*] In umbræ tenuitatem reductas. *Servius.*

Heu non tua] Quia supra dixit, 'Eurydicenque suam jam.' *Idem.*

Inval. ti. tend. heu non tua palm.] Respondet huic loco ille Propertii l. I. 'Sed cupidus falsis attingere gaudia palmis. Thessalis antiquam venerat umbra domum.' *Germanus.*

500 *Fugit diversa*] Id est, per diversa. *Servius.*

501 *Prensantem umbras*] Ovid. 'prendique et prendere certans, &c.' *Taubmann.*

502 *Præterea*] Postea ut, 'Et quisquam numen Junonis adoret Præterea?' *Servius.*

Præterea] Præterea, ultra. *Phil.*

Portitor Orci] Ita a Lucano VI. Charon vocatur: 'flagrantis portitor undæ.' Et a Pap. Theb. XII. 'Lethæi portitor amnis.' Et ab Albinovano ad Liviam, 'avarus portitor.' *Cerda.*

Portitor Orci] Definitio est Charontis: de quo sexto Æneid. 'Portitor has horrendus aquas et flumina tranat, Horribili squalore, Charon.' Orcus est fluvius Thessaliæ, influens in Peneum, sed olei instar supernatans, brevique spatio abdicatus, ut Homer. scribit Iliad. II. *Ramus.*

503 *Amplius objectam passus transire paludem*] Mysticum est. Dicitur enim bis eandem umbram evocari non licere. *Servius.*

504 *Quid faceret*] Expendit hunc locum, et similia Scaliger Poët. III. 27. Nam in Virgilio jam est simplex interrogatio: 'quid primum deserta querar?' Jam interrogationi admiratio conjungitur: 'quem primum, quem postremum aspera virgo Dejicis?' Jam dubitatio, ut in hoc loco. *Cerda.*

Rapta bis] Nonnulli veteres codices legunt, *quo se bis rapta conjuge*, ut evitarent vocem in continuatione sermonis, quæ communis est cum *raptabis*, a *Rapto raptas;* sed monosyllabum *bis* plerisyllabicis illis dictionibis interjectum, modulatius videtur adsonare. *Pierius.*

Bis rapta] Hoc Ovid. Metam. X. 'gemina nece,' dixit. Et Trist. IV. I. 'bis amissa conjuge.' *Cerda.*

505 *Quo fletu Manis, qua numina voce moveret*] In Romano codice legere est: *Quos fletu Manis, quæ numina voce moveret?* nam illi amplius adeundi non erant, a quibus durissimæ conditionis leges acceperat. Quanquam non displiceat *quo fletu*, et *qua voce.* Pierius.

507 *Septem*] Ita auget Poëta calamitatem, quam describit. Bene itaque Macrob. IV. 3. 'Orpheus miserabilis ex longo dolore.' Non dissidet ab hoc loco pœnitentia Cereris propter raptam filiam, de qua Ovid. Fast. IV. 'Sub Jove duravit multis immota diebus, Et Lunæ patiens, et pluvialis aquæ.' *Cerda.*

Ex ordine] Sine intermissione. *Serv.*

Ex ordine] Ἐφεξῆς. De hac emphasi Scalig. Poët. IV. 34. *Taubmann.*

Septem illum totos, &c.] Hebræi, ut et Ægyptii, septem pro pluribus, item pro re pluries repetita ponunt. 'Redde vicinis vestris septuplum in sinum eorum.' Chrysostomus actione in Judæos V. ait septenarium numerum in divinis literis infinitæ multitudinis signum habere. Et ita forte hoc Virgilianum accipiendum; ut et alibi, *immania septem terga boum*, et alia pleraque. *Pierius.*

508 *Aëria*] Quæ sit vicina astris. Strymon autem amnis est, finiens Thraciam, sed hic pro Hebro positus. *Philarg.*

Deserti] Asperi, inculti. *Servius.*

Strymonis] Fluvius est Thraciæ, circa quem ad extinguendum amoris calorem morabatur. *Idem.*

509 *Flevisse*] In Romano codice legere est *flesse sibi:* quippe solitarium deserti ad Strymonis undam: non amplius ad Manis, Deosve inferos exorandos: non ad contrahendas feras, et supervolantes aves: non ad agrestium hominum fera corda mitiganda, moresque componendos expoliendosque: sed sibi: sed ad calamitatis suæ lamentationem: sed ad inferorum duriciem incusandam. *Flesse sibi,* ut tanti doloris lenimentum aliquod inveniret musarum beneficio, cum quibus ortas ait Hesiodus, *λησμοσύνην τε κακῶν ἀμπαυμάτε μερμηράων.* *Pierius.*

Hæc] Id est, talia, qualia ipse commemorat. *Servius.*

Evolvisse] Recte. Hoc enim verbum vatum est, et canentium. Papin. illo auspicatur Thebaidem suam: ‘Fraternas acies, alternaque regna profanis Decertata odiis, sontesque evolvere Thebas Pierius menti calor incidit.’ Catul. de Coma Berenices: ‘Condita quin etiam pectoris evolvam.’ Claudian. Paneg. Stil. I. ‘Tantarum sperem cumulos advolvere rerum.’ Ubi ex conjectura lego *evolvere;* et imitatione Virgilii. Ovid. Trist. II. ‘Nec tamen est facinus molles evolvere versus.’ *Cerda.*

Sub antris] In Romano codice, et aliquot aliis *sub astris* legitur. Astra nimirum Gelida appellat Septentrionalia: sequitur enim, *Solus hyperboreas glacies Tanaimque nivalem, Arvaque Riphæis nunquam viduata pruinis Lustrabat:* quæ omnia loca in Septentriones deflexa sunt. *Pierius.*

510 *Agentem carmine quercus*] Id est, moventem. *Servius.*

Quercus] Arborum indicem exhibet Ovid. Metam. x. vs. 88. seqq. et 143. ‘Tale nemus vates attraxerat.’ Alludit Horat. od. I. 12. silvas protractas docens: ‘inde vocalem temere insecutæ Orphea silvæ:’ de montibus, saxis, &c. quæ delenire et movere potuit loco: prolixius ad hanc versum Cerda, quem vide. *Emmen.*

511 *Philomela*] Luscinia. *Phil.*

Philomela] Philomelam Servius pro ave qualibet positam ait. Sed cur non proprie de Luscinia intelligamus, cui a lugubri cantu nomen inditum: eademque *flet noctem?* nisi ea de caussa dictum a Servio quisquam opinetur, quia nonnulli volunt ex duabus sororibus Procnem in Lusciniam, Philomelam in Hirundinem esse conversam, ut eo loco habetur: ‘Et manibus Procne pectus signata cruentis:’ quod etiam tradit Varro. *Pier.*

Qualis populea mœrens Philomela, &c.] Fortasse alludit ad id, quod Thraces perhibent (teste Pausania) luscinias, quæ circa Orphei sepulchrum nidos haberent, vocaliores esse cæteris. De cantu autem lusciniæ, Plinius ambitiose philosophatur, x. 29. Variant autem in fabula Philomelæ poëtæ: nempe alii Philomelam in hirundinem versam volunt, et Prognen in lusciniam aëdonem: alii contra. Certe quicquid ad Terei tragicam fabulam pertinere potest, id exsequitur diffusius Eustathius in Odyss. v. Sunt, qui ducto a natura et more aviculæ hujus argumento, negent Philomelam pro luscinia accipi debere, cum hic Philomelæ in orbitate lugubris næniæ partes tribuat Maro, quæ ab ovorum incubatu canendi finem facere experientia cognoscatur. *Germanus.*

Qualis populea mœrens Philomela] Vix credas, uti ingenia poëtarum aspiraverint ad gloriam hac comparatione: adeo sæpe illam advocant. Numerabo aliquos. Ab uno Sophocle septies assumitur, semel in Ajace, semel in Antigone, bis in Trachiniis, ter in Electra. Ab Homero bis Odyss. XVI. et XIX. Eam usurpat Eurip. in Phœniss. Calaber l. XII. et VII. Opp.

Hal. I. et v. Moschus Epitaphio Bionis, Callimachus in Lavacro Palladis, Nonnus Dionys. II. ἀδέσποτος quidam Anth. III. Latini passim. Usi hac comparatione Catul. ad Ortalum: 'Qualia sub densis ramorum concinit umbris Daulias, assumti fata gemens Ityli.' Ovid. Fast. v. 'Quacunque ingreditur, miseris loca cuncta querelis Implet, ut amissum cum gemit ales Ityn.' Et in Epist. 'Quin etiam rami positis lugere videntur Frondibus, et nullæ dulce queruntur aves. Sola virum non ulta pie mœstissima mater, Concinit Ismarium Daulias ale Ityn.' Albinovanus de morte Drusi: 'Talis in umbrosis mitis nunc denique silvis Deflet Threïcium Daulias aves Ityn: Halcyonum tales ventosa per æquora questus Ad surdas tenui voce sonantur aquas.' Sen. Œt. 'fugit vultus Philomela suos, natumque sonat Flebilis Ityn.' Octavia secum loquens: 'repete assuetos Jam tibi questus, atque æquoreas Vince Halcyonas, vince et volucres Pandionias.' Papin. Th. IX. 'Fluctivagam sic sæpe domum, madidosque penates Halcyone deserta gemit, cum pignora sævus Auster, et algentes rapuit Thetis invida nidos.' *Cerda.*

Qualis populea, &c.] Inter exempla ex Græcis scriptoribus desumpta, quæ Cerda diligenter satis, more suo, collegit, hoc Moschi non numerare non potui, quod est idyll. IV. 21. 'Ὡς δὲ τ' ἀδύρεται ὄρνις ἐπὶ σφετέροισι νεοσσοῖς Ὀλλυμένοις, &c. elegantissimæ hujus similitudinis etiam meminit Rittershusius ad Oppian. Halieut. I. p. 213. *Emmeness.*

514 *Flet noctem*] Jugi nocte, continuo fletu. *Servius.*

515 *Integrat*] Renovat. *Philarg.*

Integrat] Id est, renovat. Lucr. l. II. 'Omnia debet enim cibus integrare novando.' Nonius *redintegrare* exponit. Ter. in And. act. III. 3. 'amoris integratio,' id est, instauratio: ita enim lib. Donat. *Taubmann.*

Integrat] Sic Stat. Thebaid. l. v. 'immania vulnera rector Integrare jubes.' pro quo noster Æn. II. 8. *renovare.* Emmeness.

Late loca questibus implet] Ductum a Lucr. l. II. 'Aëra per tenerum liquidis loca vocibus opplent.' Ab utroque Pap. Th. II. 'Questibus implet agros.' Et Ovid. Fast. IV. 'Quacunque ingreditur miseris loca cuncta querelis Implet: ut amissum cum gemit ales Ityn.' *Cerda.*

516 *Nulla Venus*] Quæ forma anteibat, *Veneris* nomine appellabatur. Plaut. Bacch. II. 2. 39. 'ni nactus Venerem essem, hanc Junonem dicerem.' Curc. I. 3. 36. 'Tun' meam Venerem vituperas?' *Emmeness.*

Non ulli] In Romano codice, in Mediceo, et aliquot aliis antiquis legere est *nulla Venus, non ulli animum:* in aliis *nullive animum.* Pierius.

Animum flexere] Etiam Terent. *flectere animum* dixit. Et Ennius in disticho, quod Scaliger restituit: 'Quo vobis mentes, rectæ quæ stare solebant Antehac, dementes, sese flexere vietæ?' Ubi App. Claudius conqueritur, mentes illas παγίας καὶ ὀρθίας, *stantes* rigidasque, jam incurvatas, vietas et *flexibiles* esse: nam τὸ ἐξατονοῦν contrarium est τῷ ὀρθίῳ: ut ingeniosissime Scaliger disputat. *Taub.*

Flexere Hymenæi] Inde Ovid. Metam. x. 79. 'omnemque refugerat Orpheus Fæmineam Venerem; seu quod male cesserat illi: Sive fidem dederat. Multas tamen ardor habebat, Jungere se vati: multæ doluere repulsæ.' *Emmeness.*

517 *Solus Hyperboreas glacies, &c.*] De Orpheo Dio Chr. Or. XXXII. καὶ γὰρ ἐκεῖνον ἐν τοῖς ὄρεσί τε, καὶ περὶ τὰς νάπας τὰ πολλὰ διατρίβειν: *nam illum fere in montibus, et circa saltus commoratum.* De eodem Ovid. 'in altam Se recipit Rhodopen, pulsumque Aquilonibus Hæmum.' Horat. Od. I. 12. 'Aut in umbrosis Heliconis oris, Aut super Pindo, gelidove in Hæmo,

Unde vocalem temere insecutæ Orphea silvæ.' *Cerda.*

Tanaïmque nivalem] Fluvium Scythiæ. *Servius.*

Tanaïmque] *Tanaïs* fluvius, qui dividit Asiam ab Europa: est autem Scythiæ. *Philarg.*

Tanaïmque nivalem] Ea forma Hor. od. III. 23. 'Algido nivali.' Claud. Epithal. 'nivalis Caucasi.' Pap. Th. III. 'nivalem Othryn.' Et VI. de Cygno equo: 'Cygnum nivalem.' Et XII. 'Scythiam, Pontumque nivalem.' Ovid. de Pont. IV. 'sub nivali axe.' Ita et Græci, nam Hom. τμώλῳ νιφόεντι: et Sophoc. Œdip. νιφόεντα παρνασσόν. *Cerda.*

518 *Nunquam viduata pruinis*] Semper nivibus plena. *Servius.*

Viduata] Veteribus *viduare* fuit privare. Itaque *loca non viduata pruinis*, sunt, non privata. Sicut in Pap. Th. X. *viduæ moderantibus alni*, id est, naves privatæ moderatoribus. Et Horat. od. I. 10. 'viduus pharetra Apollo.' Inde est, ut quæ viros habent superstites, si illi tamen absint, dicantur etiam viduæ, quod ex Sen. Ovid. Plaut. probat noster Delrius in Troad. (Quibus possis adjungere Ovid. in epistolis) non solum quæ habent viros defunctos. Quin ipsæmet virgines *viduæ* dicuntur ab Seneca in Agamemn. vide Delr. versu 195. et in Troad. vs. 14. *Cerda.*

Viduata pruinis] Semper nubibus plena: S. Culex: 'Cogor adire lacus viduos a lumine Phœbi.' V. N. Æn. VIII. 571. *Taubmann.*

519 *Irrita*] Solemne verbum sacrorum, quibus *irrita* dicebantur, quæ fierent, adversante Numine, neque acceptante. Sic Ovid. Met. VII. *thura irrita* dixit. Idem de re Poëtæ loquens Met. X. *irrita dona.* Abnuit enim Pluto, quæ concesserat. *Cerda.*

520 *Spretæ*] Aliquot antiqui codices *spreto* legunt, ut sit, spretis ab Orpheo nuptiis. Servius mavult, *spretæ matres.* Pierius.

Ciconum] Thraces mulieres sunt, quæ ab Orpheo spretæ, discerpsere eum per Liberi sacra simulata. *Serv.*

Ciconum] *Cicones* gens Thraciæ, a Cicone, Apollinis filio, dicta. Orpheus autem quoniam post obitum Eurydices omnes feminas fastidiit, translato in pueros amore, discerptus est. Asper, *quo munere*, ob quam rem, vult accipi: potest et, *Spretæ quo munere*, id est, matrimonii. *Philarg.*

Quo munere matres] Nuptiali scilicet. *Servius.*

521 *Inter sacra Deum*] Expendit istum locum Macrob. IV. 3. Nam a loco sacro solet Poëta excitare affectum. Ita in eversione Trojæ: 'perque domos, et relligiosa Deorum Limina.' Et Cassandra trahitur vincta ab *adytis Minervæ.* Alius, 'Divæ Armipotentis ad aram Procubuit.' *Cerda.*

Nocturnique orgia] Quia sacra ejus nocte celebrantur: ex quo *Nyctelius* est cognominatus. *Philarg.*

Nocturnique] In codicibus aliquot antiquis, *nocturnique* legitur, per hypallagen: quamvis nonnulli ex peritioribus *nocturna* receperint: qua lectione nulla fiet collisio in *nocturnaque orgia.* Sane vero in Mediceo, *nocturni* scriptum est. *Pierius.*

Nocturnique orgia Bacchi] Pulcre, nam Orgia (ut multi volunt) dicta παρὰ τῆς ὀργῆς. Itaque in insano sacro peracta cædis Orphicæ insania. Scio ab aliis deduci ἀπὸ τῶν ὄρων, quia in montibus sacra ista plerunque celebrabantur. Unde et Bacchus ipse ὄρειος dictus. Ab aliis ἀπὸ τοῦ εἴργειν, *ab arcendo*, quod ab his sacris profani arcerentur. In his est Interpres Apollon. l. I. Accinit versus veteris Poëtæ, quem advocat Clemens Strom. l. IV. 'Arcana non Bacchantibus scire haud licet.' Sed quæ Orgia celebritates Bacchi, hoc κατ' ἐξοχήν: nam etiam Deorum omnium celebritates, dicta sunt Orgia. Serv. Æn. IV. 'Sane sciendum, Orgia apud Græcos dici

sacra omnia, sicut apud Latinos ceremoniæ dicuntur: sed jam abusive sacra Liberi, Orgia vocantur.' Juvat, Græcis ὀργιάζειν, et ὀργιάζεσθαι esse in communi, rem divinam facere: et κατοργιάζεσθαι, initiari divinis mysteriis, quæcunque illa sint, id est, μυεῖσθαι. Inde Catull. ad Eleusinia transtulit, quæ ad Cererem, non Bacchum pertinuerunt: 'Pars obscura cavis celebrabant Orgia cistis, Orgia quæ frustra cupiunt audire profani.' In attributo *nocturni* allusum ad sacra Bacchi, quæ, quia noctu celebrabantur, dicta sunt Nyctelia, et Bacchus ipse νυκτέλιος. Ovidius Art. I. utramque vocem conjunxit: 'Nycteliumque Patrem, nocturnaque sacra precare, Ne jubeant capiti vina nocere tuo.' Oppian. Cyn. I. νυκτερὰ θύσθλα, vocat: *nocturna sacra*. Bacchi Nyctelii meminit Plutarch. in lib. qui inscribitur de εἰ in foribus templi Delphici; et in Attic. Pausanias. Hæc sacra, quod admodum impudica, Roma respuit, quæ aliorum tamen libidinem admisit, ut Floræ, ut Veneris. Sed et tota Italia exterminata sunt severissimis pœnis. *Cerda.*

522 *Discerptum latos juvenem*] Supplicii hujus exsecutionem habet Ovid. Met. X. multis versibus. Lege. Attigit Seneca in Medea: 'Thracios sparsus jacuit per agros.' Et Ovid. iterum in Ibin. De morte Orphei, longe aliter, quam hic narratur, habes apud Pausaniam l. IX. qui ait, illum obiisse desiderio conjugis: vel tactum de cœlo exanimatum, quod sacra mysteria hominibus publicaverit. Longe etiam aliter apud Menæchmum, qui ait interfectum a Pieridum choro. Phanocles apud Stobæum Serm. 62. hanc caussam adducit: Οὕνεκα πρῶτον ἔδειξεν ἐνὶ θρήκεσσιν ἔρωτας Ἄῤῥενας, οὐδὲ πόθους ᾔνεσε θηλυτέρων. *Idem.*

523 *Marmorea caput a cervice revolsum*] Id est, pulchra. Sane alludit ad id quod dicit Ovidius, quia cum caput ejus ad ripam delatum serpens mordere voluisset, est conversus in lapidem. *Servius.*

Caput a cervice revolsum] Constat caput Orphei in Hebrum projectum, et fluctus in Lesbum insulam detulisse. *Philarg.*

Marmorea cervice] Pro candida et pulchra, sic enim scholiastes Homeri Iliad. Γ. 126. μαρμαρέην interpretatur λαμπρὰν, λευκήν. Sic Ennius, vel ut alii volunt Lucilius: 'stare papillas Pectore marmoreo.' Sil. Ital. l. XII. 'violataque cervix Marmoreum in jugulum,' &c. Mart. Ep. VIII. 56. 'Marmorea fundens nigra Falerna manu.' Ovid. amor. el. II. 11. 'Litora marmoreis pedibus signanda puellæ.' Non conversum esse caput Orphei in lapidem, sed serpentem morsu petentem os vatis, crediderim ex Ovid. Met. XI. 58. 'Morsusque inferre parantem Arcet; et in lapidem rictus serpentis apertos Congelat,' &c. *Emmeness.*

Caput a cervice revolsum] Putatur ductum hoc a Varrone Atacino, qui 'Oscitat in campis caput a cervice revulsum, Semianimesque micant oculi, lucemque requirunt.' Quos versus alii Ennio attribuunt. Hom. quoque Il. XVIII. ita ad verbum κεφαλὴν .... ταμόνθ' ἁπαλῆς ἀπὸ δειρῆς. Et de Orpheo ipso Phanocles apud Stob. Serm. 62. Τοῦ δ' ἀπὸ μὲν κεφαλὴν χαλκῷ τάμον. αὐτίκα δ' ὑπὴν Εἰς ἅλα θρηϊκίην ῥίψαν ὁμοῦ χέλυϊ: *Caput ejus ferro amputarunt, et statim una cum Testudine abjecerunt in mare Threicium.* Simile illud Æn. II. 'Avulsumque humeris caput.' Lucret. l. III. 'Et caput abscissum.' Ovid. in Epist. ita extulit, 'recessisset caput a cervice.' *Cerda.*

524 *Œagrius Hebrus*] Œagrius fluvius est, pater Orphei: de quo Hebrus nascitur, unde eum appellavit *Œagrium*. Servius.

Œagrius Hebrus] Fluvius in Thracia est, qui ex fontibus Rhodopes manans perlabitur. Dictus ab He-

bro, Boreæ fratre, quem nunc Œagrium dicit, ab Œagro rege Thraciæ, Orphei patre. *Philarg.*

525 *Eurydicen vox ipsa, et frigida lingua*] Pari affectu de hac ipsa re Ovid. Met. XI. ad Nostri vestigia: 'caput, Hebre, lyramque Excipis, et (mirum) medio dum labitur amne, Flebile nescio quid queritur lyra, flebile lingua Murmurat exanimis, respondent flebile ripæ.' Silius l. XI. 'tulit ora revulsa In pontum ripis utrinque sequentibus Hebrus. Tum quoque cum ripis caput a cervice recisum Portarent fluctus, subito emicuere per undas Ad murmur cete toto exsultantia ponto.' Papin. Syl. II. 'Sic ripis ego murmurantis Hebri Non mutum caput Orpheos sequebar.' Phanocles dicto loco de capite Orphei, Ἠχῆ δ' ὡς λιγυρῆς πόντον ἀνέσχε λύρης: *Edebatur autem per pontum sonitus velut argutæ Lyræ.* Cerda.

Frigida lingua] Exsanguis. Etiam Aristot. de Partib. Animal. III. 10. de Sacerdote Jovis occiso narrat, linguam præcisi capitis locutam esse, et latronem nominasse. Crassus apud Cic. Orator. III. 'Hæc tibi est excidenda lingua: qua vel evulsa, spiritu ipso libidinem tuam libertas mea refutabit.' *Taubmann.*

528 *Hæc Proteus*] Subaudi, dixit. *Servius.*

Se jactu ded. æq. in altum] Sic et Eurip. in Iphig. in Taur. πόντῳ δὲ δόντες τὴν ξένην καθίεσαν· et Musæus: δέμας δ' ἔῤῥιψε θαλάσσῃ. De eodem etiam Proteo paulo aliter Hom. ὣς εἰπὼν ὑπὸ πόντον ἐδύσατο κυμαίνοντα. *Germanus.*

529 *Sub vertice torsit*] Ovid. Fast. V. 'Ille meas remis advena torsit aquas.' Loquitur videlicet Tiberis de Euandro. Catul. de Nupt. Pel. 'Tortaque remigio spumis incanuit unda.' Sic legit Achill. Stat. ex m. s. non *tota*. Juvat Statium Nota Gifanii, qui illud Æn. VIII. de Nilo, *et tota veste vocantem*, legit, *torta*. Sed quid est *sub vertice?* Nonne spuma excitata est super demersum caput? Expedies Poëtam, si dicas, Orpheum, se præcipitem et προκάρηνον deturbasse in mare. Tunc enim sub capite excitata est spuma. Sed melius cogitat Germ. videlicet legendum *sub vortice*, ut Poëta referat ad undarum δίνας, et contortiones, dicatque: torsit undam sub vortice, id est, undam vorticosam. Sicuti legere flores sub vere, erit, legere vernos flores. Alludit explicatio ista cum verbis Lucret. l. I. qui loquens de ventis et fluminibus, dixit *vortice torto*. Cerda.

530 *At non Cyrene*] Deest *territa est:* quod ex sequentibus datur intelligi. *Servius.*

Timentem] Oraculo Protei perterritum. *Taubmann.*

534 *Munera Tende*] Id est, sacra para. Quæcunque deorum placandorum caussa aris inferebantur, *dona* proprie appellabant. Donatus ad Ter. Eun. extrema: 'donum deorum est: præmium virorum fortium: munus hominum.' Cicero de Leg. II. 'donis impii ne audeant placare deos.' Eadem tamen interdum et *Munera* vocabant. Ita Æn. I. 'Munera lætitiamque Dei.' Ovid. Met. IX. 'Dant Munera templis.' Vide Brisson. Form. l. I. *Idem.*

535 *Petens pacem*] Beneficium, benevolentiam. *Servius.*

Tende, petens pacem] Id est, veniam, *Nonius:* beneficium et benevolentiam, *Servius* exponit. Ita apud Plaut. Amph. act. v. 1. 'Jovis pacem expetere,' est, Jovem sibi propitium habere velle. Nam et *Pax* et *Venia*, verbum Pontificale est. V. N. Æn. III. 'precibusque jubent exposcere pacem.' Item Brisson. Form. l. I. *Taubmann.*

Faciles Napæas] Exorabiles nymphas, ad ignoscendum paratas. Sane sciendum, easdem esse Napæas, quæ et Dryades sunt. Nam supra ait,

'At chorus æqualis Dryadum.' *Servius.*

Faciles] Συγγνωμονικὰς καὶ συγγνώμονας θεὰς supra: 'faciles Nymphæ risere:' Napææ autem ἀπὸ τῆς νάπης, vel νάπους. *Germanus.*

Faciles] Sic Donat. ad Ter. Ad. v. 4. 7. *faciles* appellat, *quorum ira cito solvitur.* Napæas etiam vallium Deas dixeris. *Emmeness.*

Napæas] *Napæas* nemorum Nymphas: νάπας enim Græce dicunt nemora: et *faciles* hic pro placabiles. *Philarg.*

538 *Eximios præstanti corpore*] In Romano codice legitur, *eximio præstantis corpore:* quod tantundem est. *Pierius.*

Eximios] Locum hunc Macrob. explicat Satur. III. 5. a quo omnes. Ait *eximios* non nudum esse epithetum, sed sacerdotale nomen: nam Veratius in quæstionib. Pontificalibus docet, 'eximias dictas hostias, quæ ad sacrificium destinatæ eximantur e grege: vel quod eximia specie quasi offerendæ Numinibus, eligantur.' Postremum magis placet. Est enim *eximere,* cum is emtum, præstantiora quæque ex emendis eligere. Græci vocant βοῦς ἐξαιρέτους. et ἐκκρίτους. Et Plato Leg. v. dixit Diis sacranda ἐξαίρετα τεμένη, *eximios lucos,* id est, electos, delectosque. Eligebantur autem ex toto armento tauri, qui mactandi essent, et offerendi Numinibus. Est hoc, quod dicit Virgil. Ge. III. *servare aris,* in divisione, quam adhibet, taurorum. Et hic clare: 'eximios delige.' Et Hom. Odys. XIII. ταύρους κεκριμένους: *electos tauros.* Aperte Papin. Theb. I. 'Nigri tibi Diva litabunt Electa cervice greges.' Et Lucan. l. I. 'sacris tunc admovet aris Electa cervice marem.' Ab hac perfecta Deorum placatione orta sunt verba βουθυτεῖν, βουτελεῖν, βουιερεύειν, βουφονεῖν. *Cerda.*

540 *Delige, et intacta*] In Longobardico *dilige* legitur, quod etiam superius habuimus eodem significato. Sed et *intactas* quippe juvencas, per syllepsim legitur in Romano codice, sermone magis Poëtico. Quanquam et illud venuste dictum, *Intacta cervice,* quod agnoscit Servius. *Pierius.*

Delige] Etiam Sacerdotale verbum est: ideo præmisit, *præstanti corpore:* quod eximia specie, quasi numinibus offerendæ, eligerentur. *Taubmann.*

Intacta cervice] Indomita. Et dicit animalium sacrificium esse faciendum, ut non tantum occidantur hostiæ. *Servius.*

Intacta cervice] Observatum hoc insigniter ad sacra. Seneca in Agam. 'ad tua conjux Candida tauri delubra cadit Nescia aratri, nullo collum Signata jugo.' Et in Medea: 'Lucinam nivei fœmina corporis Intentata jugo placet.' Ovid. Fast. I. 'Colla rudes operum præbent ferienda juvenci.' Et III. 'Tollit humo munus, cæsa prius ille juvenca, Quæ dederat nulli colla premenda jugo.' Græci ἀζύγους vocant, ἀκεντρίστους, ἀδμῆτας. Postremum usurpat Hom. Il. XII. firmans morem, in quo sum, Σοὶ δ' αὖ ἐγὼ ῥέξω βοῦν ἦνιν, εὐρυμέτωπον, Ἀδμήτην, ἣν οὔπω ὑπὸ ζυγὸν ἤγαγεν ἀνήρ: *Tibi vero ego sacrificabo juvencam hornam, latæ frontis, Indomitam, quam nemo sub jugum misit vir.* Alii hujusmodi juvencam vocant ἀκάκωτον, ἁπαλὴν, νέαν, σφριγῶσαν: *illæsam, teneram, juvenem, lascivam.* Cerda.

Intacta cervice] Tales appellat Festus, 'injuges, quæ sub jugo nunquam fuerunt:' vel ut Horat. od. II. 5. 'quæ nondum valent ferre jugum subacta cervice,' easque Epod. IX. *intactas boves* nominat, quales Græce sunt ἄζυγοι, ἄζευκτοι, ἄδμητοι, ἀκέντριστοι. Vide Suidam in ἦνις. Ovid. Fast. IV. 335. 'Ante coronata puppi sine labe juvencam Mactarunt operum conjugiique rudem.' Sil. Ital. l. XIII. 'Cæditur Enneæ casta cervice juvenca.' Ubi malunt cum Marone legere *intacta.* qua voce etiam noster utitur Æn. VI. 38. 'Nunc grege de intacto septem mactare juvencos.' *Emmeness.*

541 *Delubra*] Ad templa. *Philarg.*

Alta ad delubra] Attingit notitiam antiquitatis, qua observatum, ut templa semper construerentur in locis excelsis. Firmo alibi. *Cerda.*

Delubra] *Delubrum* Græci Grammatici, καθίδρυμα, ξόανον, ἀνάθημα. Festus: 'Delubrum dicebant fustem delibratum, id est, decorticatum, quem venerabantur pro deo.' Vide tamen et Not. Æn. II. 226. aut Macrob. III. 4. *Taubmann.*

Aras Constitue] Sic et Apollon. l. II. βωμὸν ἀναστήσαντες ἐπάκτιον: et βωμὸν τετύκοντο. *Germanus.*

542 *Demitte*] Id est, sacrifica modo. *Philarg.*

Sacrum jug. dem. cruorem] Eurip. in Heracl. ἀλλ' ἀφίεσαν λαιμῶν βροτείων εὐθὺς οὔριον φόνον. *Germanus.*

Jug. demitte c.] Id est, tauros jugula sacrificio. *Taubmann.*

543 *Desere*] Ibi relinque. Nam alioqui partem sacrificiorum in epulatione comedebant. Vide me, aut nostros potius, ad Plaut. Milit. act. III. 1. *Deserere* alias etiam est in terram deponere sive depangere: ita *semina* et *surculos in humum deserere*, apud Varr. Ita Tibull. el. I. *stipes desertus in agris*, id est, desitus et depactus: ut Scalig. in conjectan. *Sed hoc obiter.* Idem.

544 *Ubi nona suos aurora*] Lucret. l. VI. 'Aut etiam nona reddebant lampade vitam.' *Germanus.*

Ubi nona] Indicatur Ἔννατον, id est, *Novemdiale sacrificium, quod mortuo fiebat nono die quam sepultus erat:* ut ait vetus Horatii Interpres. Ita Apulejus Miles. IX. 'Jamque nono die rite completis ad tumulum solemnibus.' V. N. Æn. V. 64. item *Ioh. Kirchmannum* de Funerib. Rom. IV. 1. *Taubmann.*

545 *Inferias Orphei*] Ut irarum obliviscatur. *Philarg.*

Inferias Orphei] Lucret. II. 'Manibus divis Inferias mittunt.' *Inferias* autem ab *inferendo* constat *dictas* ex ipso Virgilio: 'Inferimus tepido spumantia cymbia lacte.'[a] *Ger.*

Orphei] Dativus Græcus est. *Serv.*

Orphei] In Romano tantum codice, *Orpheo* Latino declinatu scriptum est: quod per synizesin accipietur, ut *alvearia*, et *Ferreique Eumenidum thalami*. In aliis tamen *Orphæi* per diphthongum est: ut Græce Ὀρφεῖ, cujusmodi illud etiam apud Catullum: 'Qualis adest Thetidi, qualis concordia Pelei.' Subsequitur inde versus: 'Placatam Eurydicen vitula venerabere cæsa.' Post hunc: 'Et nigram mactabis ovem, lucumque revises.' Hoc ordine habentur in codice Longobardico, et ita disponendos esse nemo non videt, quum præsertim hæc rite perfecta, quo præceptum fuerat ordine, cognosci possit ex eo versu, qui totam periodum complectitur: 'Inferias Orphei mittit, lucumque revisit. Quattuor eximios præstanti corpore tauros Delige et intacta totidem cervice juvencos.' Eodem modo quo superius: *eximio præstantis, et intactas*, et ita *Inferias Orpheo*, in Romano codice. *Pierius.*

Lethea papavera] Agrestia. *Serv.*

Lethea papavera] Ab oblivione; nam λήθη, oblivio est. Ita Ovid. Trist. V. 2. 'soporiferum papaver.' Et Ge. I. 'Letheo perfusa papavera somno.' *Cerda.*

Mittes] Sumsit phrasin a Lucret. l. III. 'et nigras pecudes, quas manibus Divis Inferias mittunt.' *Idem.*

546 *Placatam Eurydicen vitula venerabere cæsa*] Hypallage, pro veneratam placabis. *Servius.*

Vitula venerabere cæsa] *Venerandi* verbum omnes cultus divini species communione quadam complectitur, ut Brisson. de Form. l. I. Quem si adeas, facturus operæ es pretium. *Emmeness.*

547 *Nigram ovem*] Nam ad placandum Orpheum, qui jam in Inferis. De hoc more dicam alibi. Nunc tantum Arnob. audi l. VII. adversus gentes: 'Quæ in coloribus ratio est, ut merito his albas, illis atras conve-

niat, nigerrimasque mactari? Quia Superis Diis (inquitis) atque hominum dexteritate pollentibus color lætus acceptus est, ac felix hilaritate candoris. At vero Diis lævis, sedesque habitantibus inferas, color furvus est gratior, et tristibus suffectus e fucis.' Lege vero in illo, ut eludat hanc gentium superstitionem. *Cerda.*

Et nigram mactabis ovem] Insignis, qui ad illustrationem vel potius confirmationem Maronis facit, occurrit locus, placari nigra pecude inferos (quod etiam ex Non. Marcell. liquidum) apud Sil. Italicum l. XIII. 'Nec cunctata diu vates, mactare repostis Mox umbris, inquit, consueta piacula, nigras Sub lucem pecudes, reclusæque abdere terræ. Manantem jugulis spirantum cæde cruorem, Tum populos tibi regna suos pallentia mittent.' *Emmeness.*

548 *Præcepta facessit*] Facit: frequentativum est pro principali. Aut certe ideo *Facessit*, quia plures hostias immolavit. *Servius.*

Matris præcepta facessit] Servius *facessit*, frequentativum esse ait. Verum alia mens Nonii Marcelli, uti et Donati in Phorm. IV. 3. Uterque enim *facesso* simpliciter exponit *facio*. Meo tamen judicio *facesso* hic significat studiose facio ac exequor: quod indicant illa verba, *Haud mora;* et *Continuo.* Vossius.

549 *Excitat*] Id est, *constituit*, ut vs. 542. excitare pro exstruere, erigere, Ciceroni in usu de legibus II. 27. 'exstrui vetat sepulcrum altius,' &c. 'nec e lapide excitari plus.' Suet. Calig. c. 46. 'altissimam turrem excitavit.' Seneca epist. 52. 'puta enim duo ædificia excitata esse, ambo paria, æque excelsa, æque magnifica.' *Emmeness.*

551 *Ducit*] Verbum hoc usurpatur de iis non tantum, qui ducebantur ad supplicium, ut Suet. in Calig. c. 27. 'a calvo ad calvum duci imperavit;' et Cic. Catilin. I. 2. Corn. Nep. XXIII. 4. et Florus III. 21. 'morte damnati duci jubentur;' ad quæ videndus in indice Freinshemius: sed et victimæ *ducebantur*, non *trahebantur*, ut multis exemplis hoc adstruit Brisson. de form. I. et Taubm. Ge. II. 395. 'Et ductus cornu stabit sacer hircus ad aram.' *Emmeness.*

554 *Subitum ac dictu mirabile monstrum*] Res enim hæc ex improviso venit, ut apes ex bobus erumperent. Nam præcepta Cyrenes, tantum ad placandum numina pertinebant. Notandum sane, quia ex hoc eventu illa ars inventa est, quam supra memoravit: et melior facta per industriam. *Servius.*

555 *Liquefacta boum*] Unde et Græcis μέλισσαι βούπαιδες, et βουγενέες. Ut autem *stridere* dixit, et *effervere*, Apollon. βομβηδὸν κλονέονται, et βομβοῦσι. Et ut hic *effervere*, de vermibus Lucret. 'In pullos animales vertier ova Cernimus alituum, vermesque effervere, terram Intempestivos cum putror cepit ob imbres.' *Germanus.*

556 *Stridere apes utero, et ruptis effervere costis*] Hæc verba et secundæ sunt conjugationis et tertiæ: nunc tantum tertiæ. *Servius.*

Stridere] Sic Horat. Sat. II. 8. 'tum in lecto quoque videres Stridere secreta divisos aure susurros.' De apibus dicitur, ut Æn. VII. 65. 'Hujus apes summum densæ (mirabile dictu) Stridore ingenti.' *Emmeness.*

557 *Jamque arbore summa Confluere*] Hoc peculiariter attigit Nicander in Alexiph. utar tantum verbis Interpretis. Post mentionem apum, ita ait: 'quarum agmina densis In silvis tauri liquefacto corpore nata Confertim sedes antiquo in robore quercus Conditas legere, atque operam navantia melli,' &c. Itaque statim, ut natæ ex tauro sunt, confluunt in arborem. Hoc etiam initio hujus libri Virgilius eo versu 'Obviaque

hospitiis teneat frondentibus arbos?' *Cerda.*

558 *Uvam demittere ramis*] In morem uvæ, id est, botryonis, defluere: quod Græci βοτρυδὸν dicunt. *Servius.*

Arbore sum. Conf. et len. uvam dem. ramis] Ita infra Æn. VII. 'pedibus per mutua nexis Examen subitum ramo frondente pependit.' Et Hom. de apibus Il. B. βοτρυδὸν δὲ πέτονται cum conferto examine alicubi pendent, stipatæ simul et mutuo contactu cohærentes: unde et βότρυς id, quod hic *uva*, et coacervatas in racemum uvas significat: et Varroni quoque *uva* hoc significatu familiaris. *Germanus.*

Uvam demittere ramis] Vide notas ad Ge. IV. 255. 'Aut illæ pedibus connexæ ad limina pendent.' *Emm.*

559 *Hæc super arvorum cultu*] Primum librum per hoc significat: per *pecora* autem, tertium et quartum, quia et apes pecora sunt: per *arbores*, secundum. Et hoc dicit: *Hæc ego*, id est, Georgica scripsi dum Cæsar in oriente pugnaret. *Servius.*

Hæc super arvorum cultu pecorumque canebam] Festus *super* pro *de* usurpari, ut ὑπὲρ apud Græcos docet in verbo *superescit*. Sic noster in fine Æn. I. 'Multa super Priamo rogitans, super Hectore multa.' Idem docentem vide Sciopp. suspect. lect. epist. I. 5. Ut hoc in loco *canebam*, sic Æn. I. 5. 'arma virumque cano.' *Emmeness.*

561 *Fulminat*] Fortiter facit. *Serv.*

Fulminat] Sæpe bellum *fulmen*, præcipue quod celeriter conficitur, appellatur. Florus II. 6. 'destinatumque Romanis jam diu fulmen, Saguntino igne conflavit.' Sic paulo post: 'tertium fulmen Annibalis:' id est, tertia clades bello illata: inde noster Æn. VI. 842. 'Aut geminos, duo fulmina belli, Scipiadas.' Bellum enim omnia fulminis instar profligat et obterit, quod ex Floro discere est IV. 2. 'uno, et, ut sic dixerim, non toto prælio obtrivit; more fulminis, quod uno eodemque momento venit, percussit, abscessit.' Optime Lucanus I. 151. 'Qualiter expressum ventis per nubila fulmen Ætheris impulsi sonitu, mundique fragore Emicuit, rupitque diem, populosque paventes Terruit, obliqua præstinguens lumina flamma.' Meminit *Martis fulminantis* Plin. XXX. 1. Fulmen belli symbolum est, ut his in numismatibus, quos in Augustini videre licet tab. VII. n. 10. et XI. n. 8.





Operæ facturus pretium est lector, si adeat commentarium, ut hic *fulminat bello*, sic Æn. XII. 654. 'Fulminat Æneas armis.' *Emmeness.*

Euphraten] Orientis fluvium. *Serv.*

Euphraten] *Euphrates* flumen, quod dividit Mesopotamiam a Syria et Cappadocia. *Philarg.*

Euphraten] De hoc fluvio, qui ab una parte cingit Mesopotamiam, ex-

tat nummus in tab. Augustini XXXIV. n. 9. quem oculis hic tuis, Lector diligentissime, subjectum vide.



Consule, si tanti est, notas ad Ge. I. 509. ubi de hoc bello mentionem infert Maro, 'Hunc movet Euphrates, illinc Germania bellum.' *Emmeness.*

561 *Victorque volentis Per populos*] Unum virtutis est, aliud justitiæ. Nam vincere virtutis est: justitiæ vero, non invitis, sed volentibus imperare. *Servius.*

Victorque volen. Per pop. dat jura] Sic et Græci βουλομένους, ἑκόντας dicunt. Imitatione Orphei videtur enuntiatum, qui ita Argon. de Hypsipyle: καὶ ἡ κλυτὴ ὑψιπύλεια Ἐλδομέναις κραίνεσκε γυναικῶν εἶδος ἀρίστη. Et ut *dare jura*, eadem forma Græci δικαιοδότην et δικαιοδοσίαν dicunt. Et Plato leg. θ. δίκας λήψονται καὶ δώσουσι: et Arato, δίκη δώτειρα δικαίων. Ut autem *viam affectat Olympo*, sic Terent. 'Ad dominam qui affectant viam.' *Germanus.*

Victorque volentis Per populos dat jura] Quod hic Augusto, idem laudi ducitur Miltiadi. Corn. Nep. vit. I. 2. 'neque id magis imperio, quam justitia consecutus,' &c. et paulo post: 'ut non minus eorum voluntate perpetuo imperium obtineret, qui miserant; quam illorum, cum quibus erat profectus.' Idem XX. 3. de Timoleonte: 'nam quod cæteri reges imperio potuerunt, hic benevolentia tenuit.' Sic et X. 5. 'ex quo intelligi potest, nullum esse imperium tutum, nisi benevolentia munitum.' *Emm.*

562 *Viamque adfectat Olympo*] Præparat sibi divinos honores. *Servius.*

Adfectat] *Adfectat* pro intendit: ut apud Plautum: 'ut me deponas vino, eam adfectas viam:' et apud Terentium: 'Nam disciplina est, eisdem munerarier ancillas, qui ad dominas adfectant viam.' *Philarg.*

563 *Virgilium*] Sic leg. censent omnes Codices, fere alii *Vergilium*. Pierium fusius disputantem hac de re adeat lector. *Emmeness.*

564 *Parthenope*] Id est, Neapolis, quæ primo ex corpore unius Syrenis illic sepultæ, Parthenope est appellata. *Servius.*

Parthenope] Lutatius l. IV. dicit, Cumanos incolas a parentibus digressos, Parthenopen urbem condidisse, dictam a Parthenope Sirena, cujus corpus etiam, postquam ob locorum ubertatem amœnitatemque magis cœptum sit frequentari, veritos ne Cymæam desererent, inisse consilium Parthenopem diruendi: post etiam pestilentia affectos, ex responso oraculi urbem restituisse, sacraque Parthenopes cum magna religione suscepisse, nomen autem Neapoli ob recentem restitutionem imposuisse. *Philarg.*

Parthenope] Alio nomine *Neapolis*, hujus civitatis antiquissimæ meminerunt Dionys. ἁγνῆς παρθενόπης. Strabo l. V. Μετὰ δὲ δικαιαρχίαν ἐστὶ Νεάπολις Κυμαίων· ὕστερον δὲ καὶ χαλκιδεῖς ἐπῴκησαν, καὶ Πιθηκουσαίων τινὲς, καὶ Ἀθηναίων, ὥστε καὶ Νεάπολις ἐκλήθη διὰ τοῦτο, ὅπου δείκνυται Μνῆμα τῶν Σειρήνων μιᾶς Παρθενόπης. Idem. l. I. etiam Mela II. 4. Solinus Neapolin dictam esse ab Augusto testatur c. 8. sed erroris cum arguit recte Salmasius exercit. Plin. p. 63. id enim nominis habuit longe ante Augusti tempora, ut ex Strabone supra. *Parthenope* autem appellata est, ut Plinius asserit *a tumulo Sirenis*. III. 5. ad quam originem alludit Sil. Ital. XII.

'Sirenum dedit una suum, et memorabile nomen Parthenope muris Acheloias.' *Emmeness.*

564 *Studiis florentem ignobilis oti*] Id est, artis Poëticæ, quam ocium appellavit ignobile, ne quid de se videretur arrogans dicere. *Servius.*

Ignobilis oti] Allusum (ait Germ.) ad Græcas voces σχολαστικὸς, σχολάζειν, συσχολάζειν, quibus studiosi significantur. Credamus ad hæc otia Virgilii allusisse Silium, nam de urbe hac loquens l. XII. 'Nam molles urbi ritus, atque hospita Musis Otia, et exemtum curis gravioribus ævi.' Allusit (inquam); nam quæ otia Musarum in hac urbe Virgilianis, non dico anteponenda, sed neque æquanda? *Cerda.*

565 *Carmina qui lusi pastorum*] Qui etiam Bucolica scripsi. *Servius.*

Audaxque juventa] Ætate juvenili. Nam ut diximus supra, viginti octo annorum Bucolica scripsit. Et bene breviter a se scriptarum rerum executus est titulum. *Servius.*

Audaxque juventa] Vir quidam doctus νέοργον accipit non ut νεουργὸν vel νεοργῆ, sed a juvenili fervidaque iracundia. *Germanus.*

Audaxque juventa] Videlicet annorum viginti octo, si Servio credimus Ecloga. I. Ovid. Trist. II. hanc rem attingit loquens de Virgilio: 'Phyllidis hic idem, teneræque Amaryllidis ignes Bucolicis juvenis luserat ante modis.' Et Politian. in Mant. de eodem Virgilio cum respectu ad Bucolica: 'Hæc fuerint timidæ præludia prima juventæ.' Male *timidæ*, imo *audacis:* nam hæc nota hujus ætatis in aggrediendis rebus. De eodem Virgilio ibi; 'Aonius juvenis.' Vid. Hieron. Poët. l. III. 'Ut juvenis Siculas silvis inflarit avenas.' *Cerda.*

566 *Tityre, te patulæ cecini sub tegmine fagi*] Est hæc synecdoche, nam per hunc versiculum intelligit integra Bucolica. Ita Cic. ad Attic. Epist. XVI. 11. 'O Tite tibi prodesse lætor.' Id est, lætor prodesse tibi librum meum de Senectute, cui exorsus est, O Tite. Lege eundem Epist. 3. ejusdem lib. ita et Ecl. v. 'Hæc (*cicuta*) nos formosum Corydon ardebat Alexin: Hæc eadem docuit, cujum pecus? an Melibœi? Quibus indicat secundam, et tertiam Eclogam. Ovid. Trist. II. 'Et tamen ille tuæ felix Æneidos auctor Contulit in Tyrios arma virumque toros.' *Cerda.*